S. PATRIS

BERNARDI

CLARAVALLENSIS

ABBATIS PRIMI


OPERVM APPENDIX,

SEV

TOMVS SEXTVS:

COMPLECTENS DVORVM S. BERNARDI Discipulorum, GVERRICI Abbatis Igniacensis, & GILLEBERTI DE HOYLANDIA Abbatis Suuinshetensis in Anglia, Opera, aliaque nunc primum ex M.SS. edita, & notis illustrata;

STVDIO ET LABORE IACOBI MERLONI HORSTII, SS. Theol. Licent. B. MARIAE in Pasculo Pastoris.



PARISIIS,

M. DC. XLV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

VITA B. GVERRICI
ABBATIS IGNIACENSIS.

Ex Libro de viris Illustribus Ordinis Cisterciensis, Distinct. 3. cap. 7.

SAnctæ recordationis Dom. Guerricus quondam Abbas Igniaci, dum adhuc sub disciplina B. Bernardi Monachus esset in Claraualle, & regalibus sacræ doctrinæ vberibus lactaretur, haud degenerē se tanti Patris filium moribus & vita probabat. Tanto siquidem sublimiorem arcem virtutis conscendere didicerat, quanto secretius magno Dei munere de incorruptionis titulo testimonio conscientiæ gloriabatur. Sicut enim hi quibus secreta tanti Viri nosse datum fuerat, astruebant, immaculatam incorruptionis tunicam duce gratia vsq; ad exitum vitæ conseruauit. Porro quantæ puritatis & integritatis fuerit, vita & conuersatio eius, quamque purissimum deuotionis thymiamata quotidie Deo in ara cordis incenderat, Dominus gloriosis & manifestis indiciis declarare dignatus est. Accidit namque quadam vice, vt ad lectionem in vigiliis legendam ascriptus, cum se moueret de stallo suo vt ad gradum presbyterii sui veniens, sicut moris erat, inclinaret, alius quidam spiritalis Monachus, qui sanctorum eius in Domino studiorum curiosus scrutator esse solebat, non liuoris vel inuidiæ peste tabescens, sed vt exemplis eius ad meliora prouocaretur, obseruabat euntem. Itaque inclinante eo deuotè ante gradum presbyterii, ecce Angelus Domini de cælo veniens, supradicto fratre spirituali cernente, veste candidissima & splendidissima induit eum, & per medium chori reuerenter deducens vsque ad analogium cum eo ascendit, & stans iuxta eum, quousque totam perlegeret lectionem, cum multa reuerentia ministri officio functus est. Qua perlecta rursus per medium chori eum deducens vsq; ad gradum presbyterii prosecutus est: illoque satisfactionem quæ post lectas lectiones ante gradum fieri solet faciente, Angelus Domini recepta veste cælesti, ab oculis hæc videntis sublatus est. Frater autem ille cui tanta dignatione gratiæ Dei tam secretum diuinæ benignitatis donum cognoscere datum fuerat, de gloriosa hac visione multum ædificatus, didicit ipsum de quo talia videre meruit, verè esse Dei famulum, qui Angelicæ puritati castimonia & innocentia vitæ approximans, tanquam Beniamin amantissimus Domini tota die cum illo in thalamo sanctæ contemplationis moraretur.

Succedente verò tempore Venerabilis Guerricus factus Abbas Igniaci, qualem se exhibuerit, quam strenue officium sibi commissum adimpleuerit, non est nostræ paruitatis edicere. Plane quam suæ verbis doctrinæ fuerit, luculentissimi atq; disertissimi & verè spirituales sermones eius, quos in Solemnitatibus præcipuis in Conuentibus Fratrū fecit, & à Cantore eiusdē Ecclesiæ excepti sunt, manifeste declarant. Cæterum supernus ille artifex, qui pressuris & tunsionibus variis solet polire vasa misericordiæ, vt discernantur à vasis iræ, continuis & grauibus infirmitatibus hunc famulum suum laborare permisit. Quas ille incommoditates patientissime tolerabat, sciens nimirum tanto se in futuro gloriosiorem de summi Regis manibus coronam percepturum, quanto alacrius in præsenti certaminis agone desudasset. In hoc tamen nimis contristabatur, & semetipsum valde humiliabat, quod pene continuè Conuentum Fratrum deserere, & in infirmitorio iacere causa debilitatis suæ cogebatur, nec poterat ita fratribus suis exemplum quotidiani laboris præbere, sicut verbum sanctæ prædicationis impendere. Verum quicquid minus habebat de exercitio corporali, totum sinceræ pietatis affectus & ardens in Deum deuotio supplebat. Conqueritur ipse debilitatem & insufficientiam suam in quodam sermone ita dicens. *Amici venerunt ad me de via, sed non habeo quod ponam ante illos: non sum medicus, in domo mea non est panis. Ideo dicebam ab initio: Nolite me constituere principem: non enim decet præesse, qui non potest prodesse. Quomodo autem prodesse potest qui nec medicus est, nec panem in domo habet, id est, nec artem nouit, qua sciat curare, nec doctrinam habet qua sufficiat pascere. Hac quidem dicebam, Sed heu! non audistis me, principem enim constituistis me. Supererat igitur vt qui nō potui effugere periculum, confugerem ad remedium, & audirem super hoc illud Sapientis consilium* Principē te constituerunt: Esto inter illos quasi vnus ex illis. *Sed, Væ mihi, neque hoc ipsum relictum est mihi: sicut enim imperitia prohibet esse super alios, sic imbecillitas esse non patitur inter alios, & sicut spiritu non sufficio ad ministrandum verbum, ita corpore deficio ad præbendum exemplum. Qui igitur idoneus non sum nec præesse nec coesse, vbi potero esse, nisi vltimum & tutissimum locum eligam, scilicet omnibus subesse. Et hoc quidem valeo, humilia imò vera de me sentiendo. Nihil quoque me prohibet, imo plurimum veritas ipsa monet, subesse cunctis animo, licet præesse cogar officio. Tu Domine Deus ipse es qui subesse mones, & nihilominus præesse iubes, à te expeto vt humilem simul & vtilem in iniuncto me facias ministerio, humilem vera de me sentiendo, vtilem recta non derelinquendo; illud inspira cordi, hoc ministra ori, da sermonem rectum & bene sonantem in apertione oris mei, qui dixisti, aperi os tuum & ego implebo illud, vt omnis familia tua benedictionibus repleatur.*

Perpende Lector, sinceritatem conscientiæ sancti Viri huius, qui tam fiducialiter sibi facile esse pronunciat, quod paucissimis & perfectissimis diuina concedit benignitas, cunctis videlicet animo subesse, quamuis cogantur officio præesse. Cum autem fidelis seruus Domini Guerricus fidelissima distributione conseruis suis annona Domini sit dispertita, plenus dierum & virtutum transiturus esset de hoc mundo ad Patrem, tactus ægritudine, ipsiusq; ægritudinis molestia ingrauescente ad extrema deductus est. Curiosius verò cunctos angulos conscientiæ suæ eo discutiente, ne quid forte esset, quod perperam gestum & inemendatum districtum sibi iudicem offensum redderet, & malignis spiritibus occasionem calumniandi præberet, recordatus est libelli Sermonum quem fecerat. Simulq; memoriæ occurrit, Patres statuisse, nullum absque generalis Capituli licentia libros facere debere, & grauiter ingemiscens conuocatis fratribus dixit: En fratres, dum vestris profectibus inuigilare, vestræque petitioni parere studui, crimen inobedientiæ, quod, teste Sancto Samuele, quasi scelus idololatriæ est, incurri. Libellum nempe Sermonum, quē rogatu vestro dictaui, temerarie nimis absque Capituli generalis licentia edere præsumpsi. Quapropter quantocius illum afferentes igne cremate, ne pro culpa inobedientiæ vltricibus gehennæ flammis tradar consumendus. Dei vero prouidentia accidit, vt iam in aliis quaternulis transcriptus esset liber, Deo aliquid melius pro nobis & in hoc disponente. Ne videlicet sancta Ecclesia ipsius & præcipuè Cisterciensis ordo tantæ eruditionis gratia priuaretur. Mirabili namquē temperamento ita literalis scientiæ lepos in volumine illo tumet, & Christianæ simplicitatis humilitas sic in eo resplendet, vt non modo minimè onerosus, verum etiam gratiosus valde sit legentibus. Porro ignitum eloquium Domini vehementer quod in sermonibus illis inuenitur, ita monet, afficit & accendit legentem, vt durissimus corde sit, qui non ex eorum lectione compunctus ad meliora proficere studeat. Sic itaque iustus & timoratus seruus Domini delicto, quod conscientiam ipsius remordebat, seuera examinatione correcto alacrius iam & propensius dum ad cælestia suspirabat, Christi Domini iucundissimam & beatissimam præsentiam votis & desideriis sacræ deuotionis requirebat: qua etiam post modicum misera mortalium consortia relinquens, sicut piè credimus, satiari promeruit.

INDEX IN APPENDICEM
SIVE TOM. VI. OPERVM S. BERNARDI.

D. GVERRICI Abbatis Igniacensis, Discipuli S. Bernardi, Sermones per Annum.

De Aduentu Domini.

De natiuitate Domini.

In Epiphania Domini.

In Festo Purificationis B. Mariæ Virginis.

In Quadragesima.

In solennitate B. Benedicti.

In Annunciatione Dominica.

Dominica in Ramis Palmarum.

De Resurrectione Domini.

De Diebus Rogationum.

In die Ascensionis Domini.

In Festo Pentecostes.

In Natiuitate S. Ioannis Baptistæ.

In Natali Apostolorum Petri & Pauli.

In Assumptione B. Mariæ.

In Natiuitate S. Mariæ.

In Solennitate omnium Sanctorum.

In Verba Cantici Canticorum.

GILLEBERTI DE HOYLANDIA, Abbatis Suuinshetensis in Anglia Discipuli S. Bernardi,

Epistolæ seu Opuscula, nunc primum ex M.S. Bibliothecæ Oxoniensis edita.

D. GVERRICI ABBATIS IGNIACENSIS, DISCIPVLI S. BERNARDI, SERMONES PER ANNVM.

DE ADVENTV DOMINI SERMO I.

Saluatorem expectamus, Philip. 3. v. 20. d

1. VERE expectatio iustorum lætitia[a], expe-
a Prou. 10. ctantium beatam spem & aduentum glo-
riæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu
b Tit. 2. Christi b. *Et nunc quæ est expectatio mea?*
c Psal. 38. b inquit iustus, *nónne Dominus*c? Et cõuers⁹
ad Dominum, scio, loquit, quia non confundes me ab
Ibidem * expectatione mea; quia iã *substantia mea apud te est*, quia
natura nostra de nobis sumpta, & pro nobis oblata, a-
pud te glorificata est: spem nobis tribuens, *quia ad te om-*
d Psal. 64. a *nis caro veniet* d: capútque membra sequentur, vt holo-
caustum compleatur. Pleniore tamen fiducia, quia tu-
tiore conscientia, Dominum expectare potest, cui dice-
re datum est, substantia possessiunculæ meæ, ô Domine,
apud te est: quia facultates meas, vel tibi erogando, vel,
pro te contẽnendo, in cœlis thesaurizaui, & ad pedes tu-
os omnia mea deposui: sciens quia potens es depositum
meum nonmodò seruare, sed etiam in centuplum resti-
Paupertatis religiosæ laus & felicitas. tuere, & vitam æternam adiicere. Quàm beati vos pau-
peres spiritu, quia iuxta consilium admirabilis consilia-
rii thesaurizastis vobis thesauros in cœlo; ne si in terra
thesauri vestri remanerẽt, corda vestra pariter putresce-
d Matth. 6. rent. *Vbi enim*, inquit d, *thesaurus tuus, ibi & cor tuum*. Est
igitur, eant corda post thesauros suos, sursum affixa sit
cogitatio, & ad Dominum suspensa expectatio, vt & vo-
e Philip. 3. d bis competat dicere cum Apostolo e: *Nostra autem con-*
uersatio in cœlis est, vnde etiam Saluatorem expectamus. O
expectatio gentium! Vniuersi qui te expectant non con-
fundentur. *Te expectauerunt patres nostri*, omnes iusti ab
f Psal. 21. a origine mundi *in te sperauerunt, & non sunt confusi*[f]. Iam
enim suscepta misericordia tua in medio tẽpli tui, chor⁹
lætantiũ & laudantiũ cõcinit. *Benedictus qui venit in no-*
g Matt. 21. a *mine Domini*[g]. *Expectans expectaui Dominũ, & intendit*
h Psal. 39. a *mihi* h. Et in humilitate carnis agnoscentes Maiestatem
i Isai. 25. diuinitatis, *Ecce*, inquiunt[i], *Dominus noster iste: expectaui-*
mus eum, & saluabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum:
exultabimus & lætabimur in salutari eius.

2. Sicut autem Ecclesia in antiquis iustis expectauit ad-
Sicut olim Eccl. primum Aduentum, sic nunc expectat secundum. uentum primum, sic in nouis reexpectat secundum: sic-
ut in primo certa de pretio redemptionis, sic in secundo
de præmio remunerationis: atq; huius expectatione spei
suspensa à terrenis, tam fœliciter quàm ardenter inhiat
æternis. Cùm igitur alii festinantes præsentibus beari,
nec sustinentes consilium Domini, currunt ad diripien-
dam prædam huius mundi: *Beatus vir cuius est nomẽ Do-*
mini spes eius[k], *& nõ respexit in vanitates & insanias falsas*k:
k Psal. 39 a qui abstinet se à vitiis eorum tanquam ab immunditiis,
sciens melius esse humiliari cum mitibus, quàm diuidere
l Prou. 16. e *spolia cum superbis* l. Loquensq; secũ cõsolatur se, & ait: *m*
m Thren. 3. v. *Pars mea Dominus, dixit anima mea: propterea expecta-*
24. 25. & 26. *bo eum. Bonus est Dominus sperãtibus in eũ, animæ quærẽti*
illum. Bonum est præstolari cũ silentio salutare Dei. Defecit
quidẽ anima mea in salutare tuũ, ô Domine, sed in ver-
bum tuũ supersperaui. *Spes* quidem *quæ differtur*, sic ipsũ
n Prou. 13. * est[n], *affligit animam*: sed licèt lassa sit ex desiderii dilatio-
Spes secura ex promissione, licet lassa ex dilatione. ne, secura est tamen ex promissione. In ipsam solùm spe-
rans, sed & supersperans adiiciã spem: sicut assiduè adi-
citur tribulatio super tribulationem, dilatio super dila-
tionem. Certus sum enim, quia *apparebit in finem, & non*
o Hab. 2. a *mentietur* o. Ideoq; etsi morã fecerit expectabo eũ, *quia*
p Ibidem. *veniens veniet, & non tardabit* p, vltra præstitutũ tempus

A vel opportunũ. Quod opportunũ? Cùm impletus fuerit
numerus fratrũ nostrorũ, & consummatum fuerit tempus
misericordiæ ad pœnitentiã indultũ. Audi Isaiam ad su-
perna sæpius admissum consilia, quo videlicet consilio
Dominus iudicium differat: *Propterea*, inquit q, *Dominus* q Isai. 30. b
expectat, vt misereatur vestri, & ideò exultabitur parcens
vobis: quia De⁹ iudicii Domin⁹: Beati omnes qui expectãt eũ.

Propterea si sapis, prospicies tibi quomodo dilatio- 3.
nis huius induciis vtaris: vtiq; si peccator es, ad pœnitẽ- Dilationis induciis ad pœnitentiam solicitè vtendum.
tiã, non ad negligentiã: si sanctus, vt proficias in sanctita-
te, non vt deficias à fide. *Si autem dixerit malus seruus il-*
le in corde suo: moram facit Dominus meus venire, & cœ-
perit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cũ r Matth. 24. d
ebriosis: veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, &
hora qua ignorat, & diuidet eum, partemq; eius ponet cum
hypocritis: illic erit fletus & stridor dentium. Huius serui
nequam & infidelis, videtur esse vox illa tædii & despe-
rationis, quæ apud Isaiam legitur f: quia videlicet morã s Isai. 28. b
faciente Domino frequentib. nuntiis eius increduli &
illusores insultare videntur: *Manda, remanda: mãda, re-*
manda, expecta, reexpecta: modicum ibi, modicũ ibi. Sed
B quæ pœna sequatur miseros, Propheta non tacuit, cùm
post pauca subintulit: *Et erit eis*, inquit, *verbum Domini*,
quod videlicet subsannant, dicentes Prophetis: *Manda*, t Ibidem.
remãda: manda, remãda: expecta, reexpecta, modicum ibi,
modicũ ibi: vt vadant & cadant retrorsum, & conterantur &
illa queantur & capiantur. Vadunt retrorsum per aposta- Procrastinatorum & contemptorum periculo.
siam, cadunt in criminalia, illaqueantur mortifera dele-
ctatione, vel quadam inextricabili peccandi necessitate,
vt nec velint, nec possint pœnitere: capiuntur improuisa
morte, conteruntur æterna damnatione. *Nescit* enim *fi-*
nem suum homo. sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues la-
queo: sic homines, inquit Salomon[u], *capiuntur tempore* u Eccl. 9. c
malo cum eis extemplo superuenerit. Propterea videlicet,
ne pro dilatione spei, fides nostra tepescat, aut æstuet pa-
tientia, & incipiamus esse de illis *qui ad tẽpus credunt, &*
in tempore tentationis recedunt x: clamat nobis de cœlo x Luc. 8. b
qui fidem donat, donatam probat, probatam coronat,
inquiens y: *Qui crediderit nõ festinet*, scilicet videre quod y Isai. 28. d
credit. Si enim quod non videmus, speramus: per patiẽ- Patientia opus in expectanda ope Domini
tiã expectamus. Sponsæ quoq; suæ, quam sibi despõsauit
in fide, mandat Deus per Osee dicens z: *Dies multos expe-*
C *ctabis me: non fornicaberis, & non eris viro*. Hoc nempe est z Osee 3. a
Dominum veraciter expectare, si fidem ei seruemus: vt
licet careamus consolatione præsentiæ eius, adulterum
tamen non sequamur: sed pendeamus ad reditum eius.
Sic namq; Dominus ait in eodem Propheta a: *Pendebit* a Osee 11. b
populus meus ad reditum meum. Pulchrè omnino & pro-
priè pendebit, tanquam inter cœlum & terram: licet ad-
huc apprehendere cælestia non valeat, non vellit tamen Terrena leuiter seu obiter tantum tangenda.
tangere terrena. Et si aliquando tangit, non nisi summis
articulis, id est, extremis partibus animæ: propter ne-
cessitatem, scilicet corruptionis nostræ, cui cogimur ser-
uire, quamdiu *creatura vanitati subiecta est, non volens*b. b Rom. 8. d
Vulgò dicitur: Male expectat, qui pẽdet. Ego autẽ dico,
feliciter expectat qui sic pendet. Quamobrem elegit su-
spẽdiũ anima mea, & in ipso suspẽdio mortẽ ossa mea: vt
perseuerãter in cruce istã pẽdere merear, donec immoriar.

O Domine Iesu, cùm animã potestate positurus esses, 4.
& quo genere mortis id facere velles, tuo subesset arbi- Christus in cruce pendẽs, nec ante mortem depositus docet nos perseuerantiam.
trio; suspendiũ elegit anima tua, vt exaltatus à terra, nos
quoq; ad te traheres, & à terrenis suspẽderes. Sed nec an-
te mortem deponi passus es, vt & nos vsq; ad mortem in
cruce perseueremus: & de ipsa tanquam de sublimi

gradu facilior sit in cœlum conscensus. Gratias tibi Do-
mine Iesu tibi sumus, ibi te expectamus, non Heliam, qui A
ad deponendum nos veniat: sed Heliam, id est, Dominũ
nostrum, qui nos suscipiat. Modicum ibi, modicum ibi,
si mandas atq; remandas: ego quidẽ mandatis suis semel
credidi, sed adiuua incredulitatem meam, vt immobilis
e Psal. 26. d ibi te expectem, reexpectem, donec quod credo videã.
Credo enim *videre bona Domini, in terra viuentium* e.
Credis & tu, igitur *expecta Dominum, viriliter age, con-*
d Ibid. *fortetur cor tuum, & sustine Dominum* d. Væ his qui perdi-
derunt sustinentiã, & diuerterũt in vias prauas. Et quid
facient cùm inspicere cœperit Dominus? Qui tamen lõ-
ganimiter se mandat expectari, alibi se citò venturũ esse
promittit: in altero nimium sustinentiam informans:
in altero pusillanimes confortans, imparatos terrens, &
e Apoc. 22. pigros excitãs. *Ecce*, inquit e, *venio, cito merces mea mecum*
f Mich. 4. *est, reddere vnicuique secundum opera sua*. Et ad Hierusalẽ f
Citò veniet salus tua: quare mærore consumeris? Et reuera
tempus breue est, maximè vniuscuiusq; nostrum: licèt
longum videatur æstuanti, seu præ labore, seu præ amo-
re. Ideoq; vtrumque necesse est; vt timeamus Iudicem
qui propè est & forsitan mihi, forsitan tibi in ianuis est: B
& longanimiter expectemus, si moram fecerit. Veniens
veniet ille Dominus, timor & desiderium nostrum, re-
quies & merces laborantium, dulcedo & amplexus a-
mantium, beatitudo omnium, Saluator noster Iesus
Christus, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorũ.

DE ADVENTV DOMINI
SERMO II.

Ecce venit Rex, occurramus obuiam Saluatori nostro.
in Offic. diu.

1. Salomon pulchrè ait a, *Aqua frigida animæ sitienti, &*
a Prou. 25. d *nuntius bonus de terra longinqua*. Bonus itaque nun-
tius, qui aduentum Saluatoris nuntiat, reconciliationẽ
mundi, bona superuenturi sæculi. Quàm pulchri pedes
b Isa. 52. annuntiantium pacem, annuntiantium bona b! Multi si-
quidem, non vnus. Multi, inquam, sed in vno spiritu
longa serie ab initio sæculi nobis superuenẽre nuntii, &
omnium vox vna, simul vna sentẽtia, *Venit, ecce venit* c:
c Ezec. 39. b & vnde, inquis, isti venere nuntii: vt scriptum est d, *de*
d Isa. 46. d *terra longinqua*: quia de terra viuentium, quæ magno in-
Prophetæ nuncii aduenientis Christi. terstitio separata est ab hac terra morientium: nam inter
nos & illos adhuc chaos magnum firmatum est. Inde ta-
men Prophetæ nobis sicut & Angeli missi sunt: quia & si
corpore hîc versabantur: spiritu illuc assumebantur,
quando mittendi erant: vt illic audirent & viderent,
quod hîc nuntiarent. Huiusmodi nuntii aqua refrigerii,
potúsque sapientiæ sunt salutaris, animæ Deum sitienti:
cui nimirum qui nunciat aduentum, vel alia mysteria
Saluatoris, haurit ei & propinat aquas in gaudio de fon-
tibus Saluatoris: vt etiam nuntianti sibi, siue Esaiæ, siue
cuilibet ex Prophetis, eadem anima respondere videa-
e Luc. 1. tur verbis Elizabeth e (quia eodem potata spiritu quo
Elizabet) *& vnde mihi hoc, vt veniat Dominus meus ad*
me; Ecce enim vt facta est vox annunciationis tuæ in au-
ribus meis, exultauit in gaudio spiritus in corde meo,
gestiens occurrere Deo Saluatori suo.

2. Et reuera, fratres exultatione spiritus Christo venien-
ti occurrendum est. Et iam nunc à longè salutandus, vel
certè resalutandus: qui mandat salutes Iacob. *Amicum*
d Eccl. 22. d *salutare non confundar*, inquit Sapiens d: quanto magis
resalutare? O salutare vultus mei, & Deus meus: quanta
dignatio fuit quòd seruos salutasti, sed quantò maior D
Congratulabondum venienti in mundum Saluatori. quod saluasti! Nec enim integra nobis salus esset, si salu-
tes mandares, & non dares. Dedisti autem, non modo
quos salutaueras verbis pacificis, postmodum salu-
tando in osculo pacis, videlicet per vnionem carnis:
sed etiam salutem operando per mortem crucis. Exur-
gat igitur spiritus noster alacri gaudio, curratque ob-
uiam Saluatori suo, & iam à longè venientem adoret &
e Psal. 17. d salutet, acclamans ei & dicens e; *O Domine saluum*
me fac, ô Domine bene prosperare: Benedictus qui
venturus es in nomine Domini. Salue qui venis saluare
nos: benedictus qui venis benedicere nos. Igitur, ô
Domine, bene prosperare, qui tam prosper & saluta-
ris aduenis generi humano: Intende prosperè, procede
& regna. Prosperum iter faciet tibi Pater, Deus saluta-
rium nostrorum. Prosperabitur, inquit pater, in his ad
quæ misi illum: non pro votis carnalium, non pro vo-
luntate Petri, qui abhorrebat illum pati. *Et omnia quæ-*
cunque faciet prosperabuntur f: non ad præproperam ho- f Psal. 1. a
minum voluntatem, sed ad veram eorum salutem. Va-
na quidem salus hominis, sed Domini est salus, qui o-
peratus est salutem de sanguine suo, fundens illũ in pre-
cium, & propinans in potum. Veni ergo, ô Domine, sal-
uum me fac, & saluus ero. Veni & ostende faciem tuam.
& salui erimus. Te enim expectauimus: *esto brachium*
nostrum, salus nostra in tempore tribulationis g. Sic Pro- g Isai. 33. a
phetæ & iusti desiderio & affectu tanto antè, Christo vẽ- Desiderium iustorum Vet. Leg. ad aduẽtum Christi.
turo occurrebant, desiderantes, si fieri posset, oculis vi-
dere quod spiritu præuidebant. Vnde Dominus discipu-
lis dicebat h. *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Di-* h Luc. 10. d
co enim vobis quod multi Prophetæ, & Reges voluerunt vi-
dere quæ vos videtis, & non viderunt. Abrahã quoq; pa-
ter noster exultauit, vt videret diẽ Christi: vidit, sed apud
inferos, & gauisus est. In quo vtiq; tepor & duritia cor-
dis nostri suggillatur, si non videt eum gaudio spirituali.

Christi nascentis diem anniuersarium expectamus; 3.
qui nobis in proximo videndus. Domino annuẽte pro- Gaudium de aduẽtu Saluat. quale requiratur a nobis.
mittitur. Hoc sanè gaudiũ nostrum tale videtur exigere
scriptura, vt spiritus noster leuans se super se. Christo ve-
nienti quodãmodo occurrere gestiat: & desiderio se ex-
tendens in anteriora, impatiensq; morarum, iam videre
cõtendat futura. Ego namq; nõ solùm ad secundum ad-
uentum, sed etiã ad primũ arbitror pertinere, quod tot
locis scripturarũ ei monemur occurrere. Quomodo? in-
quis. Quia videlicet sicut secundo aduentui occurremus
motu & exaltatione corporis: sic & primo occurrendũ
est affectu & exultatione cordis. Scitis enim, quia resum-
ptis in resurrectione corporibus nouis, secundũ doctri-
nã Apostoli: *rapiemur in nubibus obuiam Christo in aera,* i 1. Thess. 4. d
& sic semper cũ Domino erimus. Sic nec modo desunt nu-
bes quæ spiritus nostros, si nimis nõ fuerint pigri terræq;
affixi, subleuabũt ad altiora: & sic cũ Domino erimus, vel
hora dimidia. Agnoscit, ni fallor, experiẽtia vestra quod
loquor, cũ aliquando vocẽ dederint nubes, id est, sona-
uerunt in Ecclesia Prophetarũ, vel Apostolorũ voces, ad C
quã sublimia sensus vestri quasi vehiculo nubis fuerint
subuecti: & eò vsq; nonnunquã excesserint, vt gloriam
Domini quantulumcumq. mererentur speculari. Tunc, Aduentus Christi spiritualis in animam.
ni fallor, vobis innotuit veritas illius sermonis, quẽ Do-
minus de illa nube pluit, quam quotidie ponit ascẽsum
vobis k: *Sacrificiũ laudis honorificabit me: & illic iter, quo* k Psal. 49. d
ostẽdam illi salutare Dei. Ita ergo fit, vt ante Aduentũ suũ
Dominus veniat ad vos, & antequam mundo generali-
ter adueniat, familiariter inuisat vos. *Non vos*, inquit, *re-* l Ioan. 14. b
linquã orphanos: vado, & veniã ad vos. Et quidẽ pro me- Is inter primũ & nouissimũ aduentum homini maximè necessarius. Spiritualis Christi aduentus quã nob. necessarius.
rito cuiusq;, vel studio, creber est ad vnumquemq; iste
Domini aduentus, hoc tempore medio inter aduentum
primum & nouissimũ, cõformans nos aduentui primo,
& præparans nouissimo. Ad hoc nempe venit modò in
nos, ne primo aduentu frustrà venerit ad nos, vel ne in
nouissimo veniat iratus aduersus nos. Hoc siquidem Ad-
uentu satagit reformare sensum superbiæ nostræ, cõfigu-
ratum sensui humilitatis suę, quam primo veniens exhi-
buit: vt perinde reformet corpus humilitatis nostræ cõ-
figuratum corpori claritatis suæ, quam denuò rediens
exhibebit. Prorsus optandus omnibus votis, & capessen-
dus studiis. Aduentus iste familiaris, qui nobis gratiam
impertiat Aduentus primi, & gloriam promittat nouis-
simi. *Quia enim misericordiam & veritatem diligit Deus,*
gratiam & gloriam dabit Dominus m: per misericordiam m Psal. 83. c
prærogans gratiam, per veritatem reddens gloriam.

Porrò sicut dispositione temporis, sic etiam propor- 4.
tione similitudinis medius est Aduentus iste spiritualis, Inter duos Aduentus Christi corporales medius est spiritualis.
inter Aduentum vtrumque corporalem, & velut qui-
dam mediator, participat cum vtroq;. Primus siquidem
Aduẽtus, occultus & humilis: vltimus, manifestus & ad-
mirabilis. Iste autẽ occultus quidem, sed mirabilis. Oc-

culus sanè dixerim, nō quòd ignoretur ab eo cui venit, sed quia secretus ei aduenit. Vnde glorians illa gloriosa anima secum dixit n: *Secretum meum mihi, secretum meū mihi.* Sed nec ab ipso cui aduenit potest antèuideri, quàm teneri. Iuxta illud beati Iob de se confitentis o: *Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.* Nec veniens quippe videtur, nec recedens intelligitur, qui solummodò dū præsens est, lumē est animæ & intellectus; quo inuisibilis videtur, & incogitabilis intelligitur. Cæterùm quàm admirabilis sit, licet occultus sit iste Aduētus Domini, quā suaui & felici stupore in admirationē sui suspēdat & expēdat animā cōtēplantis, quomodo omnia ossa interioris hominis acclament ei, Domine quis similis tui? norunt quidem experti: sed vtinam satis desiderent experiri non experti. Ita duntaxat, vt non temeraria curiositas faciat scrutari maiestatē opprimendos à gloria, sed pia charitas suspirare dilectum suscipiendos à gratia. *Suscipiens enim māsuetos Dominus, humilians autē peccatores vsq; ad terram p, superbis resistit, humilibus autem dat gratiam q.* Cùm igitur primus Aduentus sit gratiæ, nouissimus gloriæ: iste ministrū gratiæ pariter & gloriæ: in quo videlicet per consolantem gratiam, futuram nobis vtcunque datur prælibare gloriam.

n Isai. 24. cap. 16.
o Iob 9. b
p Psal. 146. a
q Iacob. 4. b

5\. Cùm igitur in primo Deus maiestatis visus sit contēptibilis, in nouissimo autem videndus sit terribilis, in isto medio videtur mirabilis & amabilis: vt nec propter dignationem gratiæ qua se præbet amabilem, possit esse contemptui, sed admirationi: nec propter magnificentiam gloriæ, qua mirabilis apparet, sit terrori, sed potius consolationi. De primo dicebat videns r: *Vidimus eum, & non erat ei species, neq; decor: vnde nec reputauimus eū.* De vltimo expauescit etiam iustus, dicens s, *& quis stabit ad videndum eum?* de isto autem dicit Apostolus t: *Gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu.* Mirabile prorsus, & amabile, cùm Deus amor amantis sensibus illabitur: cùm sponsam sponsus in vnitate spiritus amplectitur, & in eandem cum illa imaginem transformatur; per quā velut per speculū Domini gloriā speculatur. Quàm beati quorum ardens charitas hanc prærogatiuam iam meruit obtinere! sed & illi beati, quorum sancta simplicitas idē quandoque potest sperare. Et illi quidē iā de fructu amoris sui capiunt solatium laboris, isti autē tantò fortasse maiore merito, quantò interim minore solatio, portantes pondus diei & æstus, expectant aduentū remunerationis. Nos igitur, Fratres, quos nōdum consolatur tam sublimis experientia, vt patientes simus vsque ad Aduentum Domini, consoletur interim certa fides & pura conscientia, quæ tam feliciter quàm fideliter cum Paulo dicatur: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem*: in aduentum scilicet gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, cui est gloria in sæcula sæculorū Amen.

Christus in primo adu. contemptibilis: in vltimo terribilis: in medio amabilis & admirabilis.
r Isa. 53. a
s Mal. 3. a
t 2. Cor. 3. d
Felicitas animæ per spiritualem Christi aduētum.
u 2. Timot. 1.

DE ADVENTV DOMINI

Sermo III.

Paratus est Israël in occursum Domini, quoniam venit. Amos 4.

1\. ET vos fratres estote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Nihil certius quàm quòd veniat, sed nihil incertius quàm quando veniat. Vsq; adeò siquidem non est nostrum scire *tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate* a, vt nec Angelis qui assistunt ei, de illa, vel hora scire datū sit, dies quoq; nostri vltimus, certissimus nobis veniat: incertissimus est quādo, vel vbi, vel vnde nobis adueniat: nisi quòd, vt ante nos dictum est, senibus est in ianuis, qui iuuenibus est in insidiis. Et vtinam vel illi se obseruarent, qui mortem iā paratam intrare, imò iā intrantē video. An nō ex parte iā intrauit, quæ aliquas partes corporis iā permortuas occupauit? In pluribus tamē semimortuis videre est adhuc viuentem concupiscentiam mundi, frigescunt membra, & feruet auaritia: vita finitur, & ambitio protrahitur. Quandoquidem nobis quo... quibus fortassis ætas, aut salus aliquid longius promittere videtur, quatominus

a Act. 1. a
Mors senibus in ianuis, iuuenibus in insidiis.

mors in conspectu est, tanto magis, vtique, si sapimus, suspecta est: ne videlicet dies illa sicut fur in nocte incautos & imparatos nos comprehēdat, quæ in insidiis posita, quò minus videri aut caueri potest, eò magis timenda est. Vna igitur securitas est, nunquam esse securum: quatenus timor se obseruans reddat semper paratum, donec securitas succedat timori, non timor securitati. *Obseruabo me,* inquit b Sapiens, *ab iniquitate mea,* quādoquidē nō possū à morte mea: sciēs quia *iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* c: imò in morte triūphat, cui nō dominatur iniquitas in vita. Quàm pulchrū fratres, quàm beatum, in morte non modo securum, sed & gloriosum triumphare; ex authoritate conscientiæ, spiritu & voce Martini cruētā bestiam si astare præsumpserit, increpare: iudici venienti & pulsanti gratanter aperire! Tū verò videas, heu, similes mei trepidare, inducias petere, nec accipere: oleū conscientiæ lāmētis pœnitentiæ velle emere, nec tempus sufficere: larualesillas facies declinare velle, nec posse à facie iræ tonantis velle in corpore delitescere, & cogi exire. Exibit spiritus eius, & reuertetur peccator in terram suam, vnde sumptus est. In illa die peribūt omnes cogitationes eorū. Scio quidem, quia conditionis humanæ est, sub discrimine exitus conturbari, cùm etiā perfecti nolūt expoliari, sed superuestiri: & qui nihil sibi sunt cōscii, quia tamē non in hoc sunt iustificati, necesse habent iudiciū, quod ignorāt, vereri. Sed siue conditionis affectu, siue sanctitatis defectu, siue iudicii metu cōturbata fuerit anima mea, inquit Iustus d. *Tu Domine misericordiæ memor eris, mittesq; misericordiā tuā & veritatē tuam, & eripies animā meam de medio catulorū leonū*: & qui priùs cōturbatus erā, postmodum e *in pace in idipsum dormiam & requiescam.* Vocauit Deus terram, & audiuit eum in tremore. Cùm n. auditū fecit de cœlo iudicium, audita solo terra tremuit, & terrore purgata quieuit. Beati qui nunc catenus excoquunt in fornacem scoriam peccati, vt tūc solo iudicii timore purgari. Mecum siquidem seruo inutili & negligenti bene agitur, si vel per ignem saluus fiam: si crematis lignis, fœno, stipula, quæ mihi coaceruaui, vel seminaui euadam. Et quidem comparatione mali, bonum, vel per ignem saluari: sed indubitanter longè meliùs, sola purgatione metus consummari: optimum autem & fœlicissimum, nec metu turbari.

b Psal. 17. b
c Sap. 4. b
Martini in morte fiducia
Timor in morte.
d Psal. 56. a
e Psal. 4.
Animæ vel hic vel ibi purgandæ.

2\. Idcircò paratos estu, ô verus Israel in occursum Domini non solùm, vt cùm venerit & pulsauerit, aperias ei: sed etiam adhuc illo longè agente, alacer & gratulabundus occurras ei: & tanquam fiduciam habēs in die iudicii, regnum eius aduenire pleno precetis affectu. Si ergo vis tunc paratus inueniri, *ante iudicium para iustitiam tibi;* iuxta consilium Sapientis f, paratus sis ad omne opus bonum faciendum: paratus sis nihilominus ad omne malum patiendum: vt sine reprehensione cordis cantet os tuum g: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Paratum quidē, vt te cooperante faciam digna; paratum, vt patiar indigna. Et adeò paratū ad vtrūque, quod *cantabo & psallam in gloria mea*: Id est, laudabo & glorabor pro vtroque. Et statim in hoc ipsum se Iustus excitat h. *Exurge,* inquiens *Psalterium, & cythara,* id est, cor meum & caro mea, ad exultandum in Deum viuum. Cor scilicet, propter speciales actiones; caro, propter suas passiones. Cor nāq; sapiens quæ sursū sunt, psalterium est sonās de superiori: caro patiens quæ deorsum sunt, cythara sonans ab inferiori. Sic & alibi deuotionē suā Dauid offerēs Deo; *Paratus sum,* inquit, *vt custodiam mandata tua*: & tā paratus, quòd *non sum turbatus*, cum tentatio irrueret, & persecutio grassaretur. * Cum persequeretur æmulus, malediceret seruus, animā quæreret filius, non sum tamē turbatus, quò minùs custodirē mandata perfectionis Euangelicæ: retribuentib. mala pro bonis, retribuēs bona pro malis: sollicit⁹ de persecutoris salute, mœst⁹ de morte: sustinens à seruo exprobrari, non sustinens ab amico vindicari. Ecce ante Euangeliū Euāgelica perfectio, charitas scilicet patiens & benigna, et erga malignos, quos tolerat. Quia igitur iā paratus erat, fiducialiter Domino nuntium occurrebat, *Sine iniquitate,* inquit k, *cucurri, &*

f Eccli. 18. c. 19.
g Psal. 56. b
h Ibid.
i Ps. 118. h
* 2. Reg. 15. 16. 17. & 18.
Dauidis insignis pietas in ipsis malis & aduersis.
k Psal. 58. a

direxi distortos quantum in me fuit. *Tu exurge igitur in occursum meum*[l] occurrentis tibi: & quia nec sic pertingere possum ad celsitudinem tuam, nisi tu condescendens operi manuum tuarum porrigas dexteram, *exurge in occursum meũ, & vide si via iniquitatis in me est*: & si inueneris nescio quam viam iniquitatis, amoue à me: & lege tua misertus mei *deduc me in via æterna*, id est, Christo, qui via est per quam itur, & æternitas ad quam peruenitur: via immaculata, mansio beata.

l Psal. 138. d
Ibidem.

3. Puto tamen quia & ante mansionem illam beatam, si paraueris Domino viam immaculatam, ipse dignabitur sæpius in via ponere gressus suos, dilatabitq; subitus gressus tuos, vt dilatato corde curras viã mandatorum, cuius angustũ fortè causabaris initiũ. *Sapientia*, namq; vt ipsa perhibet[m], *in viis iustitiæ ambulat: & qui continens est iustitiæ apprehendet illã, & obuiabit illi quasi mater honorificata*[n]. Dignos seipsa circuit quærens, & in viis suis ostẽdit se illis. Si minus aut nunquã tibi eã occurrere cõquereris, vide ne fortè viã tuam corruperis. Sic enim scriptũ habes: Insipientia viri corrũpit viam suam: Deum autem causabitur in corde suo. Ipse siquidẽ stat ad ostiũ & pulsat: vt si quis aperuerit ei, cœnet cum eo cœlestis mensæ delicias. Loquitur spõsa[o]: *Vox dilecti mei pulsantis, Aperi mihi soror mea spõsa*. Aperi mihi cor tuũ, & cibabo illud. Aperi mihi os tuũ, & implebo illud. *Os meũ*, inquit Dauid[p], *aperui, & attraxi spiritũ*. Spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus, nõ modò inuitandus, sed & attrahẽdus quadam violentia precis, vehementiaq; feruoris, in hospitium cordis: sicut de duobus discipulis in typum huius rei historia refert Euangelii[q]. Et ipse siquidẽ nõ ob aliud, nisi vt probet deuotionẽ charitatis tuæ, aliquando se fingit longius ire: sicut & duo Angeli, Loth adorãte & obsecrãte vt intrarẽt, dissimulabant tamẽ dicẽtes[r]: *Minimè, sed manebimus in platea*. Sed quid dicit scriptura? *Cõpulit illos oppido, vt diuerterẽt ad eũ*. Pia violentia, qua regnum cœleste rapitur: laudabilis importunitas quæ Christũ hospitẽ, aut Angelos promeretur. Sed quid est, inquis, quod Iesus fingit se longius ire? Quid nisi illud quod Ecclesiastes cõfitetur de se[s]: *Dixi, Sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me*? Hoc autẽ sponsa manifestius exponit, nostram vtiq; quotidianam exprimens querimoniam, vbi ait[t]: *Surrexi aperire dilecto meo: at ille declinauerat, atq; transierat. Quæsiui illum, & non inueni: vocaui, & non respondit mihi*, sicut nec mulieri Chananeæ. Spiritum sapientiæ inuocabas, spiritum gratiæ quærebas in oratione: si tibi videtur longiùs recedere, ne desperes, sed importunus insiste, donec respondeatur tibi[u]: *Magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti*.

m Prou. 8. c
n Eccl. 15. c
o Cant. 5. b
p Psal. 118. b
Christus non solum inuitãdus, sed & attrahendus
q Luc. 24. d
r Gen. 19. a
s Eccl. 7.
t Cant. 5. b
u Matt. 15. c

4. Cum tamen inuitas Iesum, vide ne Deum maiestatis, ad sordidum & indignũ inuites hospitium; vbi nec seipsum patiatur habitare quietum vxor litigiosa, seu fumus, aut stillicidiũ. Non enim nisi in pace fit locus eius: nec aliud quàm iustitia & iudicium, præparatio sedis eius. Nunc autem me, inquit[x], *de die in diẽ quærunt, & scire vias meas volunt; quasi gens quæ iustitiã fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit. Iustitia*, inquit[y], *& iudiciũ præparatio sedis eius*. Noli causari quasi sumptuosũ sit, viresq; tuæ excedat paupertatis, tã magnifico, tamq; potẽti præparare domum hospitii: habes ad manum vnde id possis. Humanũ dico propter infirmitatem carnis tuæ, vel magis angustiam mentis tuæ. Confitere perfectè de præterito, bonam voluntatem habe de cætero: *pax enim hominibus bonæ voluntatis*, & hoc iudicio & iustitia sedem Altissimo præparasti. Vis manifestiùs audire de confessione, quòd eam oporteat fieri in præparatione Aduentus Domini. *Iustus*, ait Scriptura[z], *in initio sermonis accusator est sui*. Et quid sequitur? *Venit amicus eius*, qui modò ante confessionẽ inimicus assistebat longiùs. Cum enim dixit, Confitebor aduersum me iniustitiam meã Domino, & ipse remisisti. *Venit*, inquã, *& inuestigabit eu*. Prorsus inuestigabit, tanquam potio valida, scrutans corda & renes: pertingens vsq; ad diuisionem animæ & spiritus, exhauriens noxia de medullis animæ, mentisq; visceribus, purgans affectus, vt frugum plus afferat: de cuius primitiuo fructu confessionis, iam gaudet pater agricola. Ipse tamen qui post confessionem nonnunquam & antequam inuocetur, adest, nonnũquam expectat vt tu prior eum inuites: & vt meritũ tibi augeat, sæpe diutius dissimulat: vt tu attentius psallendo, instantius orando, dulciter violentus intrare cõpellas: alioquin plãget Propheta[a] quòd *ciuitates austri clausæ sint*, nullo introeunte. Cum ergo dicere potueris: *Paratũ cor meũ Deus*, quia vacuatum à malis: *paratum cor meum*, quia sanctũ plenũ desideriis: tunc sedulus fac quod sequitur: *cantabo & psalmum dicam*[b]. Et quicunq; sit sonus cãtãtis vel psallentis, hæc sit intentio mentis. Exurge gloria mea, exurge in occursum mei: quia quantum potui, occurri tibi. O benigne Iesu, quàm alacer & prõptus, quam lætus & festiuus occurris huiusmodi deuotioni: quàm hilarem te ostendis in viis istis! *Occurristi*, inquit Isaias[c], *lætanti & facienti iustitiã: in viis tuis recordabũtur tui*. Si enim psallas sapienter, in via immaculata venies, venies qui & illuminabis abscondita tua, vt quæ nescis intelligas mysteria scripturarum, etiã q; vt dicã[d]: *Psallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me. Excita Domine potentiam tuam*, quæ excitet pigritiam nostram in occursum tui: *& veni, vt saluos nos facias*[e], Saluator mundi: qui viuis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

x Isai. 58. a
y Psal. 58.
Quam id facile paratu.
z Prou. 18. c
a Ierem. 13.
b Psal. 56.
c Isai. 64. b
d Psal. 100. a
e Psal. 79.

DE ADVENTV DOMINI
SERMO IV.

Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Matth. 3. Ex Isa. 40. a. 3.

5. PRimò omnium considerandam arbitror gratiam deserti, beatitudinẽ eremi: quæ ab initio gratiæ, quietẽ Sanctorum meruit consecrari. Consecrauit nobis planè habitationem deserti vox clamantis in deserto, Ioannes prædicans & tribuens baptismũ pœnitentiæ in deserto: quanquam & ante ipsum quibusq; sanctissimis Prophetarum, vel auditorũ Spiritus, amica semper fuerit solitudo. longè tamen excellentior atq; diuinior ipsi loco gratia sanctificationis accessit, cùm Iesus Ioanni successit: qui etiam antequam prædicare pœnitentibus inciperet, locum pœnitentibus præparandum putauit: atq; per dies quadraginta dum versatus in deserto, velut purificans locũ, nouumq; nouæ vitæ dedicans locum, tyrannum qui incubabat, omnemq; malitiam & subtilitatem eius, nõ tam sibi quàm illis qui accolæ eremi futuri erãt, superauit. Si ergo elongasti fugiens & manens in solitudine, ibi permane, ibi expecta eum qui te saluum faciet à pusillanimitate spiritus, & tẽpestate. Quãtalibet ingruat tibi tẽpestas bellorum, quantacunq; patiaris in deserto, penuriam etiam victualiũ, noli pusillanimitate spiritus redire mẽte in Ægyptum. Felicius te pascet eremus mãna, id est pane Angelorum, quàm Ægyptus ollis carniũ. Ipse Iesus quidẽ in eremo ieiunauit; sed multitudinẽ sequentium se in deserto, sæpè & mirabiliter pauit. Sæpius autẽ & mirabilius te satiabit, qui tanto gratiore merito, quanto sanctiore proposito secutus es eum in deserto. Cùm enim diutius eum tui oblitum putaueris, ipse suæ nõ immemor bonitatis, cõsolabitur te, & dicet tibi[a]: *Recordatus sum tui, miserans adolescentiã tuã, & charitatem despõsationis tuæ, quãdo secuta es me in deserto*. Tũc planè ponet desertũ tuũ, quasi delicias paradisi: & ipse confiteberis, quia *gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron*[b]. Sicut enim in multis hodie locis, etiã iuxta literam illud propheticũ videmus impleri, *pinguescẽt speciosa deserti*[c]; *& deserta in vbertatẽ versa auena comedent*[d]: sic quilibet scripturæ locus, qui antè tibi sterilis videbatur & aridus, repẽte ad benedictionem Dei mira replebitur tibi vbertate, & pinguedine spiritus: vt de saturitate mẽtis eructes hymnũ laudis, *confiteantur* inquiens *Domino, misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum: quia satiauit animam inanem, & animã esurientẽ satiauit bonis*[e].

Sancti cultores solitudinis.
Eremi seu Vitæ solitariæ commendatio.
a Ierem. 2. a
b Isai. 35. a
c Psal. 64.
d Isa. 5. d
e Psal. 106. a.

Illud sanè mirabili gratis prouisum est diuinæ dispensationis, vt in his desertis nostris, quietẽ habeamus solitudinis: nec tamẽ cõsolatione careamus gratiæ & sanctæ societatis. Licet cuiq; sedere solitariũ & tacere: eò quòd neminẽ patiatur interpellantẽ: nec tamen væ soli, eò quod non habeat consouentẽ, aut si ceciderit subleuan-

In solitudine non deest cõsolatio societatis.

tem in frequentia hominum sumus, & sine turba sumus: velut in vrbe versamur, nullum tamen tumultum patimur, quominus vox clamantis in deserto à nobis audiatur: si modò interius sicut exterius silentium habeamus.

f Eccl. 9. d
Qualis solitudo quærenda.

Verba nãque sapientium, ait Salomon[f], *audiuntur in silentio: plus quàm clamor principis inter stultos.* Et nunc quoque si medium silentium teneant omnia interiora tua: omnipotens sermo tibi secretus illabetur de sede paterna. Felix igitur, qui sic elongauit fugiens tumultum mũdi: qui tam procul recessit in secretũ, & solitudinem quietæ mentis, vt non modò vocẽ Verbi; sed & Verbum ipsum: non Ioannẽ, sed Iesum mereatur audire. Interim tamen quid vox verbi nobis clamet audiamus: vt quandoque de voce ad verbum proficiamus:

g Isa. 40. a

Parate, inquit, g *viã Domini: rectas facite semitas eius.* Parat viam, qui corrigit viam: rectã facit semitam, qui per arctiorem se dirigit viã. Planè vita correcta, via est recta, per quã Dominus veniat ad nos, qui in hoc ipsum præuenit nos. A Domino siquidẽ gressus hominis dirigentur, & viam sic eius volet, vt gratanter per eam veniens ad hominem, cum eo iugiter ambulet. Nisi enim suum ad nos Aduentum ipse præueniat, qui est Via, Veritas & Vita: non potest via nostra corrigi secundùm regulam veritatis, ac per hoc nec dirigi ad vitam æternitatis. In quo verò corrigit adolescentior viã suam, nisi in custodiendo sermones eius h, nisi in sequendo vestigia eius, qui viam fecit seipsum, qua veniamus ad ipsum?

h Psal. 118. a

Vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas ô Domine *vias tuas*: vt propter verba labiorum tuorum custodiam etiam vias duras: quæ etsi duræ videantur carni, quia infirma est, suaues & pulchræ videbuntur spiritui, si promptus est.

i Prou. 3. b
Viæ Domini, duræ carni, suaues spiritui.
k Prou. 16. a
l Psal. 80. c
m Psal. 33. a

Viæ, inquit, i *eius, viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ.* Non solùm pacatæ, sed & pacificæ sunt viæ sapientiæ: quia, cum placuerint Domino viæ hominis, etiam inimicos eius conuertet ad pacem k. *Israel si in viis meis*, inquit l, *ambulasset: pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.* Quare enim contritio & infelicitas in viis eorũ m, nisi quia viam pacis non cognouerunt? Eapropter si quãdo vidi hominem inquietum, contumacem, litigiosum, grauissima tentatione vexati, vel tribulatione flagellari, recordabar illius prouerbii n:

n Prou. 17. a

semper iurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittetur contra eum, cui traditur forsitan in afflictionem carnis, vt spiritus saluus fit in die Domini. Si tamen aliquando prosperatur via impiorum, noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias: o quia hæc via eorum scandalũ ipsis: vt tantò liberiùs in mortem currant, quantominus sepitur eis via qua ambulant.

o Psal. 36. a
Prosperitas impiorum plena periculis.
p Eccli. 21. b
q Iob 21. b

De istis Sapiens loquitur p: *Via peccantium complanata lapidibus: sed in fine illorum, inferi, tenebræ & pœna.* Et, *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto descendunt ad inferos* q. Beati igitur immaculati in via, qui ambulant in via Domini: quia & si de torrente in via bibunt, propterea exaltabunt caput; quia caput suum quod sequuntur per viam passionis, consequentur in fine mansionis.

3.

Quidquid igitur occurrerit vobis in via Domini, læto ac dilatato corde currite viam mandatorum Dei: quia & si pusillanimis arcta videtur via, tamen recta; & si dura videtur, immaculata est.

Via Domini immaculata alacriter currenda.

Planè beati immaculati in via, qui sic immaculato calle transeunt viam mundi, vt non inquinent vestimenta sua: aut certè si inquinauerunt, secundum beatitudinis non amittunt locum: sed lauant vestimenta sua baptismo pœnitentiæ, quo Ioannes baptizat in eremo, viam parans Domino. Via vtique immaculata, castitas: via grata, per quam Dominus gratiæ dignanter veniat: cui Propheta cantat r, *Deus meus impolluta via eius.*

r Psal. 17.

Impolluta castitas virginis, qua venit in vterum illius: impolluta necesse est sit castitas hominis, qua veniat in animam illius. Felix conscientia, cui cõuenit vox illa: *Deus præcinxit me virtute* continentiæ, *& posuit immaculatam viam meam* s.

s Ibid.

Veruntamen ne de castitate sine virtutibus aliis glorieris, quasi iam viam immaculatam Domino parsueris: scito quia nihilominus necesse est, vt via hæc etiam recta sit, plana sit, vt etiã tenebrosa vel lubrica non sit. *Nam via impiorum tenebræ &*

A *lubricum: & Angelus Domini persequens eos* t. Et via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi * currunt u.

t Psal. 34. a
* al. corruant.
u Prou. 4. c
Quomodo paranda via Domini.
a Isa. 40. b
Luc. 3. b

Putamus ne, fratres, in aliquo nostrũm inueniatur adhuc prauum aliquid in voluntatibus, asperum in moribus, tenebrosum per ignorantiam sensus, lubricum per inconstantiam actus? Quomodo autem scripturam a de via paranda implebimus, nisi, sicut scriptum est, faciamus: *vt sint praua, in directa: & aspera, in vias planas?*

4.
1. Voluntatis prauitas corrigenda.
y Ezech. 18. g

Primò itaque necesse est, vt si qua est in nobis praua & distorta voluntas, corrigatur: & ad regulam diuinæ voluntatis dirigatur. Aliter videbimur dicere, sicut impii dicunt y *Non est recta via Domini.* Sed statim refellit nos irrefragabilis veritas, & increpat terribilis seueritas. *Nunquid non viæ meæ rectæ sunt, & non magis viæ vestræ prauæ sunt?* Qui igitur viam Domino parare festinas, primò B omnium bona sit voluntas: *quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia* z.

z Sap. 1. a

Cum autem hoc modo posueris praua in directa: scito quia non minus necesse est, vt aspera sint in vias planas: vt scilicet omnem morum complanes asperitatem, & in quandam vitæ socialis fraternæ æqualitatem: ne mitis & suauis ille viator offensus asperitate viæ resiliat.

a Asperitas morum complananda.

Quidni resiliret ille *mitis & humilis corde*, qui non nisi super mansuetum requiescit & humilem; cum etiam humanus omnis sensus refugiat & horreat hominem iracundum, & intractabilem.

5.
3. Lucerna pedibus adhibenda, id est, verbum Dei.
a Psal. 141. a

Sed & si eatenus profecisti in via Domini, vt & propositum rectitudinis, & disciplinam mansuetudinis assecutus sis, profecisti quidem, sed non perfecisti: nisi lucerna sit pedibus tuis verbum Dei, & lumen semitis tuis. *In via enim qua ambulabam* ait a, *absconderunt laqueum mihi.* Et sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, nouissimum autem earum ducit in profundum inferni. *Via enim impiorum tenebrosa*, vt Salomon ait b: *Nesciunt vbi currant* *. Hoc & Dominus ait c: *Qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.*

b Prouer. 4.
* al. corruat.
c Ioan. 12. c
d Prou. 6. c

At verò mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ d. Qui enim increpationes relinquit, errat. Si igitur sapis, in via qua nunquam ambulasti, non ipse tibi doctor aut ductor eris, sed aurem magistris inclinabis, & increpationibus eorum acquiesces, & consiliis; & operam scientiæ & lectioni dabis, ne serò pœnitens dicas e:

4 Magistri viæ spir audiendi.
C
e Prouerb. 5.

Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum? nec audiui vocem docentium me, & magistris non inclinaui aurem meam? Penè fui in omni malo, in medio Ecclesiæ, & synagogæ. Quòd enim scientia legis liberet à laqueis, audi confitentem Dauid f. *Posuerunt peccatores laqueum mihi, sed de mandatis tuis non erraui.* Quomodo id potuit? *quia hæreditate acquisiui testimonia tua* g. *Et in via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis* h. *Me expectauerunt peccatores, vt perderent me: sed per hoc euasi, quia testimonia tua intellexi* i: *lex Dei*, inquit k, *in corde iusti, & per hoc non supplantabuntur gressus eius.* Hinc & filius eius Salomon ait l: *Simulator ore decipit amicum suum, iusti autem liberabuntur scientia.*

f Psal. 118. o
g Ibidem.
h Ibidem.
i Ibidem.
k Psal. 36. d
l Prou. 11.

6.

Sed vtinam hæc via, qua salutem vel Saluatorem suscipere debemus: sicut iam non est tenebrosa per ignorantiam veri, sic nec lubrica sit per inconstantiam operis. D Sed sicut Balaam † cadens apertos habebat oculos, sic & nos: & videmus apertis oculis per scientiam, & cadimus per negligentiam.

†. Num. 22. c

Volentes & scientes peccamus, & libentes lubricamus: nec tam lubricum viæ causari possumus, quam propositum mentis, id est pedem cui innitimur. Quis enim non ambulat in lubrico, dum in mundo, dum in corpore viuit luteo? Non igitur tam via quàm pes in culpa est, qui in via Dei minus firmus est. Sed nũquid qui cadit, non adiiciet vt resurgat m? Septies cadit iustus in die & septies resurgit n. Dominus enim erigit elisos, Dominus dirigit iustos o. Nam si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me p.

m Psal. 40. b
n Prou. 24. b
o Psal. 145. b
p Psal. 93.

Quando igitur aliter non potes, cadens, surgens viam ambula, clamans tamen semper ei, quem sequi & consequi desideras q: *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.* Et, *si via iniquitatis in me est* (vt est humana fragilitas) *deduc me in via æterna* r, quatenus per te, qui es via & veritas, perueniam ad te, qui es veritas, & vita æterna, tibi gloria per æterna secula Amen.

q Psal. 16. b
r Psal. 138. d

DE ADVENTV DOMINI
Sermo V.

Parate viam Domino. Matth. 3. a. & Isai. 40. a.

1. Via Domini, fratres, quam parare iubemur, ambulando paratur, parando ambulatur. Et licèt multum profeceritis in ea, semper tamen vobis restat paranda: vt de his in quæ peruenistis, tendatis, & extendatis vos in vlteriora: quatenus per singulos profectus, Dominus, cuius aduentui via paratur, quasi nouus, ac se ipso semper maior occurrat. Ideò bene Iustus orat a: *Legem pone mihi Domine viã iustificationum tuarũ, & exquiram eam semper.* Ideò forsitan vita æterna dicta est, quia licet prouidentia semitam cuiusq; inuestigauerit, terminumque constituerit quousq, proficiat, terminum tamen non habet, illius in quam proficitis, bonitatis natura. Itaq; sapiens impigerq; viator, cum consummatus fuerit, tunc incipiet: ita scilicet obliuiscens quæ retrò sunt, vt quotidie dicat sibi: *nunc cœpi.* Exultat vt gigas, quẽ nil terreat ad currendam viam mandatorum Dei: Idithunq; factus, pigros qui in via resident, facilè transilit in impetu cursus sui. Et licet nouissima diei hora venerit, cõsummatus in breui explet tẽpora multa: vt repẽte de nouissimo primus, inter primos coronam accipiat.

a Psal. 118. d

Iustus semper ad perfectiora contendit.

B

2. Sed nos qui de profectu viæ eius loquimur, vtinã vel initium eius apprehenderimus. Meo namq; sensu, atque iudicio non parùm in ea proficit qui cœpit, si tamen verè cœpit, si viam ciuitatis habitaculi inuenit. Quam pauci sunt, ait Veritas b, qui inueniunt eam: quàm multi sunt qui in solitudine errant, prorsus omnes solitarii, id est, omnes superbi, qui se solos reputant. Nullus eorum adhuc dicere potest c: *nũc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi. Non enim est illis cõmutatio* d, vt desinant esse quod erãt quia *non timuerunt* Deũ, cum *initiũ sapiẽtiæ sit timor Domini*. Si initiũ sapientiæ, nimirum & viæ bonæ. Ipse nempe timor Domini, ipse est qui statim illud sapiens consiliũ generat in corde viri, vt dicere possit d: *Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* Ipse cõfessionem persuadet, quam Psalmista initium boni operis esse docet, *Incipite*, inquit e, *Domino in confessione.* Ipse ad pœnitentiam superbum inclinat, vt vocem clamantis in deserto, viamq; parari iubentis, & vnde incipiendum sit ostendentis audiat f: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* Huic sententiæ consonat Salomonis, qui manifesta diffinitione rudes instruit, dicẽs g: *Initium viæ bonæ, facere iusta.* Quid est enim iusta facere, nisi pœnitentiam agere: nisi de nobis ipsis quod Deo debemus exigere, & quod rapuimus exoluere? Hæc est iustitia quæ ante Dominum ambulat, viamq; ei placitam parat: sicut scriptum est h: *Iustitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Sicut enim Ioãnes Iesum, sic pœnitentia gratiam præcedit, illam scilicet gratiam, qua post satisfactionem reconciliati suscipimur in osculo pacis. In hac siquidem pœnitentiæ via, grato atq; hilari occursu obuiant sibi, seseq; osculantur iustitia & pax: iustitia scilicet hominis se punientis, & pax Dei ignoscentis: lætumq; ac iucundum celebrant in osculo sancto fœdus reconciliationis. Deniq; ne parui æstimetur meriti hæc iustitia hominis de semetipso facientis iudicium & iustitiam: neue oratiunculæ, & vota pigrorum se laboribus pœnitentium comparare præsumant: quid de ipsa Salomon sentiat, audiant: *Initium*, inquit i, *viæ bonæ, facere iusta: accepta autem Deo magis, quàm immolare hostias.* Si ergo videris hominem huic pœnitentiæ professum, regularibus ac sanctis laboribus, quorum debitor est, singulares oratiunculas præferentem: ingere ei hãc sapientis sententiam *Initium viæ bonæ, facere iusta: accepta autem magis Deo, quàm immolare hostias.* Similiter si videris hominem, aduersus quem frater suus aliquid habet, munus seu laudum, seu Sacramentorum ad altare offerentem, repete ei nihilominus eundem sermonem: *Initium viæ bonæ, facere iusta*, vt statim reconcilieris: *accepta autem Deo magis, quàm immolare hostias.* Nam & illò etiam spectat hæc sententia, vt daturus eleemosynam, prius si quẽ defraudauit, vel simplum restituat. Sic & tu quoq; voluntaria oris tui beneplacita nullatenus Deo esse credideris, illa scilicet quæ in psalmis, vel in orationibus secretis ei obtuleris; si propterea canonẽ psalmorũ ex regula constitutum, negligentiùs exolueris. Nonne si rectè offeras, & non rectè diuidas peccasti k, *Rectas*, inquit l, *facite semitas eius*, vos qui paratis viam Domini.

In via cœpisse est profecisse.

b Matth. 7.

c Psal. 76. b

d Psal. 54.

d Psal. 118.

e Psal. 146. a

f Matth. 3. a

C

g Prou. 16. a

h Psal. 84. d

Pœnitentia quomodo præcedit gratiam.

i Prou. 16. a

Regularia præferenda arbitrariis.

D

A

k Gen. 3. iuxta LXX.

l Matt. 3. a. 3.

3. O Domine, tu parasti directiones nobis, si modò nos rectè ambulemus in illis. Tu legem posuisti nobis, viam iustificationum tuarum, per illum scilicet quẽ huius sanctæ institutionis legislatorem dedisti: hæc via, inquiẽs m, *ambulate in ea, neque ad dexteram, neq; ad sinistram*: hæc via planè sicut Propheta promiserat n. *via directa nobis ita vt stulti non errent per eam.* Iunior fui, etenim senui; & non vidi, si benè memini, stultum errantem per viam: cũ vix aliquem sapientem viderim, qui rectitudinem eius tenere potuerit. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes* o: quos sapientia vestra deuios abducit à via salutis, nec sinit stultitiam sequi Saluatoris. Non ignorabat ille stultus propter Christum, quid hæc sapientia terrena, animalis, diabolica, mali faciat, qui dicebat p: *Si quis sapiens esse videtur in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens apud Deum.* Optabilis stultitia, quæ diuino iudicio reputatur sapientia, quæ hominem non sinit errare de via: hæc stultitia, nisi fallor, est illa de sursum sapientia q, pudica, pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens: à quibus omnibus quàm procul abhorreat sapiens in oculis suis, vtinam nunquam experientia ipsa probasses in oculis nostris. Si contristat vos arrogãtia, seu peruicacia huiusmodi sapientium, consolatur abundantiùs nostrorum pax atque modestia stultorum, qui quanto minus sibi credunt, tantò suadibiliores bonis consentiunt. Tales itaque stulti non errant facilè de via Dei, sed iuxta verbum Prophetæ r semper audiunt vocem post tergum monentis: *Hæc via, ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad sinistram* s: ne scilicet per feruorem excedentes modum, aut per teporem subsistẽtes citra modum, legem præscriptam viamque deseratis regiam. Spiritus est ad dexteram, caro est ad sinistram: & hęc sibi colluctatione semper sibi aduersantur, vt nõ quęcunque vult, siue ista, siue illa faciamus: ne si plus iusto sequimur impetum spiritus, declinemus ad dexterã: aut si plus iusto carni indulgemus, deuiemus ad sinistram.

m Isai. 30. e

n Isai. 35. c

o Isai. 5. e

p 1 Cor. 3. d

Stultitia commendabilis.

B

q Iacob. 3. c

r Isai. 30. e

s Prou. 4. d

Cautè ambulandum in via Dom.

4. Hanc denique viam iustificationum Domini, viam veritatis quam elegistis, quanta laude prædicet Isaias, delectat me cum charitate vestra recordari. *Et erit* inquit *ibi*, id est, in antiquis cubilibus draconum, in terra vtique deserta & inuia, *semita & via*, sicut hodie cernere est: quia in feris & incultis hominibus qui sine lege viuebant, in ipsis inuenitur ordo vitæ, & disciplina. *Et hæc via*, inquit, *sancta vocabitur* t: quia nimirum sanctificatio est peccatorum, perditorumque salus. Quanta verò virtute ac reuerentia sanctitatis præmineat, inde probat Propheta: quia *non transibit*, inquit, *pollutus per eam.* O mi Isaia, ibunt igitur qui polluti sunt per aliam viam: Imò potius huc omnes, huc veniant, hac incedant: immundis enim præcipuè Christus hanc viam strauit, qui venit quærere, & saluum facere, quod perierat in viis sæculi. Quid igitur? Transibit pollutus per viam sanctam? Absit, veniat quantumlibet pollutus ad eam, non tamen transibit pollutus per eam: quia cum transierit, iam pollutus non erit. Admittit quidem via sancta pollutum, sed statim abluit admissum: quia diluit omne cõmissum, tanquam verè baptismus alter pœnitentium: hîc planè hîc baptizat non Ioannes, sed Iesus baptismo pœnitentiæ: hîc patet fons domus Dauid in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Propterea namque via hæc pollutum admittit, sed pollutum non transmittit: quia via arcta est, & quasi foramen illud angustum est, quo serpens innouandus cum exuuiis suæ vetustatis venire potest, sed cum ipsis transire non potest: sed nouum suaque nuditate melius vestitum, transitus angustia traiicit, extricans omnem quem attulerat squalorem vetustatis. Bene ergo prudentiam serpentis imitari rogamur, qui nec aliter innouari possumus, nisi per angustum coarctemur.

Viæ Domini, seu vitæ religiosæ commendatio.

C

t Isai. 35. b

Via Domini pollutos admittit, & abluit.

D

Serpentis prudentia imitanda.

6. Sanè quòd illius antiqui serpentis insidias euadamus, si per hanc arctam viam huius noui serpentis exemplum sequamur, Isaias promittit, qui de eadem via subdit t: *Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eã, nec inuenietur ibi.* Securi ergo simus, si de via non exorbitamus. Potest leo ille, qui circuit quærens quem deuoret, iuxta iter scandala ponere, laqueos abscondere, viatores rugitu terrere: sed persistentes in via, lædere nõ potest: quippe cui via ipsa terror & supplicium est. *Fortitudo* nempe *simplicis, via Domini, & pauor his qui operãtur malũ* u. Si ergo in via es, hoc solum time, ne devies, ne Dominum offendas, qui te per viam ducit, vt dimittat te vagum in via cordis tui: præter eum ne timeas alienũ. Quòd si nimis arctam viam causaris, prospice finẽ, quò te via ducit. Si enim omnis consummationis viderit finẽ, continuò dices x, *latum mandatum tuum nimis.* Si minùs videre potes, crede videnti Isaiæ, qui oculus tui corporis est. Ipse vtcunque videbat, cum id quod sequitur dicebat y: *Et ambulabunt* hac via *qui liberati fuerint, & redempti à Domino: & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum. Gaudium* quoque *& lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus.* Qui satis hunc finem cogitat, puto quia non solùm viam dilatat sibi, sed etiam pennas, vt iam nõ ambulet, sed volet, assumit sibi. Semper ergo, fratres, cogitate finem præmiorum, & cum omni facultate & alacritate curretis viam mandatorum. Per ipsam vos deducat & perducat ipse, qui est via currentium, & brauium peruenientium Christus Iesus, cui honor & gloria per omnia sæcula sæculorum.

t Isai. 35. 9
u Prou. 10. d
Via Domini lata si exitus spectetur.
x Psal. 118. m
y Isai. 35. d

DE NATIVITATE DOMINI
SERMO I.

Puer natus est nobis. Isaiæ. 9.

Isai. 9. b a

5. PVer, antiquus dierum. Puer, forma corporis & ætate: antiquus dierum, incomprehensibili Verbi æternitate. Quanquam & in ipsa sua dierum antiquitate, etsi puer non sit, nouus tamen semper sit, imò nõ tam nouus sit, quàm ipsa nouitas in se semper manens, & innouans omnia, à quo quæq; res prout recedit, inueteratur: prout reaccedit, renouatur. Et nouo quodam modo, vnde antiquus, inde nouus: quoniam quidẽ æternitas ipsius sine initio nascendi, sine defectu veterascendi, ipsa est & antiqua nouitas, & noua antiquitas ipsius. Alia tamen est nouitas huius temporalis natiuitatis, qua puer natus est nobis innouandis, qui ab æterno Deus natus est Angelis beatificandis. Illa quidem natiuitas amplioris gloriæ, sed ista profusioris misericordiæ. Ista siquidem propter me, qui misericordia indigebam, quoniam miseria circumdatus eram, & miseria quam expiare non poteram. *Ostende nobis misericordiam tuam* a, qui nondum idonei sumus videre gloriam tuam: appareat benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, vt per hanc digni efficiamur & idonei, quibus appareat maiestas & diuinitas Creatoris nostri Dei. Ostẽde nobis Domine misericordiam tuam, nostra indutam miseria, & nouo miserendi genere de ipsa miseria miserorum operantem remedia.

a Psal. 84. b

2. Ad hoc siquidem ars misericordiæ beatitudinem Dei, & miseriam hominis in vnitate Mediatoris temperauit; vt operante sacramento vnitatis per virtutem resurrectionis, beatitudo miseriam absorbeat, mortemque vita deglutiat; & totus homo glorificatus in diuinæ consortium naturæ transeat. Vsque adeò autem vniuersas infirmitates carnis, quibus ob culpam humana subiacet natura, absque culpa videlicet dignatio suscepit diuina; vt nec infantiæ recusaret iniurias, nec alia, quàm communis habet conditio, sortiri vellet exordia: excepto sanè quòd per Spiritum sanctum immaculatus nascens de immaculata, vitia nostræ originis emundabat, atque secundæ natiuitatis nobis sacramenta dedicabat. Itaque *paruulus natus est nobis* b, & Deus maiestatis exinaniens semetipsum, non solùm terreno mortalium corpori, sed etiam infirmæ ac pusillæ infantium se configurauit ætati. O beata infantia, cuius infirmum & stultum fortius & sapientius est omnibus hominibus; quia nimirum Dei virtus, & Dei sapientia sua in nostris, diuina operatur in humanis! Huius siquidem infantis infirmitas principem mundi triumphat, fortem armatum ligat, crudelem tyrannum captiuat, & captiuitatem nostram absoluit, & liberat. Huius infantia muta (vt videtur) & elinguis simplicitas, linguas infantium facit disertas. linguis hominum loqui facit & Angelorum, linguas diuidens igneas, inferius iste vt videtur; ipse est qui docet hominẽ scientiam & Angelum, tanquam verè Deus scientiarum, sapientia Dei, & verbum. O sacra & dulcis infantia, quæ veram humanis innocentiam refudisti, per quam omnis ætas in beatam redeat infantiam; tibique conformis fiat, non pusillitate membrorum, sed humilitate sensus, & pietate morum!

Deus summè beatus factus miser vt nostram auferret miseriam.
b Isaie. 9. b
Christi infantis infirmitas mundi principem deuicit.
Christo paruulo conformari det omnis fieri paruuli.

3. Prorsus vos filii Adæ, qui nimia grandes estis in oculis vestris, & in gigantæam enormitatem per superbiã excreuistis c: *nisi conuersi fueritis, & effecti sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum. Ego sum ostium regni* d, ait paruulus iste: nisi incuruemur altitudo vitiosa, non eos admittet humilitatis ianua. Ideò nimirum *conquassabit capita in terra multorum* e. & qui elati accedunt, repulsi capite illiso cadent retrorsum. Quid enim? Adhuc tu superbis terra & cinis, postquam Deus factus est humilis? Adhuc magnus es in oculis tuis, postquam Deus paruulus factus est sub oculis tuis? Ille semetipsum exinaniuit vt penè videretur esse nihil, sine quo factum est nihil: & tu in immensum inflaris & extolleris: existimans te aliquid esse, cùm verè sis nihil, ipse te seducis, clamat tibi Apostolus f; cùm etsi aliquid esses, si magnum aliquid esses, tantò magis humiliari te oporteret. *Quanto,* inquit Sapiens g, *magnus es, humilia te in omnibus: & inuenies gratiam coram Deo,* qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* h: qui & ipse vt tibi fieret exemplum, cùm esset maximus omnium, factus est humillimus omnium, & minimus. Parum erat ei, vt fieret minor Angelis, conditione mortalis naturæ, nisi & hominibus minor fieret ætate imbecillis infantiæ. Videat igitur pius & humilis, & glorietur: videat impius & superbus, & confundatur: videat, inquam, Deum immensum, paruulum factum, & infantulum adorandum, stupendum mysterium, redemptionem piorum, gloriam humilium, iudicium impiorum, ruinam superborum. O venerandum, ac tremendum mysterium, quàm sanctum & terribile est nomen tuum, fons misericordiarum, & abyssus iudiciorũ! Quis de hoc fonte bibit, & non amauit? Quis hãc abyssum considerauit, & non expauit? Qui non amauit, nequam & impius est: sicut qui non expauit, vecors & insensatus est. Nihil tamen est cur iudicium expauescas, si non aduersus misericordiam insolescas. Et ipse siquidẽ mallet amari, quàm seruiliter timeri: magisque probat, quod liber ac voluntarius offert affectus filiorum, quam quod coactitius extorquet metus seruulorum. Ideò & nunc cum primò se manifestauit mortalibus, puerum se maluit exhibere: magisq; amabilis, quàm terribilis apparere: vt quia saluare veniebat, & non iudicare: præferret interim, vnde prouocaret amorem: differret, vnde incutere posset timorem.

c Matt. 18. a
d Isa. 10. b
e Psal. 109 b
Christi paruuli humilitas confundit hominum superbiam.
f Gal. 6. a
g Eccl. 3.
h Iacob. 4. b
Mysterium incarnationis Dom quam efficax ad hominem immutandum.
Amor potior timore.
Deus factus est homo, malens amabilis, quam terribilis apparere.

4. Cum fiducia igitur accedamus ad thronum gratiæ eius, qui nec cogitare sine tremore poteramus de throno gloriæ eius. Nihil hic terroris: nihil seueritatis quam metuas: sed omnimoda benignitas atq; mãsuetudo, de qua præsumas. Et si potestas & terror apud ipsum est, totum tamen interim dissimulat, donec pœnitenti parcat, confitẽtem recipiat. Ne sit tibi scrupulo, quod grauiter deliquisti: nescit puer læsus irasci; aut si irascitur facilè potest placari. Verè nihil placabilius animo huius pueri, qui in hoc ipsum pacẽ tuam satisfactionemq; præuenit, prioreque legatos de pace mittit: vt qui reus es, velis reconciliari. Tantũmodò velis, & verè perfecteq; velis: nõ modò veniã indulgebit, sed & gratiã cumulabit: quinimò lucrũ non mediocre deputans, ouẽ recuperasse perditã, diẽ festum aget cum Angelis. Congruebat ergo cũ diuina mansuetudine ætas innocentis, ac facilis infantiæ satisq; conuenienter & commodè salutem peccatorum ab hac exorditus est ætate: vt quos reatus propriæ terrebat cõscientiæ, spes consolaretur non difficilis indulgentiæ.

Nota verba suauissima.
Deus quam placabilis sit, & pronus ad indulgentiam.

5. O puer dulcissime, Iesu bone, quã magna est multitudo

Aspiratio dulcis ad Puerum Iesum.

dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te & perficies ſperantibus in te, qui tantâ exhibuiſti nec dum ſcientibus te! A Prorſus dulcedo incompatabilis, & pietas ineffabilis; vt Deum qui creauit me, videam puerū creatum propter me: Deuſq; maieſtatis & gloriæ non ſolum ſimilis mihi fiat corporis veritate, ſed etiam miſerabilis, & velut humanæ indigens opis appareat ætatis infirmitate. Verè tu puer Deus, ſalutare vultus mei, & Deus meus; cùm totus ſis dulcedo, & deſiderium, dulciorem tamen te mihi facit teneritudo membrorū. Hæc nimirum te capabilem facit ſenſibus & affectibus paruulorū, qui nondum ſunt te ſolidū idonei capere cibum. Dulce interim, dulce prorſus & ſapidum, cogitare puerū Deum: quin etiā efficax & operatorium ad medendum ac dulcorandum, ſi quis in nobis eſt, rancorem animorū, ſermonum amaritudinem, morum auſteritatem. Neque enim crediderim, vbi ſenſus & memoria fuerit huius diuinæ dulcedinis, locū iræ vel triſtitiæ inueniri: ſed omnis indignatio, & amaritudo cum omni malitia tolletur à nobis. Ita fiet, vt quaſi modò geniti infantes, modò genitum infantem Dominum dignè laudemus & in conſonantia morum & vocum, ex ore infantium & lactentium perficiatur laus infantis, & lactentis Domini Ieſu B Chriſti, cui cum Patre & Spiritu ſancto laus & iubilatio, per æterna ſæcula.

DE NATIVITATE DOMINI.

Sermo II.

* Eleganter hæc verba expenduntur toto ſermone.

Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis * Iſaiæ. 9.b

1.

INde probatur quod natus eſt nobis, quia ſcilicet dat⁹ eſt nobis. Illic rectè dicitur natus, quibus videtur datus. Et omnibus quidē gratia natiuitatis huius oblata eſt, ſed non ab omnibus ſuſcepta eſt. Non enim omnium eſt fides. *In propria venit, & ſui eū non receperūt*.

a Ioan. 1.b

Inutiliter autem natus eſſet, niſi & datus eſſet: fruſtraq; factus eſſet filius hominis, ſi nō recepiſſent eum filii hominum, quibus daret poteſtatem filios Dei fieri. Væ igitur Iudæa incredula, ingrata & impia: ablatū eſt à te regnum Dei, & datum eſt genti facienti fructus eius. Eiectus Ieſus eſt de Synagoga, ſed ſuſceptus eſt ab Eccleſia. Eiect⁹ eſt de cōtradictionibus Iudæorum, conſtitutus eſt in caput Gentium. Ecce populus quem non cognoui ſeruiuit illi, auditu auris obediuit ei: cùm de vobis filia alienis, filiis ſceleratis & parricidis, ſit piis patris illa querela terribilis: C *Filios enutriui & exaltaui, ipſi autē ſpreuerūt me.* Sed qui ſpernit, nunquid non & ipſe ſpernetur? *Quia repuliſtis verbū Dei*, inquiūt Apoſtoli, *& indignos vos iudicaſtis vitæ æternæ. ecce conuertimur ad gentes.* O felix gētilitas! ecce affertur tibi Ieſus, curre obuiis manibus, extende manus, expande ſinus, deuotionem tuam probet tam actus quā affectus; filium, qui tibi offertur, ſuſcipe fide, amplexare affectu, ſemperq; inter vbera tua cōmoretur. Et ecce videor mihi audire vocē exultationis & confeſſionis, de cunctis partibus orbis: à finibus terræ laudes audio, gloriam iuſti. Eſt autem ſonus vt multitodinis, vt ſonus caſtrorum Dei, vox vna laudantium & dicentiū: *Puer nat⁹ eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* Ipſa eſt, ni fallor, Eccleſia lætabūda, & laudās, toto orbe terrarū; pro eo quod ſibi natum, ſibi datum amplexatur filium, quem oblatū, ſed ablatum meritò videt perfidiæ Iudæorū. *Lauda ſterilis qua non pariebas, decanta laudē, & iubila quæ nō parturiebas: quia* per hunc filium qui datus eſt tibi, *multi erunt filii deſertæ magis quā eius quæ* vinculo legis Deo marita, ei videbatur adhærere. *Tunc mirabitur & dilatabitur cor tuum, tunc dices in corde tuo: Quis genuit mihi iſtos? Ego ſterilis & non pariens, tranſmigrata & captiua: & iſtos quis enutriuit? Ego deſtituta & ſola, & iſti vbi hic erant?* D O mater incorrupta, virgo fœcunda, filius qui datus eſt tibi, hos tibi dedit. Eſt enim filius Altiſſimi, cui Pater iſtos adoptauit, vt ſint omnes conformes imaginis eius, & ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. *Dilata*, inquit, *ſtaque locū tentorii tui*: Ab ortu ad occaſum, & à mari ad mare, quia *ad dexterā & ad læuā penetrabis, & ſemen tuū gentes hæreditabit.* Iſte namq; vnigenitus Mariæ, primogenitus eſt omnis creaturæ, cui dicitur à Patre: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & poſſeſſionem tuam terminos terræ.*

b Iſa. 1. a

Chriſtus ablatus Iudæis & datus Gentibus.

c Act. 13. g

d Iſai. 9. b

e Iſai. 54. a

f Iſai. 49. f

Eccleſiæ antea ſterilis fœcunditas.

g Iſai. 54. a

h Pſal. 2. b

2.

A Sicut autem ſuſcepto Dei Filio, Eccleſia ſterilis peperit plurimos, & roborata eſt: ita ipſo eiecto, æmula eius ſynagoga, quæ multos filios habebat, infirmata eſt. Ideò enim hodie Eccleſia gratulabunda de dato ſibi filio gratiarum actione & voce laudis replet cælos: illa muta ſedet in tenebris, aut certè eiulatu fatigat inferos. Miſera & cæca, cur non aduertit quàm manifeſtè Deus eius ad nos tranſierit: quàm euidenter ipſa repudiata, ſolùmque retinente libellum repudii, literam dico legis, quæ adulteria ipſius coarguit, vniuerſam dotem ipſius, ad nouam ſponſus nuptam tranſtulerit? Ecce in manibus noſtris tabulæ matrimonii, in duobus Teſtamentis ecce Sacramenta vnctionum, dignitas Regum, ordo Sacerdotum, miniſteria Leuitarum cultus templi & vaſorum, ſacrificiorum veritas. omnis deniq; ipſorum gloria tranſlata ab ipſis, collata eſt nobis: quia cauſa & veritas omnium, *Filius datus eſt nobis.* Ipſe calicem legis, quæ in manu eſt Mediatoris, ex hoc Iudæo in hunc Chriſtianum inclinauit. Et omne quod in ea merum ac verum fuit, eliquatum nobis transfudit: fæx ſola, quæ non eſt exinanita, apud Iudæos remanſit: ipſam bibūt, ipſa pars calicis eorū. B

Iudæorum cæcitas non aduertens Deum ſibi ablatum, nobis datum.

Vniuerſa dos ſynagogæ ad nouam nuptā id eſt Eccl. tranſlata.

3.

Sed quid verbis moror? Nunquid enim poteſt enarrari, quæ & quanta ſunt data nobis, cùm iſte Filius datus eſt nobis? Nonne omne datum optimum, & omne donum perfectum ab ipſo, & cum ipſo, pariter ad nos deſcendit? Nonne vniuerſas opes cæli, omnes theſauros Dei, ſecum nobis adduxit? qui licet adhuc in ipſo contineantur abſconditi, multa tamen iam & magna, & quaſi donatiuum pugnaturis erogauit; ſed nihil omnia ad ea quæ victoribus reſeruauit. Quis enumeret tot munera charismatum, tot genera virtutum, noſtrorum ſcilicet varietatem armorum, ſubſidia Sacramentorum, fercula Scripturarum, gradus & ordines miniſtrorum: in omni ætate, ſexu, & conditione, natione & lingua, tot Martyrum trophæa, Confeſſorum inſignia, Virginum coronas? Si miteris, inquit Eccleſia, vnde repente mihi pauperculæ hæc multitudo diuitiarum, & magnitudo gloriæ: inde nimirum, quia Filius Dei datus eſt nobis, Deus gratiæ, Dominus virtutum, & Rex gloriæ. Imò magis mirum eſſet, ſi non ſequerentur Dominum bona ſua: cùm etiam ipſe ſit omnia bona. C *Inquirentes* (inquit) *Dominum, non minuentur omni bono*: quanto magis ſuſcipientes? Si enim miraris iſta nobis per Filium data, ego (vt plus mireris) adiiciam, omnia omnino nobis cū illo eſſe donata. Cùm enim Filium, per quem & in quo omnia ſubſiſtunt, Pater nobis donauit: *quomodo non omnia nobis cum illo donauit?* Omnia noſtra ſunt, ait Apoſtolus, quia noſter eſt auctor omnium & Dominus, vt & ſi videamur tanquam nihil habentes, inueniamur tamen omnia poſſidentes. Vides igitur quantum, & quale datum ſit Filius: quamq; probabile ſit, quod de ſapientia, quæ ipſe eſt, legitur: *venerunt mihi omnia bona cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius.* Quare autem hoc ita inculco, fratres mei? Quare? niſi vt diſcatis gloriari, quia *filius datus eſt nobis*: & quicquid mundus poteſt dare, aut promittere vobis, non modò vile & indignum ad illum, ſed etiam detrimentum propter illū deputetis. Non quomodo mundus dat, dat ille vobis: tantùm grati eſtote, quia datus eſt vobis, & ſatagite, vt amplius & perfectius detur vobis. Qui enim ſemel datus eſt mundo in forma carnis, & certis diebus, aut horis datur fidelibus in ſpecie panis, ſcilicet, in eſu Sacramenti ſui: ſæpius & incertis horis datur deuotis, in guſtu ſpiritus ſui. Primum ad redemptionem: ſecundum ad ſanctificationem: tertium etiam ad conſolationem. Primum exigit, vt fides ſit recta: ſecundum, vt conſcientia pura: tertium, vt deuotio prompta: hæc mentem eleuat, vt gratiæ currat: cor aperit, vt excipiat: affectum dilatat, vt plurimum ipſius capiat. Non ſolùm autem iſtam, ſed & omnem gratiam abundare faciat in vobis, Deus omnis gratiæ, Filius, qui datus eſt vobis: qui eſt Deus benedictus in ſæcula ſæculorum.

Cum Chriſto omnia bona nobis donata

Gratiarum fidelibus cōceſſarum varietas & vbertas.

i Pſal. 33. b

k Rom. 8. f

l Sap. 7. b

Deus tripliciter datur nob. in hac vita: in forma carnis, in ſpecie panis, & guſtu ſpiritus.

DE NATIVITATE DOMINI SERMO III.

Puer natus est nobis. Isaiæ. 9.

Isai. 9. b.

2. Christus nobis natus, non sibi, nec Angelis.

NObis prorsus: non enim sibi, non Angelis. Sibi nunquam natus non est, vt scilicet hac natiuitate esse, aut melius esse inciperet: qui antequam temporaliter nasceretur, æternaliter erat, & perfecta beatitudo sibi erat: quia de Deo perfecto, perfectus Deus natus erat. Angelis natus nõ est, quia nec Angelus ille qui in veritate stabat, reparatione indigebat: nec illius qui ceciderat, casus reparabilis erat a: Ideò nusquam Angelos apprehẽdit, sed semen apprehendit Abrahæ. & qui Deus natus erat sibi, puer natus est nobis: se quodãmodo relinquens, & Angelos transiliens, vt ad nos vsq; deueniens vnus fieret è nobis: & exinanitus à semetipso, minoratus ab Angelis, vt æqualis fieret nobis. Qui igitur natus æternaliter sibi & Angelis erat beatitudo: natus temporaliter nobis, factus est nobis redẽptio: quia nos solos laborare videbat antiquo nostræ natiuitatis præiudicio. Quàm felix, quã amabilis natiuitas tua, puer Iesu, quæ natiuitatẽ omniũ emendat, conditionem reformat, præiudicium soluit, chirographum damnatæ naturæ rescindit: vt si quem piget damnabiliter esse natum, possit felicissimè renasci! Quotquot autem receperunt, dedisti eis potestatẽ filios Dei fieri b. Gratias agimus gratuitæ atq; gratiosæ natiuitati tuæ, Deus fili hominis, per quam accessum habemus in gratiam istam in qua stamus, *& gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei* c. Prorsus admirabile cõmercium, vt sumẽs carnem, largiaris deitatem, cõmercium inquam charitate, non cupiditate contractum: indulgentiæ quidem tuæ gloriosum, sed indigentiæ meæ omninò luctosum. Verè tu puer misericors, quem sola misericordia puerum fecit: licèt pariter misericordia & veritas in te, obuiauerũt sibi d. Verè, inquã, tu misericors puer, natus es nobis, nõ tibi: lucra, nostra, non augmenta tua, nascens de nobis quæsisti: quia ad hoc solùm nasci dignatus es, vt nos minoratione tui proueheres, humiliatione glorificares. Tu exinanitus nos replesti: tu enim omnẽ tuæ plenitudinẽ diuinitatis in hominẽ transfudisti. Transfudisti, sed non cõfudisti. Transfusum tamen Deum in hominẽ non dicerem, si ad mensuram datum huic homini spiritũ audirẽ: si de omni sua plenitudine penes Deum aliquid reseruasset, quod non in hominem, cui vnitus est, effudisset.

a Heb. 2. d 16

Christi natiuitas quam nobis salutaris.

b Ioan. 1.

c Rom. 5. a

Admirabile Dei cum homine commercium.

d Psal. 84.

a. Cant. 1.

Merirò igitur oleum effusum nomen Dei hominis, vel certè vnguentum exinanitum: cùm ita funditus Deus in hominem effusus sit, vt eum semetipsum exinanisse confiteatur fides Apostoli e. Quanquam sic vtique se exinaniuit, vt in seipso nihil prorsus minoerit, aut mutauerit: nec alia esse potuit naturę immutabilis exinanitio, quàm naturæ nostræ, quæ terra inanis & vacua est, assumptio. Magna prorsus exinanitio ista in oculis videntium, vt splendor gloriæ & figura paternæ substantiæ, nõ nisi formam præferat seruilem, & in ipsa non habẽt speciem neque decorẽ. Quasi enim parum exinanitus esset, si homo solùm fieret: etiam humanæ carnis gloriam ita funditus in se vacuauit, sapientiam infatuauit, infirmauit virtutem, minuit magnitudinem, vt & in natiuitate minimũ, & in passione se exhiberet nouissimum virorum: vnde nec reputauerunt eum. Vis autem videre Deũ exinanitum à semetipso? vide iacentem in præsepio. *Ecce Deus noster*, Isaias ait f, qui de tam longinquo vidit, & cognouit præsepe Domini sui, imò Deum in præsepi. *Ecce*, inquit, *Deus noster*. Vbi quæso? In præsepio, inquit. Infantulum quidem ibi inuenio. Hunccine tu dicis illũ esse, qui dicit: *cœlũ & terram ego impleo* g: imò cuius maiestati angosta est omnis cœli latitudo? pannis inuolutũ video. Hunccine tu dicis illum esse qui gloriam & decorem induit lucis inaccessibilis, amictus incircumscripto lumine, sicut vestimento? vagientem audio. Hiccine est qui in cœlis tonat, sub cuius vocis tonitruo potestates Angelicæ submittunt alas suas? Sic est, inquit alius Propheta h satisfaciens pro Isaia, omnino sic est: *hic est Deus noster*: sed exinanitus est, vt te repleat, & à se quodammodo deficere voluit, vt te reficiat. Conclamat omnis chorus Prophetarum, vno spiritu, eademq; sententia, etsi aliqui voce diuersa: sic est i, *hic est Deus noster, & non æstimabitur alius præter eum*: neq; enim est alius præter eum. Sed scio, inquit Dauid, scio, quia non credet signo huic, sed contradicet generatio praua & adultera Iudæorum: enarrate vos Apostoli, in progenie altera gentium. Quid? Quoniam hic quem Iudæus iacentem in præsepi nec respicit, pendentem in cruce despicit: cùm miro modo nascitur, non videt: cùm mira operatur, inuidet: cùm dira patitur, irridet. Hic, inquam k, *hic est Deus noster, in æternum & in sæculum sæculi: ipse reget vos in sæcula.*

P hilip. 2. a

Christi exinanitio maxima.

Deus exinaniuit semetipsum.

f Isa. 25 c

Sed citra iacturam diuinitatis.

g Ierem. 23. 2

h Bar. 3. d

i Bar. 3. d

K Psal. 47 b

3. Et ecce iam prædicantibus Apostolis, testificantibus Prophetis, & si vellus siccatum est, sed area latitudo infusa est: & si cucurbita aruit, Niniue saluata est: & amissio Iudæorum, diuitiæ facta est mundi, & salus gentium. Adorant omnes Reges terræ paruulum qui natus est nobis, omnes gentes seruiunt ei. quia si qui sunt, qui non seruiant, vel non sint serituri, *quasi nõ sint, sic sunt coram eo* l: gens etiam & regnum quod non seruierit ei, peribit m. Iam tamẽ videmus & gaudemus impletum, quod per Isaiam fuerat à Patre promissum n: *Viri sublimes ad te transibunt, tui erunt, post te ambulabunt, te adorabunt, teque deprecabuntur.* Et meritò, inquit, quia in te tantum est Deus, *& non est absq; te Deus* o Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator. Si vnquam manifestius, si expressius potuit dici, Iesus Deus, nunquam credat Iudæus: aut certè si derogat hęc esse dicta de Iesu, ostendat alium in quo sit Deus, & qui sit Deus, nec præter eum Deus: quandoquidem nec Personarum trinitatem fatetur, vt assignare possit Deum, in quo sit Deus. ita vt alius Deus præter eum non sit. Sed te, perfide, scandalizat, quod ad pietatem ædificare debuerat: quòd scilicet Deus absconditus, & homo oculis adhibitus est: tanquã lutum ex sputo quod ad videndum Deum cæcum illuminaret. Hoc, inquam, scandalo tibi est, quòd in infirmitate carnis, abscondita est fortitudo Dei: & in infirmitate crucis, abscondita est fortitudo hominis Dei: quòd inglorius inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum: vnde nec reputasti eum, sed putasti quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum: cum Deus posuerit in eo iniquitates omnium nostrũ p. Nam & tuã quoq; suscepisset, si tu eam vel ad extremum deponere voluisses. At tu miser nõ deponis, sed apponis iniquitatem super iniquitatem: super sanguinem Prophetarum, sanguinem filii Dei & Apostolorũ. Impone igitur, quandoquidem ita vis, impone iugum iniquitatum tuarum, tibi & filiis tuis: mihi enim regnum Christi portare magis decet, vt meas ipse portet iniquitates. Tu porta colligationes impietatis, fasciculos deprimentes: ego portem fasciculum myrrhæ, quem Maria mihi colligauit, pannisque inuolutum in præsepi reposuit.

l Isa. 40. d

m Isa. 60 b

n Isa. 44. a

o Isa. 44. a

Christus verus Deus.

Iudæi non agnoscunt Christi diuinitatem ob carnis eius infirmitatem.

p Isa. 53. B

Pulcrè hæc aduersus Iudæos.

4. Vos igitur, fratres mei, qui cognouistis presepe Domini vestri, Dominumq; in presepi, quem Israel nõ cognouit: vos, inquã, quibus Saluator ideò non viluit, quia misericors esse voluit: sed eò vobis tenerior in affectu, quò minor est in aspectu: cantate, & exultate & psallite: *Puer natus est nobis, filius datus est nobis.* De Iudæis quidẽ est natus, sed nobis est natus: quia illis ablatus, nobis est datus. *Cãtate Domino canticũ nouuũ: quia mirabilia fecit* q. *Notũ fecit Dominus salutare suũ*: adeò vt & asinus de gẽtibus cõgnoscat in præsepi Dominum suum, fœnum sibi factum: *quia omnis caro fœnum* r. *In conspectu namque gentium reuelauit iustitiam suã* s. quam Iudæus ignorat, velũ adhuc habens super faciẽ suã. Velũ habet, quia zelũ tenet: vnde nec velum videt, sed inuidet, *quod puer natus est nobis, filius datus est nobis*, nec inuidet quod cupiat habere sibi, sed quòd cupiat perire, & mihi & sibi. Mallet æmula. & mala meretrix infantem necari, t quàm viuum mihi dari: sed iudiciũ nostri Salomonis, cuius sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, scrutans corda & renes, in inuenienda matre non errauit: date, inquit, Ecclesiæ infantẽ viuum: hæc est enim mater eius. *Quicunq; enim fecerit voluntatem eius, ipse mater & frater, & soror eius est* u. O domine Salomon, tu matrẽ dicis, ego ancillã profiteor. Ancilla Christi sum x: fiat mihi secundum verbum tuum. Et qui-

q Psal. 97 a

r Isa. 4. b

s Psa. 97. a

t 3. Reg. 3

u Matt. 12. d

x Luc. 1 d

dem matrem amore & sollicitudine me præstabo quantum potero, sed conditionis meæ semper memor ero.

5 O fratres, hoc nomen matris non est singulare prælatis, quamuis specialis eis incumbat cura maternæ sollicitudinis & pietatis: commune est & vobis, qui facitis voluntatem Domini. Vtique & vos matres estis pueri qui datus est vobis, & in vobis, ex quo videlicet à timore Domini concepistis, & parturistis spiritum salutis. Vigila igitur, ô mater sancta, vigila super curam recens nati, donec formetur in te Christus, qui natus est tibi: quia quo tenerior est, eò facilius potest perire tibi, quàm nunquam perit sibi. Spiritus siquidem qui in te est, si tibi extinctus fuerit, redit ad Deum qui dedit illum. Vigila, inquam, super curam recens nati, memor quoniam æmula tua dormiens oppressit filium, qui datus erat ei. Quæ est enim illa, nisi carnalis anima quæ spiritum extinguit negligentia & inertia, huiusmodi homines, cum religionis amiserint feruorem, ipsius tamen sibi arrogant gloriam & nomen. Inde contentiones carnalium aduersus spiritales, etiam in capitulis, vbi vetus Salomon inuisibiliter iudex præsidet. Filius meus, inquiunt carnales, viuit, & tuus mortuus est: ego spiritum Dei habeo, tu non habes: in me viuit amor Dei, in te mortuus est: dum scilicet æmulantur sibi religionis auctoritatem, cuius spirituales habent veritatem: vt subducta eis auctoritate, consuetudinis inducant pro sui sensus libidine. Et reuera quidem mater vult æmulæ dari viuum & integrum infantem, non inuidens ei gloriam, dummodo habeat & virtutẽ: sed illa, *nec mihi*, inquit y, *nec tibi sit, sed diuidatur*: quia nimirum sanctitatis sibi cupit retinere honorem, & aliis relinquere laborem. Sed non errat qui iudicat, etsi aliquamdiu dissimulat, Gladius Salomonis matrem inuenit, cui adiudicat indiuisum sicut affectum charitatis, sic effectum potestatis: sicut feruorem operandi, sic fauorem imperandi. Vos itaque, fratres, in quibus fides per dilectionem operans nata est de Spiritu sancto, custodite eam, pascite, nutrite, tanquam paruulum Iesum, donec formetur in vobis puer qui natus est nobis: qui non solùm nascendo, sed viuendo & moriendo, formam cui conformemur tradidit nobis: memor quippe semper quòd non nisi nobis natus fuit, nec nisi nobis viuere voluit, nec mori nisi pro nobis, qui pro se non habuit: vt & nos per ipsum renasceremur, secundùm ipsum viueremus, in ipso moreremur, qui viuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Matres Christi spirituales etiam nos.

Elegans tropologia.

y 3. Reg. 3. d

DE NATIVITATE DOMINI

SERMO IV.

Ecce iam venit plenitudo temporis, ad Gal. 4.

Gal. 4. a

1. PLenitudo ista temporis apud Paulum accipitur, seu propter abondantiam gratiæ; seu propter adimpletionem præcedentis Prophetiæ, seu propter pleniorem ætatem fidei adultæ. De singulis videamus. Omniũ plenitudo bonorum Christus Dominus est, quippe qui omnibus thesauris sapientiæ & scientiæ Dei, totiusque gratiæ plenus est: *imò in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter* a. Viderunt Apostoli plenum gratiæ & veritatis, & de plenitudine eius omnes acceperunt: adeò vt nouissimus eorum, & abortiuus Paulus vas electionis, de plenitudine quam acceperat, disseminaret vbique plenitudinem gratiæ & veritatis, clamans & dicens b: *Ecce iam venit plenitudo temporis.* Cum enim plenus omnibus bonis natus esset temporaliter auctor temporis, quidni plenitudinem attulisset temporis? Cum cœli rorarent desuper, & nubes pluerent iustum, Saluatorem terra germinaret, tanta supernæ benedictionis vbertas, quidni fœcunditatem terris omnibus præstaret? *Benedixisti Domine terram tuam, dedisti benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum* c: videlicet de vno grano frumenti, quod germinauit aluus Virginis, vbique terrarum pullulante copiosa messe fidelium. Nolo enim hanc plenitudinem temporis requiras in copia bonorum temporalium, sed æternorum: non in prouentu agrorum, sed cœlorum. Si cœli rorant desuper, & nubes pluant iustum: si terra germinat Saluatorem, & iustitia oritur simul: si denique oritur diebus Domini non solùm iustitia, sed & abundantia pacis, feliciora tẽpora ne quæsieris; quando & regnum Dei nihil aliud est quàm iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto d, quod de illis procedit. Nam & nostrorum temporum ille status iudicatur optimus, atque pulcherrimus, cum & iustitia moribus imponit disciplinam, & abundantia cum pace quietem vitæ præstat & lætitiam. Denique *misericordia Domini plena est terra* e: benedixit Dominus coronæ anni benignitatis suæ f, & campi eius repleti sunt vbertate totius gratiæ spiritalis: Et quis nisi ingratus plenitudinem neget esse temporis?

Omniũ bonorum plenitudo Christus.

a Col. 2. b

b Gal. 4. a

c Psal. 84. a

Quæ vetæ felicius tẽporum censen-

d Rom. 14.

e Psal. 118 b

f Psal. 64.

2. Quæ vnquam aurea ætas simile aliquid habuit huius plenitudini temporis, quando panis Angelorum omnem habens saporem suauitatis, & omne delectamentum apponitur etiam iumentis: & non solùm homines, sed & iumenta, cibo pascuntur cœlesti? *Homines enim & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus* f. Infinitè multiplex hæc tua Deus misericordia, vt qui panis Angelorum, non solùm hominum dites ac beatifices mensas, sed etiam fœnum factus, iumentorum repleas præsepia. Confiteris, ô Domine sapientia misericors, quia sapientibus & insipientibus debitor es; vt qui vtrosque fecisti, vtrisque necessariam alimoniam procures: & tam homines quàm iumenta, tam spirituales quàm animales, suo quemque gradu & ordine salues. *Cõfiteantur igitur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum* g: quia misit Verbum suum carnem factum, medicinam & escam omnium: vt etiam incapaces verbi, sanentur tamen & satientur carne Verbi. Edant itaque pauperes & saturentur, & confiteantur venisse beatam temporis plenitudinem: quando & in præsepibus suis paratum sine sudore vultus sui panem inueniunt cœlestem. Nunquid ergò mugiet bos cùm ante præsepe sic plenum steterit h? Mugiat, sed præ gaudio spiritus in iubilo cordis: quia præsepe Domini sui, imò Dominum in præsepi suo cognouit.

f Psal. 35 a Deus homines & iumenta, id est spirituales & animales suo quemque ordine saluat.

g Psal. 106.

h Iob 6.

3. Libet autem adhuc manifestius videre, Christus veniens è cœlis, quantam plenitudinem temporis aduexerit, quàm facili & exiguo pretio omne pretiosum comparari posse decreuerit. Duobus minutis, seu calice aquæ frigidæ, aut certè sola bona voluntate, iam à diebus eius emitur regnum cœlorum: quanquam etiam nunc vix inueniat emptorem in tanta multitudine diuitum. Proh pudor! etiam nos ipsi qui iam emere cœpimus, iam tabulas emptionis conscripsimus, iam pignus hæreditatis accepimus, etiam nos, inquam, toties à pacto resilimus, ac penè cõplaciti pœnitemus, querimus, murmuramus; quasi in negotio simus circumuenti; quasi magnum sit illud propè nihil, quod exigitur à nobis. Benè de nobis prophetauit Scriptura i: *malum est, malum est, dicit omnis emptor, & cùm recesserit, gloriabitur.* An non meritò poterit gloriari, qui immensum illud & æternum pondus gloriæ, hoc leui & momentaneo tribulationis suę comparauerit, qui sic pro nihilo saluus factus fuerit? At nunc quotidianas hinc inde querelas & molesta murmura audias: malum hoc, malum illud: graue hoc, importabile illud: quis tanta ac talia ferat? Ita nemo ferè est qui dignè pro merito sui rem æstimans dicat k: *non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*, nisi tunc demum cùm cœperit reuelari. Tunc planè gloriabitur, qui modò detrahit, ac de pretio se grauari gemit: cùm scilicet de foro, id est, de mũdo hoc, vbi contractus celebrantur huius commercii, recesserit, & in domum æternitatis suæ, secum ferens rem tantam tantillo emptam, redierit. Homo planè secundum cor Dei erat ille, homo simplex sine querela, qui ab hac arte, imò inertia & infidelitate emptorum alienus erat, Dauidem dico, qui dicebat l: *Quoniam non cognoui negotiationem, Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius.* Iustitiæ meę nullatenus memorabor, vt labores meos exaggerem, merita magnificem: *potius memorabor iustitiæ tuæ solius*, qui gratis obligasti te mihi promissorem. *In veritate tua exaudi me in iustitia tua, & non intres in iudicium cum seruo tuo* m:

Sola bona voluntate iam a diebus Christi emitur regnum cœlorum Languidi emptores regni cœlorũ perstringuntur.

i Prou. 20. d

Inanes malorum querelæ de difficultate comparandæ salutis

k Rom. 8. d

l Psal. 70. c

m Psal. 142 a

qui si voluero me iustificare, os meum condemnabit me.
n Psal. 70. c
Per hoc enim, inquit [n], *introibo in potentias Domini*, quia scilicet iustitias meas non statuam: per hoc potentē me faciet, & nunc in prælio, & tunc in regno: quia semper infirmitates meas confitebor. Cùm enim infirmor, tunc potens sum [o]. Sicut ergo prudenter apud Deum causam agit, qui iustitiæ suæ immemor totū misericordiæ committit: sic prudenter emit, qui omnem fictionem, atque auaritiam negotiationis scire renuit: qui inuenta illa pretiosa margarita, non solùm omnia sua, sed & seipsum vltrò ac desideranter impendit. At nos trepidi, ficti, ingrati, indeuoti, voluptatum amatores magis quàm Dei, vix ab illa voce infidelis & nequissimi murmuris, *malum est, malum est*, valemus compesci: etiam postquam gustauimus, & vidimus, sicut de muliere fortis scriptum est [p], quoniam bona est negotiatio nostra.

o 2. Cor. 12. Non nostra iustitia, sed Dei misericordiā intendum.

p Prou. 31. b

4. Adhuc ferebat me quidam implacabilis zelus aduersus ingratitudinem, & infidelitatem huius temporis nostri: sed reuocat me, de qua sermonem institui, sancta ac beata plenitudo temporis Christi, qua etiam hodie plenius pascendi estis. Coniunctim tamen currunt, pariterque feruntur hæc duo tempora iam diuersa, tamq; aduersa, tempus scilicet gratiæ, & tempus malitiæ: cùm tamen non nisi vnum tēpus inueniatur vtriusq;. Si enim modò non esset tempus gratiæ, non diceret Apostolus [q]: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*. Et iterum, si modò non esset tēpus malitiæ, non diceret idem Apostolus [r]: *Redimentes tēpus, quoniā dies mali sunt*. Confligunt igitur in tempore vno gratia, & ingratitudo, velut in stadio vno. Iam olim siquidem sapientia pugnat aduersus malitiam, propter quod & nunc in huius mūdi descendit aream. Pugnat, inquam, nolens vinci à malo, sed volēs vincere in bono malum. Abundabat iniquitas; & licèt humana congelata esset, diuina tamen nō frigescebat charitas. Magnus ille ardor charitatis, & reuera, sicut scriptum est [s], aquis multis inextinguibilis: quòd cū extremum iam iudicium postularet multitudo peccatorum, Deus tamen filium suum misit, nō vt iudicaret mūdum, *sed vt saluaretur per ipsum* [t]. Cùm igitur iam penè consummata mundi malitia finem indicaret temporis, Redemptoris aduentus nouam & inopinatam plenitudinem temporis rebus infudit humanis. Cùm enim mūdus consenuisset, atq; propè interitū esset tēporis ætate: subitò ad aduentū Conditoris sui, noua & insperata renouatus est virtutis iuuētute, fideiq; quodā iuuenili calore. Fides siquidē, cuius primæuum tempus velut quędam pueritia fuit in Patriarchis qui exorti sunt primo mane Ecclesię nascentis: adolescentia verò in Prophetis: ad plenitudinem demū iuuenilis excreuit roboris in Apostolis: quando & calorem suæ virtutis mundo spectabilē præbuit in tam præclaris, atque fortissimis innumerabilium Martyrum triumphis. Hanc adultam ac plenam ætatem fidei, vocat Apostolus *plenitudinē temporis* [u]: quādo scilicet hi qui sub pædagogo legis erant, nihilq; à seruo differebant, dum erant paruuli: iam adulti libertatem filiorum receperunt per Vnigenitum Patris. Qui nimirū vt nulla plenitudo suo deesset tempori, plenus tam gratia quàm veritate venit: quatenus & per gratiam impleri faceret legis mandata, & per veritatem impleret ipse promissa: ideò vt quidquid etiam vniuersis retro sæculis mysticè gestum aut dictum fuit, totum veriùs ac pleniùs impletum sit in hac plenitudine temporis. Nam & hic ipse dies, tot sacramenta, tot oracula, quasi recapitulata in breui hodie exhibuit, vt de eo verè dici possit [x]: *Consummatus in breui, expleuit tempora multa*.

q 2. Cor. 6. a

r Ephes. 5. d

s Cant. 8.

t Ioan. 3. b Cum mūdus ad senium & interitum tēderet, Christus in mundum veniens eum renouauit.

Fidei ætates & incrementa.

u Gal. 4. a

x Sap. 4.

5. Cùm ergo tot modis constet, quia venit beata plenitudo temporis, rectè querelas insipientiū Salomon cōpescuit, dicēs [y]: *Ne dicas, quid putas causæ est quòd meliora fuere tēpora priora quàm nunc sunt? Stulta est* (inquit) *huiusmodi interrogatio*, cùm manifestè felicissima tēpora fecerit hominibus gratia Dei: Ingratitudo autem hominum pessima fecerit ea sibi. O tempus acceptabile, cui tā beatum, tāto auspicatum initium dedit dies iste: quo natus conditor æternus temporis, æternitatem mortalibus nūtiauit. O verè, dies salutis dies iste, quo nata salus mūdi, seipsam poculum salutare miscuit ægrotis. O fratres [z], de die isto loquebatur, ni fallor, Sapiens filio suo [z]: *Non defrauderis à die bono*. Et exponens quid sit non defraudari, *particula*, inquit, *boni doni non te prætereat*. Diem quippe bonū, pro eo dicit, quia datum est hodie donum bonum, prorsus datum optimum, donumq; perfectum, descendens à Patre luminum: quod quale sit nemo scit, nisi qui accipit. At vos, Fratres, spiritum qui ex Deo est accepistis, vt sciatis quæ à Deo donata sunt vobis, qui ex sententia cordium cantatis: *Filius datus est nobis*. Filius iste, panis est filiorum: qui de seipso hodie beatum, ac solemne vniuersæ familiæ Patris exhibet epulum.

y Eccl. 7. b

Felicitas temporis gratiæ.

z Eccli. 14. b

6. Gratias tibi Pater misericordiarum, qui panem nostrum quotidianum das nobis hodie, tantaque largitate aperuisti manum tuam ad implendū omne animal benedictione, vt ipsa etiam benedictione plenum inueniatur eorum præsepe. Quàm miserum, quàm brutum ac stolidum, imò quàm sibi nequam & inuidum illud animal; quod sese isto die bono defraudat, vt cum particula doni boni prætereat: vt scilicet expers gratiæ cœlestis, quæ ei proposita est fiat; diemq; totius refectionis & gaudii, tristi ac ieiuno corde prætereat, quasi necdū venerit copiosissima plenitudo tēporis, nec præsepia simplicium & humilium panis impleuerit cœlestis. Huiusmodi hominem sibi nequam & inuidum, Deo ingratum & iniuriosum notat sapientia, cùm ait [a]: *Oculus mali ad mala opera, & non saturabitur pane indigens, & in tristitia erit super mensam suam*. Ideò, inquit, non saturabitur bonis anima ipsius: quia oculus eius ad mala, nec reuertetur oculus eius, vt videat bona: vt cum pietate & fide consideret, quæ ei apposita sunt in magna diuitis mensa. *Nequam est*, enim, inquit [b], *oculus inuidi, auertens faciem suam & despiciens animam suam*. Procul dubio, fratres, si faciem non auertimus à consideratione illius qui iacet in præsepi: ipso intuitu possumus felicissimè pasci, dicemusque [c]: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ, ibi me collocauit*. Tunc planè sciemus, quia venit desideratissima plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum, per quem tanta iam replemur plenitudine bonorum: ipsi benedictio & gratiarum actio, & nunc, & per infinita sæcula sæculorum.

Stoliditas hominū ea hoc tempore nullum fructum capientium.

a Eccli. 14. b

b Idem. b

c Psal. 22. a

DE NATIVITATE DOMINI
SERMO V.

Conuenistis, Fratres, ad audiendum verbū Dei, Deus autem aliquid melius prouidit nobis: vt non solum audire, sed etiam videre datum nobis hodie sit Verbum Dei; si modò *transeamus vsq; Bethleem, & videamus hoc verbum quod fecit Dominus & ostendit nobis* [a]. Nouerat hominum sensus inuisibilium incapaces, cœlestium indociles, ad fidem quoq; difficiles: nisi res ipsa de qua fides suadetur, visibiliter ipsis sensibus conuincendis ingeratur. Nam etsi fides est ex auditu, multò tamen procliuiùs ac promptiùs ex visu: sicut illius exēplo docemur, cui dicitur [b]: *Quia vidisti me, credidisti*: qui scilicet dum audiebas, incredulus fuisti. Quia enim difficiliùs audita quàm visa creduntur, ideò meritò fides illorū qui non viderunt à Domino beata prædicatur: quippe qui plus detulerint auctoritati sermonis, quam experientiæ proprii sensus, aut rationis. Deus tamen per omnia volens satisfacere tarditati nostræ, verbum suum quod prius fecerat audibile, hodie fecit nobis etiā visibile, imò & tractabile: vt & quidam ex nobis potuerint dicere [c]: *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ tractauerunt de verbo vitæ*. Fuit ab initio illius, quæ sine initio est, æternitatis: audiuimus promissum ab initio temporis; vidimus & contrectauimus exhibitum in fine temporis. Aliàs autem inueniens quòd non solùm visibile & tractabile, sed etiam gustabile & odorabile nobis verbum Dei factum sit: quippe quod per omnes vias sensuum, aditum sibi ad animam quæsierit: quatenus sicut per sensus mors intrauerat, sic per eosdem rediret & vita.

2.

a Luc. 2. b

b Ioan. 20.

Fides illorum qui non viderunt præstantior.

c 1. Ioan. 1. a

2. Quòd ergò *Verbum caro factum est*, nobis qui toti sumus caro, factū est: vt qui antea verbum Dei tantū poteramus audire, iā carnem factū & videre possimus, & gu-

Verbum Dei hactenus auditum duntaxat nunc etiā visum.

stare, omnesq; sensus in testimonium auditus conuocare: quatenus omnes nostri sensus consensu vno, & voce vna confiteantur d, *sicut audiuimus, sic vidimus*. Incomparabiliter tamen amplius tunc concessum est visui, quam vnquam fuerat auditui: cùm modò videatur Verbum quod Deus est: & antea magnum haberetur audire verbum quodcunque ex Deo. Et verbum quidem quod ex Deo est, vidi aliquando, fratres, cum tædio audiri: sed Verbum quod Deus est, nunquid poterit nisi cum gaudio videri? In me primum sententiam feram: quia Verbum quod Deus est, cùm se hodie mihi videndum præbeat, in eo quod sum; si me non lætificat, impius sum: si non ædificat, reprobus sum.

d Psal. 47. a

3. Si quis ergo, Fratres, acediosus inuenitur inter nos, nolo diutius vt fatigentur aures eius sermone nostro contemptibili, transeat vsque Bethleem, & illud in quod desiderant Angeli prospicere, prospiciat ibi, Verbũ scilicet Dei, quod Dominus ostendit nobis: imaginetur animo, sermo Dei viuus & efficax qualis ibi iaceat † in præsepi. Si tantùm pietas oculum illuminet intuentis, quid tam delectabiliter potest videri, tam salubriter cogitari? Quid æquè mores ædificat, spem roborat, charitatem inflammat? Omninò fidelis sermo, & omni acceptione dignus, omnipotens sermo tuus Domine e: qui tam alto silentio à regalibus Patris sedibus animalium illapsus præsepibus: melius interim suo nobis silentio sermocinatur. Qui habet aures audiendi, audiat quid nobis hoc pium & mysticum æterni Verbi loquatur silentium: quoniam (nisi me fallit auditus) inter alia quæ loquitur, loquitur pacem in plebem sanctorum, quibus reuerentia ipsius & exemplum religiosum imposuit silentium, & rectissimà quidem imposuit. Quid enim tanto pondere, tantaque auctoritate disciplinam commendat silentii, quid tanto terrore compescit inquietum malum linguarum procellasque verborum, sicut sermo Dei silẽs in medio hominum? Non est sermo in lingua mea, confiteri videtur omnipotens sermo, dum matri subditus est: & nos qua demẽtia dicemus f: *linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est*? Liberet mihi, si liceret, obmutescere, & humiliari, & silere etiam à bonis: vt attentiùs, & diligentiùs aurem possem adhibere vocibus arcanis, sacrisque sensibus huius diuini silentii: & vel tanto tempore sub silentio discere in schola verbi, quanto Verbum ipsum sub disciplina siluit Matris.

† al. qualiter ibi taceat.

e Sap. 18. c

Silentium religiosorum commendatũ à Verbo Dei inter homines primis annis silente.

f Psal. 11. a

4. O fratres, si piè ac diligenter intendamus huic verbo quod Dominus fecit hodie, & ostendit nobis; quanta quamque facilè possemus ab ipso perdoceri? Verbum siquidem breuiatum est, ita tamen vt in eo consummatum sit omne verbum quod ad salutem est, quia nimirum verbum consummans & abbreuians in æquitate ipsum est. Et hæc *consummatio abbreuiata inundauit iustitiam* g, sicut promissum meministis per Isaiam: quia de sua plenitudine in participes suos redundauit iustitiam, vt abundet iustitia ipsorum, plusquam & Pharisæorum & Scribarum: licèt illi per tam multiplices se exercitent iustificationes legis, isti autem breui, ac simplici contenti sint verbo fidei. Sed quid mirum si omnia verba sua nobis Verbum Dei breuiauit? quando & seipsum breuiari & quodammodo minui voluit, adeò vt de incomprehensibili immensitate sui, ad angustias vteri quodammodò se contraxerit, & continens mundum, in præsepi se passum sit contineri? In cœlo Verbum istud horribili altitudine sua virtutes Angelicas stupefacit, in præsepi simplices & hebetes pascit: Ibi subtilissimis Angelorum intellectibus inscrutabile, hic etiam obtusis hominum sensibus palpabile. Quia enim Deus non poterat loqui nobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, Verbum eius factum est caro, vt non solùm audire, sed & videre posset omnis caro, quod os Domini locutum est. Et quia in sapientia sua, non cognouit mundus sapientiam Dei; dignatione ineffabili eadem sapientia Dei, se stultitiam fecit; vt quamlibet idiotis, vel hebetibus se discibilem præberet: & per stultitiam prædicationis, saluos faceret credentes. *Confiteor tibi Pater* h, *Domine cœli & terræ, quia sapientiam tuam abscondisti à sapientibus & prudentibus, & reuelasti eam paruulis. Ita Pater, sic fuit placitum ante te*; vt paruulis daretur paruulus, qui natus est nobis: quandoquidem altitudo superborum nimis abhorret ab huius humilitate paruuli: & quod altum est apud homines, abominabile est apud Deum: qui cùm veraciter altus sit, paruulus factus est pro nobis. Cum solis nimirum paruulis concordat iste paruulus: in solis requiescit humilibus, & quietis. Sicut igitur paruuli gloriantes de eo, cantant: *Paruulus natus est nobis* i: sic & ipse gloriatur de eis: *Ecce ego*, inquiens k, *& pueri mei, quos mihi donauit Dominus*. Vt enim paruulo Filio suo Pater sodales daret de coætaneis suis, statim primo omnium ab innocentia paruulorum cœpit gloria martyrii: hoc significante Spiritu sancto l, quia non nisi talium esset regnum cælorum.

g Isai. 10. c

Verbum abbreuiatum sed omni doctrinæ perfectione consummatum.

Cur Verbum caro factum.

h Matt. 11. d

Deus factus paruulus damnat superbos & commendat humiles.

i Isai. 9. b

k Isai. 8. d

l Matt. 19. b Mar. 10. b

5. Si tales effici volumus, fratres, iterum atque iterum transeamus vsque Bethleem, & diligentiùs intueamur hoc Verbum quod caro factum est per Deum immensum, qui paruulus factus est, vt in hoc visibili & breuiato verbo discamus sapientiam Dei, quæ tota humilitas facta est. In hanc quippe virtutem, illa omnimoda virtus se interim totam contulit. Nihil aliud illa summa sapientia interim scire voluit, nisi illam scilicet humilitatem, cuius se postmodum magistrum voluit profiteri. Et iste quidem (quod nimirum in sugillationem mei ipsius loquor) iste, inquam, dignè & iustè magister docendæ humilitatis effectus est: qui licèt eam sibi non ignoraret, & originalem à matre, & naturalem à Patre, nihilominus tamen ab ipso matris vtero didicit eam, ex his quæ passus est. In diuersorio viatorum natus est, vt hospites & peregrinos super terram, ipsius exemplo edocti, nos esse confiteremur. Ibi quoque nouissimum eligens locum, in præsepio positus est, vt & nos illud Dauidicum m, *Elegi abiectus esse in domo Dei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum*, opere disceremus. Pannis inuolutus est, vt habentes tantùm quibus tegamur, his contentĩ simus: per omnia paupertate materna cõtentus, matriq; per omnia subditus, vt totius religionis forma iam in eius natiuitate nata videretur. Beata sanè simplicium fides pastorum: quæ cùm inuenisset infantem pannis inuolutum, nequaquam in illis scandalizata est ad incredulitatem, vt minora de eo sentiret: sed ædificata potius ad pietatem, vt tantæ dignationi gratior fieret. Quantò namque se pro ipsis profundius humiliatam, ac funditus exinanitam illa exhibuit maiestas; tantò facilius & plenius, si dignè de eis sentire volumus, totos eorum affectus sibi illius rapuit, & vendicauit charitas.

Christus optimus humilitatis magister.

m Psal. 83. d

Religionis quædam forma à Christo nascente tradita.

6. Fratres, & vos inuenietis hodie infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio altaris: videte, vilitas tegminis ne offendat, aut turbet obtutum vestræ fidei, veritatem reuerendi corporis, sub aliis rerum formis intuentis. Sicut enim mater Maria, quibusdam assumẽtis pannorum inuoluit infantem, sic mater gratia, dispẽsatiuis speciebus rerum eiusdem sacri corporis nobis obtegit veritatem: sic etiam mater sapientia, ænigmatibus & figuris arcanam diuini Verbi contegit maiestatẽ: quatenus & ibi simplicitas fidei, & hic exercitium studii, meritum sibi cumulet ad salutem. Nam ego, Fratres, cum vobis veritatem, quæ Christus est, verbis meis ensitio, quid aliud quam Christũ pannis satis vilibus inuoluo? Beatus tamen cui nec in pannis istis Christus est vilior, sicut nec merces preciosæ prudenti vilescunt propter veteres quibus amiciuntur sacculos. Christus planè est, quem vobis tradere cupio, qualibuscunque sermonibus nostris: vt iuxta sermonẽ Petri Apostoli n, sanctificetis eum in cordibus vestris. *Suscipite in mansuetudine insitum verbũ, quod potest saluare animas vestras*: & Verbum Christi abundanter habitet in vobis o, amor scilicet, & memoria Verbi incarnati, quatenus tam feliciter quàm fideliter decantetis p, *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Tota igitur pietate cogitemus Christũ in pannis, quibus Mater eum operuit, vt æterna felicitate videamus gloriam, & decorem, quem ei Pater induit: gloriam

Veritas corporis Christi in Altari.

Verbi maiestas cur ænigmatibus & figuris velata.

Veritas gratis etsi vilibus verbis prolata.

Simile.

n 1. Pet. 3. c

o Iac. 1. d

p Ioan. 1. b

gloriam quasi vnigeniti à Patre, cum quo & cum Spiritu sancto honor & gloria, per omnia sæcula sæculorum.

IN EPIPHANIA DOMINI
SERMO I.

Afferte Domino filii Dei, afferte. Psalmo 28.

1. SAtius est ei afferre quàm sanguisugæ, id est concupiscentiæ, cuius duæ filiæ, voluptas & vanitas, non dant requiem die ac nocte, dicentes[a]: *Affer, affer.* Quid igitur afferemus Domino? afferte Domino gloriam *auri*, & honorem *thuris*: afferte Domino gloriam nominis eius, *myrrham* sepulturæ eius. Sed dicit mihi discipulus Christi, Filius Petri: *Argentum & aurum non est mihi*[b], nec sacculi peregrinatum mercium myrrhæ & thuris. Ergone vacuus apparebis in conspectu Domini; & cunabula noui Regis nullis honorabis xeniis? O diues paupertas, ô locuples nuditas, si tamen Christiana & voluntaria. Quibus enim diuitiis non abundas, non solum auri, sed etiam auri primi, auri ingeniti: non solū myrrhæ & thuris, sed etiam vniuersi pulueris pigmentarii? Imò qui sunt alii qui possint abundare diuitiis huiusmodi, nisi pauperes Christi? *In viis*, inquit[c], *iustitiæ ambulo, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.* Nec deest ei vnde id possit. *Mecum sunt*, inquit[d], *diuitiæ & gloria, opes superbæ, & iustitia.* Bonę opes prorsus diuitiæ salutis, in quibus ita superbitur, vt iustitia non deseratur. Fratres, superbia ista est gloria exultantium in Domino, & insultātium mundo, quòd nihil habeat tam preciosum, vt paupertati valeat comparari Sanctorum. O qui pusillo animo estis, cur non superbitis mecum in opibus istis? Superbiam istam non damnat, sed remunerat magister humilitatis: si videlicet ita magnanimus sis in contemptu mundi, vt omnem gloriam eius quasi de sublimi despicias, & nihili pendas, præ amore & gloria tuæ nuditatis. Omnino diues es, si in paupertate gloriaris: & de te quoque gratias aget congratulatio Apostoli: *Gratias*, inquit[e], *ago Deo meo, quod in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & sanctitate, vt nihil vobis desit in vlla gloria.* Longè aliter illum alloquitur Dominus, qui sibi applaudebat de affluentia mundi huius: *Tu*, inquit[f], *dicis, quia diues sum, & nullius egeo: & tu miser es, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.*

a Prou. 3. b
Quid afferendum Christo Regi nato.
b Act. 3. a
Paupertatis religiosę opulentia.
c Prou. 8.
d Ibidem. c
Superbia laudabilis.
Diues est qui in paupertate gloriatur.
e 1. Cor. 1. a
f Apoc. 3. d

2. Sanè inter diuitias huiusmodi, pro quibus Paulus congratulabatur discipulis, non dubitauerim aurum, thus, & myrrhā posse reperiri, quæ dignè & gratè Christo nato queant offerri. At ego, inquies, non sum mihi conscius tale quid accepisse, nec aliquid tam preciosum, vt est aurum, thus, & myrrha, penes me posse inueniri. Ego enim videns paupertatem meam, vix mendicabo stipem quotidianam, pauperem exigens vitam. Putas, inquit, te nihil tale accepisse? vide magis, ne acceptam à Patre substantiam dissipaueris viuendo luxuriosè. Sed omitto istud: non enim improperandum est, vt Sapiens ait[g], homini auertenti se à peccato. Vellem magis, vt nō pigeret te tentare & quærere, si fortè vel minimum aliquid paternæ substantiæ resedisset apud te, vnde initium recuperandi posses capere. Vellem foderes intra te: solent namque preciosi latēre thesauri in abditis terræ. In agro absconditus erat thesaurus ille[h], qui desiderio sui compulit hominem omnia sua vendere. In agro se dicebant thesauros absconditos habere decem viri Israëlitæ[i], & per hoc gladium euaserunt homicidæ. O quanti thesauri bonorum operum, quantæ diuitiæ piorum fructuum absconditi latent in agro humani corporis, & quanto plures in abdito cordis! si modò sit qui exerceat & fodiat. Neque illud Platonicum dico, quòd anima ante corpus artes didicerat, quæ obliuione & mole corporis obrutæ, disciplina & industria refodiendæ sint: sed quòd ratio hominis & ingenium, iuuante gratia omnium sit virtutum seminarium.

Thesauri in nobis latentes quomodo effodiendi.
g Eccli. 8.
h Matth. 13. f
i Ierem. 41. b
Platonis opinio, quod omnis nostra scientia non sit nisi reminiscentia.

3. Si ergò ad cor redeas, & corpus exerceas, non diffidas te inuenturum thesauros desiderabiles: & si nō auri statim in initio, aut thuris, certè vel myrrhæ non inutilis. Inutilem aut vilem tu ne dixeris, quam Christus acceptat in munere, quia sui corporis sepulturam non solùm præsignari cùm ei offerretur, sed etiam consummari voluit cùm ex ea perungeretur. Si ergo manifestius vis audire, myrrha in corde tuo dolor est: myrrha in corpore tuo labor est; si tamen iste, vel ille pœnitentialis est. Myrrham siquidem vtrumque esse non solùm probat etymologia nominis, aut qualitas saporis; sed etiam medicinalis operatio virtutis. Myrrha namque amarissimum gustum sui etiam nomine prodit; effectu autem præter alias sui vtilitates corruptioni resistit. Et quid gustu amarius, quid effectu salubrius, quàm dolor quo peccator ad pœnitentiam contristatur? Recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, dicens Deo[k]: *noli me condemnare*: sed omnis hæc amaritudo nihil aliud quàm myrrha est vindicans à corruptione tam luxuriarum in quibus computruit, quàm vermium immortalium quos metuit.

Myrrhæ tropologia elegans.
Myrrha symbolum pœnitentiæ.
k Iob. 10. a

4. Quid verò labor corporis? nonne myrrha est quàm fasciculus myrrhæ, si credere volumus his qui de sæculo nuper venēre: quibus regula ieiuniorum & vigiliarum, quotidianum opus manuum, asperitas vestium, & omnia penè amara, quia insolita, velut in vnum colligata fasciculū, imposita sunt ad ferendum. Et quidē amarissimè portarent hunc myrrhæ fasciculum; nisi quia etsi nondum gaudent communicare passionibus dilecti, vt dicant[l]: *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, dulce tamē nimium habent amaritudinem cordis, amaritudine mitigare exterioris, tanquam choleram stomachi potu absinthii. Sicut enim stomachus immoderato vsu dulcium corruptus, potione purgatur amara: si eorum qui suauiter vixerunt in amaricata conscientia, nunquam melius quàm contrario, id est vita & consuetudine curantur austera. Maximè autem si sæpius detur eis bibere vinum myrrhatum Dominicæ passionis, id est potentur vino compunctionis; quod quantò amarius est ex recordatione peccati, tantò salubrius est peccatori. Ideo Iesus noluit bibere[m], quia peccatum non fecerat, quod ei crucifixor imputabat, qui de amaritudine vitis alienæ ei propinabat, qui de genimine vitis veræ, vinum nouum cum amicis in regno Patris habebat bibere.

Myrrha tyrocinium vitæ religiosæ.
l Cant. 1. c
Quæ valeant ad mitigandā eius amaritudinē.
m Matt. 27. d

5. Cæterùm quanquam perfectis, qualis Timotheus erat, exercitatio corporalis ad modicum vtilis sit[n] comparatione pietatis, quantùm tamen rudibus & imperfectis, quales nos sumus, vtilis sit, vos ipsi, fratres, vobis testes estis; quomodo scilicet redimit de corruptione vitam nostram amaritudo parsimoniæ & laboris. Ipsi etenim scitis quomodo vermescerent corda, quomodo vermescerent corpora, si non quotidie de manibus laborantium distillaret myrrha. An non vermis luxuria? Nescio si alter nocentior: Ingreditur blandiendo, mordet ridendo, transforat delectando, perimit consensu voluntario. An non vermis acedia, & tristitia? *Sicut tinea*, inquit[o], *vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi.* Quid omnia desideria mala? An non vermes & ipsa? *At in desideriis est omnis ociosus, & desideria occidunt pigrum*[p]. Beatus igitur cui ad mortificandos vermes huiuscemodi, manus propriæ distillant myrrham per vniuersum sui: iamque præuenit vngere corpus suum in sepulturam. Sed suum dicam, an Iesu? Imò & Iesu. Corpus enim illius membrum est Iesu. Quisquis ille est qui sic vnctus est, non est quòd timeat vermem qui non moritur: quia iam mortuus est ei vermis, vnde illi moritur.

n 1. Tim. 4. c
Labor & afflictio corporis, quam sit vtilis animæ.
Luxuria pestilens vermis.
o Prou. 25.
Item tristitia.
p Prou. 21. d
Et omnia praua desideria.

6. Myrrham itaque & myrrham electam atque probatissimam Domino cum regibus Rex & ipse obtulisti, si interim dum non sufficit manus tua ad offerendum aurum sapientiæ, aut thus deuotionis, saltem cor cōtritum corpusque afflictum, cum amaritudine pœnitentiæ Domino sanctificasti. Existimo enim, sine præiudicio tamen melioris intellectus, myrrham esse primam oblationem incipientium, deinde thus proficientium, demumque aurum perfectorum: atque idcircò cùm simul ab Euangelista nominata sunt, preciosiora quæque & digniora pro merito sui prælata esse in ordine nominum. Aliàs namque secundum ordinem profectuum

Myrrha est oblatio incipientium, Thus proficientium, Aurū perfectorum.

q Cant. 3. b myrrham thuri præpositam inuenis, vt est illud q: *Sicut*
r Cant. 4. b *virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.* Et r *vadam*
ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Non paruus si-
quidem profectus est cùm de myrrha ad thus proficitur:
cùm de ista, quæ ad vsus est infirmitatis humanæ, ad il-
lud quod diuinis, & festiuis deputatum est sacrificiis,
peruenitur: vt qui sacrificium spiritus contribulati, cor-
porisque humiliati offerebat, non sine myrrha amaritu-
dinis iam sacrificium laudis offerat cum thure deuotio-
s Esa. 61. nis, & iuxta promissionem Domini s, tanta consolatio
immittatur lugentibus Sion, vt det eis coronam pro ci-
nere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu
t Psal. 29. c mœroris. Tunc cantat qui lugebat t: *Conuertisti planctum*
meum in gaudium, mihi concidisti saccum meum spiritum
mœroris, *& circumdedisti me lætitia,* pallio scilicet laudis,
u Esa. 61. *vt cantet tibi gloria mea, & non compungar.* u. *Gaudens*
enim gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo
meo: quia induit me vestimento salutis, & indumento læti-
tiæ circumdedit me.

7. O fratres, quibus minus sufficiunt vestimenta vestræ
paupertatis, in hac asperitate hyemis, qui dicitis: ante
faciem frigoris huius quis sustinebit? cur non induimi-
ni, quæso hoc vestimento lætitiæ & salutis, hoc pallio
Pallium diui- laudis? Si Dominum laudaris, in Domino laudabitur
næ laudis ad anima nostra & pallio laudis quo opertus est laudabilis
calefaciendos nimis, vos quoque operiet, & confouebit, quemadmo-
algentes, pul- dum gallina pullos suos sub alis, si modò velitis. Ah quo-
cre. ties voluit & noluistis! Nunquid enim hoc palliū breue
est, vt vtrumque operire non possit? *Non angustiamini,*
x 2. Cor. 6. c inquit x, *in nobis, angustiamini autem in visceribus vestris.*
Dilatamini & vos, & pallium dilatabit vsq; ad vos. Nō
est abbreuiata manus eius, vt saluare nequeat: nec gran-
de est ei, vt consoletur nos, nisi prauitas nostra prohi-
beat. O qui algetis, pallium hoc calidum est: quia calor
est, qui non modò interius, sed exterius calefacere po-
test. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum terra tua
z Iob. 37. e perflata fuerit austro z; imò ignis missus in ossibus a, ac
a Thren. 1. c vehementer accensus? Hoc igne thus illud adole, quod
cum Regibus obtuleris, dirigatur oratio tua sicut incen-
sum in conspectu Domini: & cùm de sacrificio tuo odo-
y Cant. 4. c ratus fuerit odorem suauitatis, dicat tibi y: *Odor vesti-*
mentorum tuorum sicut odor thuris.

8. Iam verò de Auro sapientiæ (quæ oblatio, vt diximus,
perfectorum est) loquatur vobis, qui illud assecutus est,
quia nec nouit illud nisi qui accipit. Qui ergo sapientiā
didicit, sapientiam loquatur inter perfectos: & de auro
quod possidet, murenulas aureas auribus vestris fabri-
cet. *Ego enim non arbitror comprehendisse me, sequor autem*
z Philip. 3. c *si quomodo comprehendam.* z. Magnus prorsus ac beatus,
qui inuenit sapientiam, & affluit prudentia: sapientiam
in contemplatione æternorum, prudentiam in admi-
nistratione temporalium: vel, vt moderatius sapientem
Sapientis de- definiam, qui nouit se ipsum regere & alium. Preciosius
finitio. est hoc *Aurum* cunctis opibus, etiam *Thure & Myrrha*:
& omnia quæ desiderantur in virtutibus vel gratiis, huic
non valent comparari. Denique sapiens tanquam vir
virtutum diues in omnibus, etsi præualet aurum offer-
re in sublimi contemplatione, vel prudenti administra-
Offerētes au- tione, non tamen negligit offerre thus in deuotione di-
rum non ne- uini operis; myrrham in mortificatione sui. Nos igitur,
gligant thus fratres, quod habemus offeramus in gloriam noui Re-
& myrrham. gis: quod minus habemus, ab ipso petamus cui offerre
cupimus. Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui
a Iac. 1. a dat omnibus affluenter a. Munera mea, data mea, ait Pa-
ter luminum, à quo omne donum perfectum, & omne
datum optimum, ipsi gloria in sæcula sæculorum.

DE EPIPHANIA DOMINI
Sermo II.

Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum.
Isaiæ 60.

1. HOdiernum diem luminum illuminauit nobis, &
consecrauit lumen de lumine, quod hodie cùm la-
teret incognitum, ad illuminationem omnium gentium
sese dignatum est mundo reuelare. Hodie namq; se reue- Dies Epipha-
A lauit Chaldæis noui sideris indicio, cùm eorum primitiis niæ tribus
omnium fidem gentium dedicauit. Hodie se reuelauit Mysteriis, seu
Iudæis, non solùm Ioannis, sed & Patris & Spiritus san- miraculis il-
cti testimonio: vbi in Iordane baptizatus, baptisma o- lustris.
mniū consecrauit. Hodie manifestauit gloriam suam co-
rā discipulis suis: quādo mutatione aquæ in vinum, illud
ineffabile præostendit mysterium, in quo, verbo ipsius,
substantiæ mutantur rerum. His omnibus Dei apparitio-
nibus præuidens Spiritus illuminandā Ecclesiæ fidem,
alloquitur eam sub typo & nomine Hierusalem, dicēs a: a Isa. 60. a
Surge illuminare Hierusalem: quia venit lumen tuum. Ve-
nerat quidem lumen, in mundo erat, & mundus per i-
psum factus erat: sed mundus ipsum non cognoscebat.
Erat natus, sed non erat notus: donec declarare eū cœ-
pit luminosa dies ista. Ait ergo Propheta: *O Hierusalem*
noua, ciuitas magna noui regis, *mons Sion, latera Aquilo-*
nis b, id est, de vtroq; ædificanda pariete circumcisionis, b Psal. 47. a
& præputii: *surge illuminare; quia venit lumen tuū.* Surgi-
te qui sedetis in tenebris, intēdite lumini, quod exortum
est in tenebris, sed non cōprehenditur à tenebris. *Acce-*
dite ad eum & illuminamini c, & in lumine eius videbitis c Psal. 33. a
B lumen: diceturque vobis d: *Fuistis aliquando tenebræ,* d Eph. 5. b
nunc autem lux in Domino. Intendite lumini æterno, quod
se vestris aspectibus temperauit: vt qui lucē habitat inac-
cessibilem, infirmis quoque & lippientibus oculis posset
accedi. Aduertite lumen in lucerna testæ; solem in nu-
be; Deum in homine; in luteo vasculo carnis nostræ
splendorem gloriæ, candoremque lucis æternæ.

Latet quidem maiestas in humanitate, virtus in hu- 2.
militate; sed signa virtutum erumpentia, vnde hæc pro-
deant, non sinunt ambigere. *Opera,* inquit e, *quæ ego fa-* e Ioan. 10. e
cio, testimonium perhibent de me. Magnum quidem testi- Maiestas
monium Ioannis, qui venit vt testimonium perhiberet, Christi qui-
lucerna de lumine: at enim multo maius illud testimo- bus signis &
nium cæleste, quod Pater & Spiritus sanctus Filio perhi- testimoniis
buēre: Pater in voce, Spiritus in specie f: cùm in ore duo- declarata.
rum testium stet omne verbum. Sed & hoc ipsum si mi- f Luc. 3. c
nus accipitur, *opera* (inquit) g innumerabilia, *& irrefra-* g Ioan. 10. c
gabilia, *quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Planè
incorruptus, & irreuincibilis testis, cùm creatura insen-
sibilis sensum quendam accipit in confessionem Crea-
toris, voluntatem eius exaudiens, ac nutui incunctan-
C ter obediens. Quid enim diuinius poterat exhiberi sen- Nouæ stellæ
sibus mortalium, quàm hodiernæ nouitatis signum, Christum de-
quod etiam ante signorum suorum præmisit Iesus ini- signantis mi-
tium? Vagit puer nouus in terris, & sidus nouum creat raculum.
in supernis: vt lumen testetur de lumine, stella de sole,
& Reges in splendore ortus sui, ad exortum quoque æ-
ternum splendorem, ab oriente ad verum orientem,
id est, *virum cui nomen Oriens* h, stella perducat: non qua- h Zac. 6. c
si stella, sed quasi rationale animal in via præcedens, in
fine viæ consistens, ac velut digito ipsum qui quærebatur
ostendens. Sed esto, calumnietur infidelis, hanc stellam
non esse opus Christi, dummodò confiteatur opus esse
Patris in testimonium filii. Attamen obruet eum mul-
titudo infinita, ac magnitudo mirabilium planè diuino-
rum, quæ absque contradictione Iesus noster operatus
est in carne, sed non ex carne.

Sed operiant tenebræ terram, & caligo populos: qui 3.
cùm *lux venit in mundum, dilexerunt magis tenebras quam*
lucem i: dummodò tu illumineris Hierusalem ciuitas i Ioan. 3. c
D cælestis, quæ in omni terra, & populo, Deo paritura
es filios lucis, quos de potestate tenebrarum transferet Illuminatio
in regnum claritatis suæ lumen verum. Gratias tibi Pa- Hierusalem.
ter luminum, *qui de tenebris nos vocasti in admirabile lu-*
men tuum k. Gratias tibi, *qui dixisti de tenebris lumē splen-* k 1. Pet. 2. b
descere, & illuxisti in cordibus nostris ad illuminationē sciē-
tiæ in facie CHRISTI IESV l. Hæc siquidem est lux vera, l 2. Cor. 4. b
imò vita æterna m, vt cognoscamus te vnum Deum, & m Ioan. 17. a
quem misisti Iesum Christum. Cognoscimus te, quia co-
gnoscimus Iesum: quoniam Pater & Filius vnum. Co- Lumen nos
gnoscimus quidem per fidem ipsam tenentes aram fi- perducens ad
delem: quia cognoscemus te per speciem. Interim ta- veram Ierusalem.
men auge nobis fidem, deducens nos ex fide in fidem,

à claritate in claritatem, tanquam à tuo spiritu: vt de die in diem thesauros luminis profundius ingrediamur, quo fides amplior, scientia plenior, charitas feruentior fiat, & diffusior: donec per fidem perducamur ad faciem, tanquam per stellam præducem ad nostrum Bethleemiticum ducem, qui egressus de Bethleem regit Israëlem, & regnat in Hierusalem: non ista quæ occidit Prophetas, ipsumque Dominum Prophetarum: sed illa in qua coronat occisos, idem Dominus causa, virtus, & gloria Martyrum.

4. O quanto gaudio ibi tripudiat fides Magorum, cernentium in illa Hierusalem regnantem, quem in Bethleem adorauerunt vagientem! Hic visus est in diuersorio pauperum, ibi in palatio videtur Angelorum: Hic in pannis paruulorum, ibi in splendoribus Sanctorum: Hic in gremio Matris, ibi in solio Patris. Planè digna beatorum fides Magorum, vt tam felici visione remuneretur: quæ cùm in eo nihil nisi infirmum, & contemptibile videret: non tamen scandalizari potuit, quominus Deum in homine, & hominem in Deo veneraretur. Proculdubiò stella ex Iacob illuxerat in cordibus eorum, stella inquam matutina, lucifer qui nescit occasum, qui etiam foris stellam matutini ortus sui indicem, accenderat in cordibus eorum. De his omnino conuenienter intelligi potest, quod apud Salomonem scriptum est [n]: *Iustorum semita, quasi lux splendescens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Primò namque semitam iustitiæ ingressi sunt ad lucem splendentis sideris, cuius ductu profecerunt ad videndum nouum ortum matutinæ lucis: sieque demum peruenerunt ad contemplandam faciem meridiani solis, in die virtutis suæ rutilantis.

Magorum fides quantum remuneretur in cœlis.

n Prou. 4.

5. Pulchrè igitur signanterque in his gentium primitiis, in his nascentis Ecclesiæ primordiis, præostensus est fidei profectus in singulis: vnde scilicet incipiat, quomodo proficiat, & quò demum perueniat: vt facilè ipsorum qui patres sunt, in filiis agnoscantur vestigia. Sicut illi cœperunt à visione sideris, profecerunt ad visionem pueri, peruenerunt ad visionem Dei: sic in nobis fides nascitur supernorum prædicatione luminariũ: roboratur visione quarundam imaginum per speculũ, & in ænigmate Deum velut incarnatum nobis exhibentium: consummabitur, cùm præsens & nuda videbitur veritas rerum facie ad faciem contemplantibus, quod vix tenuiter & raptim in ænigmate nunc attingitur: cùm & ipsa fides transibit in cognitionem, spes in possessionem, desiderium in fruitionem. Lucent namque & nobis stellæ, non vna sed multæ: nisi quia multæ vna: quarum scilicet cor vnum est, & anima vna; fides eadem; prædicatio consona, similisque vita. Quæ sint hæ stellæ, si dubitas, Danielem interroga [o]: *Qui ad iustitiam*, inquit, *erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Paulus etiam *luminaria* vocat [p] eos, qui lucent *in medio nationis praua & peruersa*, continentq; verbum vitæ tãquã splendorẽ mutuatum ab æterna luce: quo & noctẽ huius mundi iussi sunt illuminare. Ideò Dominus fons & origo lucis, cum ordinaret lunã & stellas in potestatem noctis, dicebat illis [q]. *Vos estis lux mundi.* Et iterum [r]: *Sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videãt opera vestra bona, & glorificent Patrẽ vestrum, qui in cœlis est.* Lucent itaque verbo, lucent exemplo: & vtroq; lucis radio ortum æternæ lucis annunciant: dum cœlestẽ quem voce prædicant, etiam cœlestis vitæ similitudine commendant.

Fidei profectus Exemplo Magorum ostenditur.

Quæ nobis stellæ luceãt.

o Dan. 12. a

p Philip. 2. b

Nempe, qui verbo & exemplo monstrant viam salutis.

q Matt. 5. b

r Ibid.

6. Suspicite, Fratres, in cœlum: in cœlo siquidem est cõuersatio eorum: suspicire, & intendite mentis oculos, si necdum potestis in rotam solis, saltem in fulgorem siderum: admiramini splendorẽ Sanctorum, imitamini fidem, æmulamini sanctitatem. Stellæ istæ sicut flamma coruscant, & lumen luminum ortum demonstrant, ducunt ad cunabula noui Regis, ad cubiculum Virginis matris, quod est inuiolabile fidei mysterium: imò perducent in templum Regis, in sanctuarium Dei Patris: quod est incogitabile fidei præmium. Interim autem dum idonei non sumus, sapientiam Dei quæ in mysterio abscondita est, scrutari, vel maiestatem quæ in præmium repo-

Sanctorum claritas contemplanda, dum necdum licet Solis ipsius gloriam intueri.

A sita est, contemplari: contenti simus Sanctorum claritatem mirari, sanctitatem imitari. *Fili*, inquit [s], *concupisti sapientiam, serua mandata: & Dominus præbebit tibi illam. Altiora* [t] *autem te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit Dominus tibi, ipsa conserua semper. Præceptum* [u] namque *Domini lucidum, illuminans oculos:* quibus postmodum ipsum corpus luminis valeas intueri, cùm in luce radiorum, id est, in opere mandatorum versari consueueris. *Dulce* quidem *lumen*, vt ait Salomon [x], *& delectabile oculis, videre solem.* Dulce prorsus & delectabile, sed illis quibus tolerabile. Sanos oculos fouet, infirmos torquet. Et quis est tam sano & acuto visu, vt in aspectu illius inuisibilis solis non cæcutiat? Quis ille scrutator maiestatis, qui non opprimatur à gloria? Mirabilis facta est, ô Domine, claritas tua, tum ex se, tum etiam ex me: quia confortata est aduersum me, dum acies mea infirmata est in me: & iam non potero ad eam, sicut poteram in Adam. Potero forsitan ad claritatem siderum, qui non possum ad solem ipsum: & per hanc quandoque confortabor ad illum.

s Eccli. 1. d

t Eccli. 3. c

u Psal. 18. b

x Eccle. 11. b

Ad fulgorem diuinæ maiestatis oculi nostri cœcutiunt.

Eia surge, illuminare anima mea, quæ sedebas in tene- 7.
B bris: suspice luminaria cœli, leua oculos tuos in montes, vnde veniet auxilium tibi, si veneris ad illum qui habitat in cœlis, id est, in montibus ipsis. A montibus, inquã, veniet auxiliũ tibi, quia lux tibi inaccessibilis illuminat mirabiliter à montibus æternis. Susceperunt montes lucem populo, à quibus ad valles camposq; descendat subiectos. Hoc itaq; dico fratres, optimum est, nostræq; infirmitati congruum illuminationis initium, si intendamus in eos qui illuminati sunt. Rectissima via est inueniendi Iesum, si præcedentium patrum sequamur lumen præuium. *Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum* [y]. Qui iustum sequitur, non ambulat in tenebris: non modò videbit, sed habebit lumen vitæ. Videbit ad consolationem præsentis vitæ: habebit in possessionem hæreditatis æternæ. Pietas nempe, promissionem habet vitæ quæ nunc est, & futuræ [z]. Exerceamur ad pietatem, & neutro nos fraudabit, qui se vltrò nobis fecit debitorem. Exerceamur in operibus lucis, & qui abscondit lucem in manibus suis, annuntians de ea amico suo, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere: nũc aliquãdo in solatium operis eam nobis demonstrabit, & post-
C modum in præmium dabit, ipse lux nostra Iesus Christus, qui viuit & regnat, per omnia sæcula sæculorum.

Illuminatorũ seu Sanctorũ exempla intueri, illuminationis initium est.

y Isa. 26. b

z 1. Tim. 4. d

a Iob. 36. d

DE EPIPHANIA DOMINI

SERMO III.

Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum.
Isaiæ 60. A. 1.

BEnedictum lumen quod venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis: de cuius munere etiam dies iste, dies sanctificatus de illuminatione Ecclesię illuxit nobis. Gratias tibi lux vera, quæ illuminas omnẽ hominem venientem in hunc mundum, quæ ad hoc venisti homo in hunc mundum. Illuminata est Hierusalem mater nostra, mater omnium qui illuminati meruerunt: adeò vt iam luceat omnibus qui in mundo sunt. Gratias tibi lux vera, quæ lucerna es facta, vt Hierusalem illuminares, & lucerna pedibus meis, verbum Dei fieret: Gratias, inquam, tibi, quoniam ipsa Hierusalem illuminata facta est lucerna, luceat omnibus qui sunt in domo 1.
D magni patrisfamilias. Non solum enim illuminata est, sed exaltata, & super candelabrum illud totum aureum sita est: ciuitas super montem montium, illa quondam derelicta & odio habita, posita est in superbiam sæculorum: vt tam longe lateque fulgeat eius Euangeliũ, quàm longè lateque mundi vigebat imperium. Et si opertum est eius Euangelium, in his qui pereunt opertum est [a]: in quibus Deus huius sæculi, excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis gloria Ecclesiæ Christi. Quibus tamẽ non fulget vt videant, fulget vt inuideant: & Ecclesiæ torquentur gloria, qui ipsius illuminari nolunt gratia. Verùm Ecclesia nec propter gloriam qua floret, su-

Gloria & dilatio Ecclesiæ Christi.

a 2. Cor. 4. a

perbiens, nec gratiam qua pollet inuidens, etiam illis quos molestos tolerat, lumen quod accepit implorat, dicens b: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Mei forsitan sunt, quia prædestinati, sed adhuc tenebræ sunt, quia nondum vocati aut iustificati. Voca & ipsos in admirabile lumē tuum, & prædicabunt mecum admirabile nomen tuum.

b Psal. 17.

Iustus etsi illuminatus, nō tamen omnino liber à tenebris.

Quanquam iustus quisque ac sanctus in Ecclesia, ita se illuminatum gaudeat, vt adhuc se non minima ex parte tenebrosum videat & doleat: & ideò necessariò, cùm illuminatus sit, adhuc se illuminari petat. Quantò namque amplius lucerna eius illuminata fuerit, tantò verius ex lucerna ipsa tenebras suas deprehendit. Nec statim contrarium putaueris, quod in Euangelio veritas ait c: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Non enim, quia ex oculo syncerę intentionis totum opus nostrum lucidum fit, ideò consequens est, vt statim omnes tenebræ ignorantiarum nostrarum illuminatæ sint. Is nēpe modus est adhuc illuminationis nostræ, vt in lumen veritatis multum existimetur profecisse, qui defectum suum potuerit nosse, & scire quid desit sibi. Inde est quòd & apud sapientes huius mundi, qui magis sobriè disputarunt de scientia, primus numeratur gradus scientiæ, scire quòd nescias.

c Matth. 8.

Multum profecit, qui scit, quid sibi desit. Primus scientiæ gradus. Scire quod nescias.

2\. Fratres, omnes vos filii lucis estis, & filii Dei: Non sumus noctis, neq; tenebrarum. *Nox enim præcessit, dies autem appropinquauit* d. *Et si fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* e. Veruntamen si, quoniam non sumus tenebræ, nec filii tenebrarum, dixerimus nos nihil pati tenebrarū, nos ipsos seducimus, & tenebras mortis, quæ illuminari non merentur, nobis inducimus. Quid enim ait lux mundi, quæ in iudicium venit in hunc mūdum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant? *Quia*, inquit f, *dicitis, videmus: peccatum vestrum manet.* Video quātulumcunque, *quoniam tu illuminas lucernam meam, ô Domine* g: sed quia parum est quod video, *Deus meus illumina tenebras meas.* Videmus vt multum per speculum, & in ænigmate: sed multum longè est hoc ipsum à claritate vera, clarāque veritate, quæ videbitur in facie. Ideò forsitan cæcus, quē apud Marcum h Dominus illuminare cœperat, homines quasi arbores ambulantes videbat: quia videlicet non nisi per speculū, & in ænigmate videbat: secundò imponens manum restituit eum, ita vt videret clarè omnia: quod in nobis fiet, cùm nos reficiet, & sanitatem perficiet impositione manuum secunda, quā cœpit prima, restituens nos in claritate perfecta.

d Rom. 13. d
e Eph. 5. b

Tenebræ in nobis residuę.

f Ioan. 9.

g Psal. 17.

h Matt. 8.

Ibidem.

3\. Sed hoc ipsum per speculum & in ænigmate, cui, aut quando, vel quandiu potest cōtingere? Quā misericorditer mecum ageretur, quàm feliciter mihi viderer illuminatus, si peccata mea possem videre, cui quotidie necesse est plangere ac dicere i: *Circumdederunt me mala quorum non est numerus, & non potui vt viderem.* Nam *delicta quis intelligit* k, quando etiam specie virtutis vitium decipiens interficit, quasi verè angelus tenebrarū transfigurans se in Angelum lucis? Magnus vtique, multumque illuminatus, qui delicta ad liquidum intelligere potuit & voluit: nam neque & dolosus potuit, & *noluit intelligere, vt benè ageret* l. Deus illuminator omnium gentium, de te nobis cantabatur: Ecce veniet Dominus, & illuminabit oculos seruorum suorum. Ecce venisti, ô lumen meum, illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte: ne peccatum ad mortem oculos nostros aliqua delectatione claudat, & consensum illiciat, aut velut Isboseth dormientem m inueniens transfodiat. Venisti, ô lumen fidelium omnium, & ecce hodie de illuminatione veræ fidei, id est, lucernæ nostræ, dedisti nobis gaudere: da etiam de illuminatione tenebrarum nostrarum, quæ residuæ sunt, semper in Domino gaudere. Dedisti lumen veræ fidei, da & lumen veræ iustitiæ, da lumen diuinæ scientiæ, da etiam & diuinæ sapientiæ.

i Psal. 39.

K Psal. 18. c

Cæcitas cordis humani ad intelligenda peccata.
l Psal. 35. a

m 2 Reg. 4. b

4\. His profectò gradibus proficiendum, hac via proficiscendum tibi esse puto, ô anima fidelis, quò fallacis mundi huius tenebris exuta, peruenias ad patriam claritatis æternæ, vbi tenebræ tuæ erunt sicut clare meridies, & nox sicut dies illuminabitur. Tunc prorsus, *tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum* n: quando replebitur Maiestate diuina incircumscripti luminis omnis terra, & gloria eius in te videbitur. *Domus Iacob venite ambulemus in lumine Domini* o: vt veri filii lucis ambulemus de claritate in claritatem, tanquam prælucente Domini spiritu, vt per singulos gradus virtutum regnum claritatis vlterius inuadamus. Qui igitur iam per fidem sumus in lumine, ea ea & per eam in amplius & serenius lumen progrediamur: primò iustitiæ, dein scientiæ, demumque sapientiæ. Quod enim credimus per fidem, consequenter operandum vel promerendum est per iustitiam, pòst intelligendum per scientiam, ac postremò contemplandum per sapientiam. Prima namque omnium accensa est lucerna fidei, ad quam operemur in nocte huius sæculi. Inde scriptum est in laudem mulieris fortis, quæ de nocte surrexit, & de nocte ac die operans manibus suis, panem otiosa non comedit. *Non extinguetur*, inquit p, *in nocte lucerna eius*, id est, non deficiet de tentatione fides eius. Ad hanc lucernam non fiunt opera tenebrarum, sed extinguitur cùm fiunt. *Qui enim malè agit, odit lucem* q. Ideoq; extinguit lucernam fidei, postponit memoriam Dei, non est timor Dei ante oculos eius, & de tenebris quas sibi fecit, arbitrorumq; absentia blāditur sibi, dicens r: Quis me videt? *Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me.* Quem vereor? *Delictorum meorum non memorabitur Altissimus, & non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius.* Bona verò opera, & si aliquando propter vanitatē declinandam in abscondito fiunt: ad lucem tamen internam, & æternam id est, sub iudicio fidei, & testimonio Dei fiunt, quia opera lucis sunt: lucernæ vtique ardentes in manibus operantium, & expectantium aduentum sponsi, qui educet quasi lumen iustitiam tuam, ad conspectum hominum & Angelorum: & sicut lux meridiana clara est, clarescere faciet opera tua, quia in Deo sunt facta, vt Deum iure, & te in Deo clarificent omnium iudicia.

n Isa. 60. a

o Isa. 2. b

Proficiendum continuò de lumine in lumen.

Lucerna fidei.

p Prou. 31. b
Non patitur opera tenebrarum.
q Ioan. 3. c

r Eccli. 23.

Opera bona semper luci exposita.

5\. Quanta verò claritate iustitia resplendeat etiam in præsenti, quanta luce lætificet conscientiam iusti, familiariùs & suauiùs conscientiæ vestræ testimonium vos docebit. Sæpè autem & fides radiat: & iustitia coruscat, & adhuc tamen intellectus caligat: vt mysterium fidei quod velut inuolutum tenens veneratus, explicare nesciat: signatus sit ei liber scripturæ, quasi literas nesciat: sed nec ad discretionem boni & mali, veri & falsi, sensus exercitatos habeat. Et tales quidem multi in Ecclesia, quorum fides multa, abundans iustitia, scientia ferè nulla. Quòd tamen ad lumen iustitiæ accedere oporteat lumen scientiæ, docet sermo Prophetæ, qui cùm præmisisset s: *seminate vobis ad iustitiam*: vt ostenderet quas interim primitias colligamus, de hoc semine, subiunxit: *illuminate vobis lumen scientiæ.* Sic & Apostolus ait t, *fructificantes in opere bono, & crescentes in scientia Dei.* Tu quoq; Dauid sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres *, quomodo *super senes intellexisti? Quia mandata*, inquit u, *quæsiui*: à mandatis prorsus intellexi, quia intellectus bonus omnibus facientibus timorē Domini. Nam & vnctio docens de omnibus, sciens nimirum quo ordine quidquid apud eum discendum sit, prius docet *bonitatem & disciplinam*, & postmodū *scientiam*: si tamen qui docendus est primò omnium crediderit, id est elementa exordii sermonum iustitiæ didicerit. Ideò ille discipulus vnctionis tam prudenter precem ordinabat, atque allegabat: *Bonitatem*, inquit x, *& disciplinā & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.* Ac si diceret: Didici prima elementa, id est, fidē non fictam: iam quod sequitur, doce iustitiam, id est, bonitatem & disciplinam, vt sic demum proueham ad Sanctorum scientiam. Vocasti ad gratiam fidei, iam iustifica per bonitatem amoris, & disciplinam casti timoris: vt post magnifices munere scientiæ spiritalis. *Quos autem vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, illos & magnificauit* y.

Iustitię & pietatis splendor in vita præsenti.

s Ose. 10.
Lumen scientiæ ad lumen iustitiæ accedere debet.
t Col. 1. b
* al omnes.
u Psal. 118. n

Vnctio spiritus docet Fidem, iustitiā, scientiam.
x Ibid. 1.

Scientia Sanctorum.

y Rom. 8. f

6\. Sciendum sanè, quòd cùm sit hæc scientia Sancto-

rum, non tamen omnes Sancti docentur eam: sed illi duntaxat, in quibus nec industria gratiarum, nec gratia destituit industriam: sed vtrumque mutuo sibi suffragio cooperatur, vt & docibilis sit homo discipulus, & Spiritus adsit doctor sedulus. Cùm autem varia charismata contineat hæc scientia, Spiritus tamen moderator non in vnum facilè confert omnia, sed diuidit singulis prout vult, alii notitiam mysteriorum, alii intellectum Scripturarum, alii interpretationem sermonum, alii discretionem spirituum; alii illam quæ pernecessaria est, velut in gustu dignoscentiam, atque diiudicationem virtutum ac vitiorum, ne fallant vitia specie virtutum. *Non nocebunt*, inquit [a], *& non occident in vniuerso sancto monte meo: quia repleta est terra scientia Domini.*

Non omnes eam æquè participant.

a Isa. 11 b

7\. Iam verò si quis post hæc & per hæc tria fidem, iustitiam, atque scientiam, proficiat ad sapientiam, id est, saporem & gustum æternorum, vt possit vacare & videre, videndoq; gustare quam suauis Dominus: & quod oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis nô ascendit, ei per Spiritum reueletur: hunc omninò dixerim illuminatum magnificè & gloriosè, tanquam qui gloriam Domini reuelata facie speculetur, & super quê gloria Domini sæpiùs oriatur. Huic vtique dicere habet non Propheta, sed Prophetarum Spiritus [a] *Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Fratres non omnes capiunt hoc verbum, sed qui potest capere capiat. Non condemnatur qui non capit; sed qui non cupit, vtique tepotis arguitur. Qui autem capit: nouerit quia hoc lumen sapientiæ feruens accendit oratio, sicut & lumen scientiæ, frequens lectio, si tamen cùm legis lucernam ardentem adhibueris, id est, industriam operum, priorem neque experientiam sensuum. Tu autem Domine Pater luminum, qui lumen de te lumine vnicum tuum misisti illuminare tenebras mortalium, da nobis per viam luminum peruenire ad lumen æternum, vt placeamus coram te in lumine viuentium, qui viuis & regnas per omnia secula seculorũ.

Sapientia vera est gustus & sapor æternorum.

a Isa. 60 a

B

DE EPIPHANIA DOMINI

SERMO IV.

1\. SEcunda nobis hodie, fratres, natiuitas celebratur, quæ de illa prima natiuitate tanquam de causa affectus, consequenter nata videtur. Illa siquidem quam vsq; hodie celebrauimus, natiuitas Christi est: ista quam hodie celebramus, natiuitas nostra est. In illa namq; Christus natus est, in ista Christianitas nata est. Cum enim tria sint quæ nos faciunt Christianos, Fides, Baptismus & Altaris participatio: hodierna dies fidem nobis nuntiauit, baptisma consecrauit; ac mensæ cœlestis miracula præformauit. Quomodo sanè prima gentium illuminatio fidem nobis initiauerit; quomodo Christus baptizatus baptisma nostrum consecrauerit; qualiter illa conuersio aquæ in vinum, mutationem rerum in conuiuio mensæ Dominicæ præostenderit, nequaquam iam opus est vt doceamus: sed illud arbitror operæ pretium, vt nosmetipsos commoneamus, ne fides in nobis à suis degeneret initiis; ne vacuetur in nobis gratia baptismatis; ne cedat nobis in iudicium participatio calicis Christi.

C

Tria nos faciunt Christianos, Fides, Baptismus & Altaris participatio.

2\. Et ipsa quidem fides, qualis ab illis Magis primis videlicet authoribus suis, nobis hodie tradita sit, qualiter maximum fidei sacramentum mysticis insinuauerint munerum figuris, satis abundeque disseruere patres nostri: vt ex ea parte nullus iam alius labor quàm in laboribus eorum introire nobis resederit. Sed neque magnoperè postulat status, imò ruina temporis huius, vt de mysterio fidei disputetur: sed vt magis id modis omnibus elaboretur, vt sicut Apostolus ait [a], in conscientia pura, idem fidei mysterium habeatur. Ecce enim hodie si de mysterio fidei interrogas, omnes ferè inuenies Christianissimos, si conscientias discutias, paucos admodum inuenies verè Christianos. Totus ferè mundus *confitetur verbis se nosse Deum, factis autem negat* [b]: adeò vt & qui speciem pietatis videntur habere, virtutem eius sæpius inueniantur propemodum abnegare. Quid

D

a 1. Tim. 3. c

NOTA. Multi nomine, pauci re Christiani.

b 1. Tit. 1.

putatis autem, fratres mei, quos in hoc significare voluerim, quos scilicet dicam pietatis habere speciem, sed abnegare virtutem? Si illos qui spaciosam viam seculi ambulant, intelligitis: quid illi vel de sola præferũt pietatis specie, qui nomine solo Christiani, atque in vacuum assumentes nomen sanctum Christi, tota ac libera professione sectantur quæ huic inimica sunt nomini, qui omni specie conuersationis & modo vitæ, se protestantur inimicos crucis Christi? Hæccine est species pietatis quam in eis videmus; habitus & incessus meretricius; sermo scurrilis, oculus impudicus, venter qui pro Deo colitur, & omnis illa vitæ contumelia, quæ publicè & gloriabundè, velut in faciem pietati irrogatur? *Quæ enim in occulto ab ipsis fiunt, turpe est dicere* [c]. Fodiet parietem eorum, qui ad ipsos missus est prophetare: vt adhuc maiores abominationes videat, quas non erubescunt, aut verentur coram illa tremenda maiestate perpetrare. Quid enim mihi qui monachus videor, de his qui extra hoc monasterium sunt iudicare? Vtinam nec de his ipsis qui hîc intus sunt, mihi esset iudicare: Ad incipium namque conturbata est anima mea, dum scilicet vereor, ne hæc ipsa species pietatis, quam vtcumque vobiscum gero, grauiùs me incipiat accusare: si pietatem ipsam me conuicerit abnegasse.

A

Christiani nomine tenus quinam.

Mores & depranatio seculi.

c Eph. 5.

3\. Omnino, fratres, verendum est mihi, an verò & vobis ipsis, vos videritis, ne ad nos præcipuè spectet ille sermo, qui per Apostolum prophetatus est, de temporibus nouissimis: vbi cùm malitiam hominum describeret tunc futurorum, qualis nunc manifestè legi potest in vita & moribus eorum, longum tandem sic conclusit malorum catalogum, *habentes*, inquit [d], *speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Quid enim ita speciem pietatis habet, sicut hæc quam prætendimus, humilitas tonsuræ & habitus, parsimonia cibi & potus, labor ferè continuus, & ordinatissimus per omnia viuendi modus? Cæterũm de virtute ipsa pietatis, quam hæc species exterior promittit, quàm propè nihil in me meique similibus valeat inueniri; pudor mihi esset confiteri, si non omnibus essemus manifesti. Quæ est enim virtus pietatis, nisi charitas non ficta, humilitas vera, patientia longanimis, obedientia non segnis? In his virtutibus earumque similibus, quantum vobis liceat gloriari, vestro fratres, relinquimus iudicio: de me siquidem ingenuè confiteor, quia nomina quidem earum scio saporem adhuc ignoro. Meritò itaque pudorem mihi pariter & timorem incutit habitus quê gero religionis, cui ferè nullum suffragatur testimonium virtutis. Numquid enim tutò mihi possum vsurpare monachi nomen & honorem cuius non habeo meritum & virtutem? cùm sicut ante nos dictũ est [*], simulata sanctitas, duplicata sit iniquitas: & lupus sub ouina pelle deprehensus grauiore sit sentẽtia percellendus. Propterea vos quoq; fratres, vt tutò gloriari possitis, in hac, qua corpora vestra decorata sunt, specie pietatis, ponite corda vestra in virtute eius, vt species in corporibus, virtus in cordibus, probatos vos exhibeant, tam Angelis quam hominibus: sitque sicut scriptum est [e], *Omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.*

B

C

d 2. Tim. 3. c

Noterit ista præcipuè viri Religiosi & hi ista fieri, vt veræ & solidæ pietati studeant non Larnam eius aut speciem tantum tenentur.

Humilis B. Vir. de seipso cô... in principio sermonis accusator est sui.

* Augusti. Simulata sanctitas, duplex iniquitas in psal. 63. tom 8.

e Isa. 61. c

4\. Hæc est Fratres, Christianæ fidei pietas vera, hoc est habere mysterium fidei in conscientia pura. Vt enim mysterium fidei, quod hodie nobis mystica commendauerunt Magorum munera, fideliter & dignè conseruatemus immaculatũ in conscientia pura: hodie itidê Christus baptizatus, non sibi sed nobis, *Aspersit* (sicut Apostolus ait [f]) *corda nostra à conscientia mala, & abluit corpora aqua munda.* Quàm felix, ô Fratres, anima illa, quæ sic lota in salutem, mox è vestigio secuta est Saluatorem, vt deinceps adhærens etiam Apostolis, illam meruerit audire vocem [g]: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Cæterũ *qui baptizatur à mortuo, & iterũ tangit eũ, quid proficit lauatio illius* [h]? Ego postquã baptismo lotus fui, non vnum mortuũ, sed tot mortuos quot opera mortis tetigi: & iuxta Petrum Apostolum [i], contigit mihi illud veri prouerbii: *Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* Quid igi-

D

f Heb. 10 d

g Ioan. 13. b

h Eccl. 34 d

i 2. Pet. 2. d

rur faciam? Quibus vlterius aquis sordes tantas diluam? Audio quia sicut vna fides, sic vnum Baptisma est, nec secundo baptismati locus est: quoniam quicunque baptizamur, in morte Christi baptizamur: qui sicut semel mortuus est, sic & semel baptizatus est: vt & nobis vnici modum & formam baptismatis præscriberet. Diffiderem forsitan vlterius posse mundari, nisi quia desperantem reducit in spem, inter alias Scripturæ consolationes, etiam fidele consilium Helisæi, etiam si totus instar Naaman Syri lepra sim perfusus, ac veterno incurabili possessus. *Vade*, inquit[k], *& lauare septies in Iordane, & mundaberis*. Si dixisset lauare ter, mundaberis, continuò intellexissem trinam mersionem qua mundantur baptizati, diceremque totum illud miraculum gratiam prophetare baptismatis, vt iam tunc Iordanis de virtute Dominici baptismi cœpisset ad salutem gentium operari. Nunc autem cum signanter dicat, lauare septies in Iordane, quid sibi vult septenarius iste, aut quis est Iordanis ille: Iordanis, vt aiunt, interpretatur descensus eorum. Quorum? Illorum vtique qui humiliantur ad pœnitentiam, qui nimirum quantò profundius descendunt per gradus humilitatis, tantò se penitius mergunt & plenius abluunt spiritalis alueo Iordanis.

Post lotionem baptismi denuo inquinatis remedium vnicum est lauacrũ pœnitentiæ.

K 4. Reg. 5. a

Exemplum Naaman Syri pulchrè huc applicatur.

5\. Ad meipsum, ô Deus, conturbata est anima mea, memor peccatorum meorum: propterea memor ero tui de terra Iordanis, quomodo scilicet in descensu humiliationis mundaueris Naaman leprosum. *Descendit*, inquit[l], *& lauit septies in Iordane, iuxta sermonem viri Dei, & mundatus est*. Descende & tu ô anima mea, de curru superbiæ in salubres aquas Iordanis, qui de fonte domus Dauid, toto iam profluit orbe in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Hæc est nimirum humilitas pœnitendi, quæ de domo pariter & exemplo profluens Christi, toto iam prædicatur orbe, totiusque purgat crimina mundi. O vos Naaman Syri (non enim vnus, sed innumeri), ô inquam diuites, sed leprosi: superbi, sed ærumnosi, quare tam vehementer abhorretis lauari his medicinalibus aquis? Cur vobis ita viluit noster iste Iordanis præ fluuiis Damasci? Dicitis enim si fortè quærentibus aliquandò consilium salutis imitanda prædicetur humilitas & paupertas Christi[m], *Nunquid non meliores sunt fluuii Damasci, omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder?* Nunquid non est melius, & ad purgationem peccatorum efficacius, quotidie benefacere de affluentia mundi, quàm semel omnia relinquendo pauperem fieri? Sed enim audi Naaman: Fluuium Damascenum absorbebit Leuiathan[n], & non mirabitur: nam de Iordane *si habeat fiduciam quòd influat in os eius*, spes eum frustrabitur. Neque enim grande reputat quantiscunque, præter humilitatem Christianam, virtutibus affluas: cùm etiam pauperes Christi deuorare se posse confidat, sed nihil in eis inimicus proficiat. Damascus secundùm nomen suum, ciuitas sanguinis est, & aquæ eius sanguine mixtæ sunt: quia opera etiam bona carnalium & sæcularium, vix à quocunque peccato pura sunt. Et quomodo id quod infectum est sanguine, sanguinem mundabit? qua ratione lepram, id quod leprosum est, curabit? At Iordanis noster ipse quidem purum profluit, nec te calumniari poterunt superbi, si totus in eo mersus fueris, ac velut consepultus humilitati Christi.

Ibid. d a

Humilitas pœnitentiæ Exēplo Naaman septies in Iordane lon commendata.

m Ibid.

n Iob 40.

Humilitatis defectu cæteræ virtutes nihil æstimantur.

Opera bona carnalium & sæcularium vix ab omni peccato pura.

6\. Audi saltem, ô Naaman, domesticos tuos, humiles amicos, fideles consiliarios. Naaman recedebat indignans aduersum virum Dei, quem consuluerat: at illi *Pater*, inquiunt[o], *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras*. Fidele prorsus verbum, rationis & sapientiæ plenum: quippe suggestio est rationalium hominis sensuum, quos sibi Deus testes retinuit aduersus hominem ipsum. *Pater*, inquiunt, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras*. Non credere namque Prophetæ, Dei est iniuria: non tentare omnia pro salute, odium est sui ipsius & inuidia. Quid enim grande esse potest in præcepto, vbi salus est in promisso? Quantò magis non debet videri grande vel difficile, discere ab Iesu, quia mitis est & humilis corde: cùm in eo pariter inueniatur & requies animæ, & præsens medela spiritalis lepræ pignusque salutis æternæ? Tandem A vix ægreque obtinetur à superbo peccatore, vt descendat in Iordanem & lauet: si tamen septies lauat, totumque se plenius & sæpius mergat, non moratur effectus salutis fidem prophetico facere sermoni. Sed proh dolor, quanta est huius nostri miseria temporis, quia non solùm diuites, sed etiam pauperes leprosi, ita inueniuntur delicati, vt vix vsque ad talos salubribus intingi patiantur aquis: aut si semel lauerint, mox sibi plenissimè videantur mundari.

o 4. Reg. 5. d a

In causa salutis audienda aliorum consilia.

Odium sui ipsius est non omnia pro salute tentare.

Nil graue videri debet, vnde salus expectari potest.

7\. At Helisæus non ita sentit, sed signanter exprimit, *septies lauare, & mundaberis*. Sciebat nimirum humilitatem Christi, quæ nobis imitanda est, si perfectè volumus mundari, septemplicis esse virtutis; *Prima* virtus, quòd quum diues esset, pauper factus est. *Secunda*, quòd paupertati extremitatem adiiciens, in præsepi positus est. *Tertia*, quòd Matri subditus. *Quarta*, quòd seruum manibus hodie inclinauit caput. *Quinta*, quòd discipulum furem tulit & proditorem. *Sexta*, quòd sic fuit mansuetus ante iniquum iudicem. *Septima*, quòd crucifixoribus tam clemens intercessor fuit apud Patrem. His vestigiis, licet satis à longè, gigantem sequeris, si paupertatem B diligis; si inter pauperes extremitatem eligis: si monasterii subditus es disciplinæ: si minorem tibi pateris præesse: si falsos fratres æquanimiter tuleris: si mansuetudine vincas cùm iudicaris: si charitatem rependas illis, à quibus iniustè pateris. Hæc humilitas planè sine iniuria vnici baptismi rebaptizat, quia mortem Christi non iterat, sed mortificationem & sepulturam criminum instaurat: & quod in illo baptismo gestum est specie, hìc rursus impletur veritate. Hæc siquidem humilitas cœlos aperit; Spiritum adoptionis restituit: Pater agnoscit filium, quippe in innocentia & puritate pueri regenerari reformatum. Vnde benè de Naaman Scriptura meminit[p], quia *restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli*: significans, vt arbitror, quia eorum, qui sic se abluunt, non solùm corda recuperant innocentiam paruulorum: sed etiam corpora secundùm quendam modum puerilem sibi vendicant puritatem, mortificatione membrorum. Sic enim de quodam Sanctorum legitur†, quia in membris defuncti, septennis quodammodo pueri gratia videbatur.

Humilitas Christi septuplex.

Quomodò illam imitari liceat.

Humilitatis & Baptismatis analogia.

p 4. Reg. 5. d

† de S. Martino apud Sulpitium.

8\. Ecce, Fratres, qui primi gratiam baptismatis tantis C voluptatum sordibus amisimus, ecce verum Iordanem, descensum scilicet humilium, vbi piè rebaptizari licet, inuenimus. Hoc tantum est, vt non parcamus nobis de die in diem descendere profundiùs, & pleniùs mergi, Christoque penitus consepeliri. Ipsi gratias agamus, cuius humilitas & formam baptismi hodie dedicauit credentibus, & gratiam non disparem reseruauit pœnitentibus. Ipsi gloria per omnia sæcula sæculorum.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. Mariæ Virg.

SERMO I.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucæ 12.

1\. Sint lumbi nostri præcincti, vt Purificationem Mariæ æmulemur: sint lucernæ ardentes in manibus, vt gaudium Simeonis lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis repræsentemus. Simus videlicet D casti corpore, & mundi corde: & Purificationem Mariæ expressimus. Simus ardentes deuotione, & lucentes opere, & cum Simeone Christum portamus in manibus. Maria tamen non tam purificata fuit, quàm mysterium Purificationis commendauit; implendo legalem; significando spiritalem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoque permansit: imò quæ ipso conceptu planè purificata fuit, si quid fortè minus antè puritatis habuisset? Quid, inquã, mundandum habuit conceptus ille, qui solus *potest facere mundum de immundo conceptum semine*[a]: qui fontem, quo immundus purificetur, edidit; fontem domus Dauid, qui hodieque patet, indefesse que scatet in ablutio-

B. Virg. purificationem impleuit legalem, vt cõmendaret spiritualem.

a Iob. 14. a

b Zach. 13. a nem peccatoris, & menstruatæ b? Suscepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, vt simul & obedientissimæ humilitatis virtutem, & Euangelicæ purificationis insinuaret veritatem. Vbi nunc ille, qui tam fallaciter quàm contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quòd sanctus sit: nunquid sicut Sanctarum sanctissima, quæ Sanctum sanctorum peperit, Maria? Vnam Fratres mei, vtinam nos illam haberemus humilitatem in peccatis nostris, quam verè habuerunt Sancti in virtutibus suis.

Humilis obedientia B. Virg. imitanda.

Sancti humiliores in virtutibus suis, quam nos in vitiis nostris.

2\. Sed omittamus nunc istud, vt quod cœpimus prosequamur. Ac primò quidem de illa spirituali Purificatione, quam Maria offerens pro se & pro filio par turturũ, aut duos pullos columbarum, nobis commẽdauit, prosequeremur: nisi quòd Patres nostri, sicut vobis notissimum est, omnia ad liquidum prosecuti sunt: & quomodo turtur ad castitatem carnis, columba ad simplicitatẽ mentis pertineat, diligenter disseruerunt: nec illud quidem prætereuntes, quid sit sacrificium de vno turture, vel pullo columbino, quid holocaustum de altero. Hoc vnum tamen adiicimus quòd, quantò notiora nobis sunt mysteria, tantò districtiùs & iustius eorum à nobis exiguntur opera quia *scienti bonum & non facienti, peccatum est illi* b: & *seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis* c.

b Iac. 4. d
c Luc. 12. f

3\. Relinquentes igitur quod tractatum est sufficienter, illud potius tractemus, si placet, quid hęc pulcherrima Ecclesiæ consuetudo luminarium hodie gestandorum, aut factum repræsentet, aut faciendum demonstret. Quanquam ne id puto quidem vobis incognitum; etiam si nunquam sit auditum. Quis enim hodie cereum ardentem gestans in manibus, non statim illius senis recordetur, qui hodie Iesum accipiens in vlnas suas, Verbum in carne tanquam lumen in cera, ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhibebat? Erat profectò & ipse lucerna ardens & lucens, testimonium perhibẽs de lumine, qui ad hoc ipsum in Spiritu quo plenus erat, venit in templum, vt suscipiens misericordiam tuã Deus in medio templi tui, prædicaret ipsam esse misericordiã, & lumen populi tui. Verè tu senex serene lumen portabas, non modò manibus, sed & sensibus: qui sic eras illuminatus, vt cùm tantò antè futuram illuminationem gentium tam clarè videres, etiam tunc inter tenebras Iudaicæ infidelitatis, hodierna claritas fidei nostræ tibi coruscaret. Lætare iam senior iuste: vide iam quod prævidebas: discussæ sunt mundi tenebræ, ambulant Gentes in lumine tuo; plena est omnis terra gloria luminis illius, quod occultum in sinu fouebas, imò quo sensus tuos refouebas. O fomes amoris, ipse amor suauis & dulcis ad refocillandam animam. Prorsus suauis & dulcis, etiam cùm crucias & affligis: cruciatus feliciter delectans: sicut ignis salubriter refrigerans Ignis iste, Fratres, si in sinu absconditus fuerit, vestimenta non comburit: imò illum ignem extinguit, qui in sinu celatus, nõ modò vestimentum adurit, sed & quod vestitum est, depascit, id est. corpus & animam pariter consumit. *Deus* inquit d, *noster ignis consumens est*, sed ignem consumentem: nam animam refouet, demulcet mentem, spiritũ recreat, reparatque pereuntem. Huius ignis vim Simeõ non ignorabat, qui in sinu suo eum portare gaudebat, pectusque senile fotu illius calefaciebat. Quantò salubrius & suauius ignis iste senem nostrum calefecit, quã regem Dauid Abisag Sunamitis e? nisi fortè Abisag hic ignis idem fuit, sapientia scilicet, cuius amplexu non solùm recalescunt frigidi, sed etiam reuiuiscunt mortui.

Quid cereorum luminum hoc Festo vsitata significet.

Simeonis iusti senis elogium.

Ignis diuini amoris noxiũ in nob. ignẽ absumit.

d Deut. 4. d
e 3. Reg. 1. a

4\. Amplectere igitur, ô beate senex, sapientiam Dei, & recalescant atque recanescant quasi de nouo sensus tui: astringe vberibus tuis misericordiam Dei, & erit senectus tua in misericordia vberi. *Inter vbera*, inquit f, *mea commorabitur*: etiam cùm reddam illum matri suæ, manebit apud me. Et cùm inter materna vbera continebitur, nihilominus inter vbera mea commorabitur, & vbera quoque mea inebriabit misericordia vberi: etsi non quantum vbera matris. Illa quippe sicut singulariter mater est summæ misericordiæ, sic excellenter habet vbera vberis misericordiæ. Gratulor & gratificor tibi gratia plena, quæ misericordiam genuisti, quam suscepi: Cereum præparasti, quem accepi. Tu ceram ministrasti suscepto lumini, Virgo virginum Virgini dum incorrupta mater incorruptibile Verbum, incorrupta carne vestisti. Eia Fratres mei, ecce ardet cereus in manibus Simeonis: accendite & vos cereos vestros de illius mutatione luminis, lucernas dico quas Dominus iubet g esse in manibus vestris. Accedite ad eum, & illuminamini, vt non tam lucernas feratis quàm ipsi lucernæ sitis, lucentes intus & foris, vobis & proximis.

f Cant. 1. d

Christus cereo comparatur.

Ab eo lucernæ nostræ accendendæ.
g Luc. 12. e

5\. Sit ergò lucerna in corde, sit in manu, sit in ore. Lucerna in corde, luceat vobis: lucerna in manu vel ore, luceat proximis: lucerna in corde, est pietas fidei: lucerna in manu, exemplum operis: lucerna in ore, sermo ædificationis. Non solùm autem coram hominibus lucere nos necesse est per operationem & sermonem: sed & coram Angelis per orationem, coram Deo per intentionem. Lucerna nostra coram Angelis est pura deuotio, cùm in conspectu Angelorum psallimus sapienter, vel oramus ardenter: lucerna coram Deo, simplex intẽtio, vt ei soli placeamus cui nos probauimus. Et ne putemur in his quæ dicimus sensus nostri somnia secuti fuisse, probemus nos potius in omnibus adhæsisse testimonijs Scripturæ. Quòd enim Fides lucerna sit, testatur Salomon loquens de muliere forti h. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*: quod vtique intelligimus, nõ deficere in tentatione fidem eius. Nam & de charitate, quæ nihil aliud est quàm fides operans per dilectionem, apud eundem legimus Salomonem i: *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quòd opus bonum lucerna sit, lux ipsa veritatis indicat, cùm ait k: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Et l *luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

Variæ lucernę mysticæ.
In corde seu pietas fidei.
In manu seu exemplum operis.
In ore, id est sermo ædificat.
Lucer. coram Angelis, id est pura deuotio.
Lucer. coram Deo id est simplex intentio. Ex scripturis hæc illustrantur.
h Pro. 31. b
De lucerna Fidei.
i Cant. 8. b
De lucerna boni operis
k Luc. 12. e
l Mat. 5. h

6\. Quòd sermo ędificationis lucerna sit, Dauid dicit m: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Et Petrus Apostolus de sermone prophetico, *cui benefacitis*, inquit n, *intendentes, tanquam lucernæ lucenti in obscuro loco.* Declaratio quoque sermonum Dei illuminat, *& intellectum dat paruulis* o: siue cùm sermones Euãgelici declarant vmbram legis, siue cùm ipsi sermones tam Euangelii quàm legis declarantur expositionibus dilucidis, qui non intelligentibus paruulis videbantur obscuri: & in lumine dicimus, quod dictum erat nobis in tenebris. Ideo Philippus in figura cuiuslibet Ecclesiastici doctoris dictus est os lampadis, eò quòd de ore ipsius ad illuminationem audientium coruscaret ignitum eloquium Domini. Sermonem autem Dei intelligo, Fratres mei, quicquid Spiritus eius dignatione sua loquitur in vobis, omnem vtique sermonem qui bonus est ad ædificationem fidei, in prouocationem charitatis. *Si quis* ergo vestrùm *loquitur, quasi sermones Dei* p: vt etiam in priuatis colloquiis omnis sermo malus non procedat de ore vestro; sed si quis est ad ædificationem fidei, vt gratiam det audienti: vt qui audierit, dicat gratias agens tibi: Benedictus sermo oris tui, quia *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis* q. De oratione autem quòd & ipsa lucerna sit, maximè si diuinitus sit illuminata, ex eo colligimus quod Salomon ait r: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.* Lumen namque quod nobis orantibus, vel psallentibus desuper aperitur, spiraculum vitæ est, in quod suauiter respiramus. Huius lucernę videtur Iob recordari, cùm in mœrore tentationis recolens cum suspirio lætitiam præteritę consolationis, ait s: *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna eius super caput meũ, & ad lumen eius ambulabam in tenebris?* Cęterum quòd lucerna hęc dicitur inuestigare omnia secreta ventris, id est mentis: non illud esse purũ dum est, quòd Dominus comminatur se scrutaturum in

De lucerna ædificationis sermonis.
m Psal. 118. o
n 2. Pe. 1. d
o Psal. 118. r

Sermo Euangelici prædicatoris ad illuminandũ idoneus sit oportet.

p 1. Pet. 4. c

q Psal. 118. n
De lucerna Orationis.
r Pro. 20. d

s Iob. 29. a

Zoph. 1. c. lucernis[t]: cùm istud gratiæ sit illuminantis, illud iudicii exquirentis. Nam & aliter inuestigat secreta ventris potio medici, aliter gladius carnificis. Iam verò de intentione, quòd & ipsa dicatur lucerna, nemo est qui ambigat, si tamen Euangelium illud intelligat[u]: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.*

De lucerna intentionis.
u Matth. 6. c

7. Vt igitur tot lucernas vobis, Fratres, illuminetis, accedite ad fontem luminis, & illuminamini, Iesum dico, qui lucet in manibus Simeonis: vt scilicet fidem illuminet; opus illustret; sermonem homini subministret, orationem inflammet; intentionem purget, vt siue opere, siue sermone vel oratione quæratis placere coram eo in lumine viuentiū, qui scrutari habet Hierusalem in lucernis suis[x], & examinare etiam lumen nostrum. His omnibus accensis, ô fili lucis, iam non ambulabis in tenebris, nec timenda tibi erit sententia maledicti[y], *Qui maledixerit patri, vel matri, extinguetur lucerna eius in tenebris*; id est, deficiet consolatio huius lucis, irruentibus vndique hinc exterioribus, inde interioribus tenebris. Tibi enim cui tot internus ardent lucernæ, cùm extincta fuerit lucerna huius vitæ, orietur lux inextinguibilis vitæ, & quasi fulgor meridianus consurget tibi ad vesperum[z]: *& cum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer*, *& tenebræ tuæ erunt sicut meridies*[a]. Non tamen erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, aut splendor lunæ illuminabit te: sed Dominus erit tibi in lucem sempiternam, quia Agnus lucerna est nouæ Hierusalem, cui benedictio & charitas in sæcula sæculorum. Amen.

x Zoph. 1. c
y Prou. 20 c
z Iob 11. d
a Isai. 58 c

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. Mariæ Virg.

SERMO. II.

1. Sicut ad diem natiuitatis, id est, aduentus Dominici, pertinuit illa gratiarum actio & vox laudis: *benedictus qui venit in nomine Domini*[a], & ad diem apparitionis, id est, nostræ illuminationis illud quod sequitur, *Deus Dominus & illuxit nobis*: sic etiam quod subsequitur. *Constituite diem solennem in confrequentationibus † vsque ad cornu altaris*; non absurdè, vt arbitror, pertinere dicetur ad hunc diem, nobis vtique celebrem, frequentia solenni: diem scilicet Dominicæ præsentationis, quando à Matre solenniter ad Altare præsentatus est Patri. Nam & in eo quòd adiungitur: *Deus meus es tu & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te: confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem*: quid tam conuenienter accipimus quàm fidem & confessionem Simeonis & Annæ, *qua & ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant consolationem Israel*[b]? Benè ergò citharista noster monebat lætari Hierusalem & conuentum facere in die tam solenni, *Constituite*, inquiens[c], *diem solennem in confrequentationibus, vsque ad cornu altaris.* Non mediocris aut parum solennis illa frequentia fuit, cùm inde venit Iesus & Maria cum turba parentum inducentium puerum, *vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo*[d], inde occurrit Simeon & Anna cum turba expectantium consolationem Israel, quibus testificati sunt de eo.

a Psal. 117 d
† vulg. legit in condensis.
Ibidem.
b Luc. 2. f
c Psal. 117 d
d Luc. 2. d

2. Non crediderim ego de hac solennitate quæ tam piorum, tam lætum conuentum habuit, illam fuisse Prophetæ querelam lachrymabilem[e]: *Viæ Sion lugent, quia non est qui veniat ad solennitatem*: nisi fortè arguat paucos venisse de tanto populo qui erat in omni Iudæa & Hierusalem. Ad comparationem siquidem tantæ multitudinis pauci venerunt, & de ipsis paucis paucissimi, vt arbitror, eum receperunt, cùm præsentem viderent diu expectatum, sicut voce Patris per Malachiam fuerat repromissum: *Ecce*, inquit[f], *veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* O Iudæi adest ecce Dominator quē vos quæritis, cur offerentem se vobis non recipitis? Quæritis & non quæritis. Sed si quæritis, quærite: conuertimini & venite[g]. Quæritis qui redimat de manu hominum, non quæritis, qui redimat de manu dæmonum. Quæritis qui eruat de seruitute Romanorum, non quæritis qui eruat de captiuitate vitiorum. Si verè vtique liberatorem quæritis, quærite liberatorem animarum vestrarum, qui saluum faciat populum suum à peccatis eorum. Si quæritis sublimem, quærite prius humilem, quoniam, vt ait Daniel[h] *humillimum hominum constituet Deus super eum regnum.* Si quæritis dominatorem potentiæ, quærite prius doctorem iustitiæ, quia iustitia firmabitur thronus eius[i], & iustitia & iudicium præparatio sedes eius[k]. Quia enim perfecte non quæritis, ideò nec præsentem inuenitis, sicut de vobis ipse prædixit[l]. Quærent me mali, & non inuenient me, quia oderunt me: Quærent absentem, nec inuenient etiam præsentem, quia oderunt lucem mala eorum opera arguentem, cùm sapientia non nisi per dilectionem possit quæri, nedum inueniri. Simeon namque, quia pio & fideli quærebat desiderio, quæsitum inuenit, & inuentum agnouit sine alterius indicio, sine humano scilicet testimonio. Nam Spiritus est qui testificatur, quoniam CHRISTVS est veritas[m]: virtus vtique quæ de ipso procedit, vnctio docens de omnibus, quæ de illo singulariter secundum nomen suum vnctio, multipliciter profluit.

e Thren. 1. a
f Malac. 3. a
g Esa. 21.
Iudæorū peruersitas Messiam desiderantium & præsentem repudiantium.
h Dan. 4. c
i Prou. 25. a
k Psal. 88. c
l Ioan. 7 c
Christus à quibus inueniatur quæsitus.
m 1 Ioan. 5. b

3. Quid autem putamus fratres mei, vnctus iste, qui vngit etiam quos non tangit, quomodo candidum & sanctum pectus senis nostri perunxerit, cùm suscipiens eum in vlnas suas, astringeret eum vberibus suis, & gestiret includere si posset in intimis cordis sui? Quid, inquam, putamus ille suauis & mitis, qualem insinuabat seipsum castissimo sinui pii senis, qualis illabebatur medullis, quàm delectabilem & salubrem, imò quàm omnino ineffabilem se implicabat ossibus, inspirabat sensibus? Prorsus liquescebat vnctus in vnctionem, quasi ad ignē resolutus ad amplectentis amorem: vt nimirum doceret vnctio quod dicit lectio, sed non discit nisi dilectio. Quomodo enim legis? *Vnguentum*, inquit[n], *exinanitum* * *nomen tuum.* Hoc siquidem vnguentum exinanitur cū à quadam durina sui resoluitur, non vt perefluat substantia illius, sed vt fluant aromata illius, vt quasi nihil habens solidi sentiri possit, teneri non possit. Aut certè magis anima Senis liquescebat in amplexu huius vncti, vel vnguenti: vt diceret *anima mea liquefacta est*, vt dilectus meus infusus est mihi. Infusio itaque vnctionis, testimonium est vncti. Hæc Seni restabatur de puero, Simeoni de Christo, tanquam spiritus veritatis & charitatis: veritate docens, charitate vngens, & accendens, & omnia interiora gelidi Senis ponens, quasi eùm vnguenta bulliunt. Motus bullientium vnguentorum, æstus desideriorum: sonus eorum, iubilus affectuum pariter dicentium, (si tamen aliquid exprimere valentiū), *Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te*[o]. *Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israel*[p] annuntians te. Confitebor inquam tibi, quoniam exaudisti me, quotidie cum lachrymis dicentem, *quando consolaberis me?* Exaudisti me & nunc demum Simeonem, id est, exauditum fecisti me: *quia factus es mihi in salutem*[q]. Iesus mihi factus ex semine Dauid secundum carnem, qui Dauid, & omnia fecisti secundum deitatem.

Christus vnctioni seu vnguento comparatur.
n Cant. 1. a
** vulg. effusum.*
Simeonis anima quomodo hoc vnguento vncta & liquefacta.
o Isai. 25.
p Luc. 2. e
q Psal. 117. c

4. Omnibus quidem generaliter factus es in saluatorem; sed mihi specialiter factus es in salutem: pectus morbidum perungens, vitalemque resuscitans calorem, animam refocillans, & oculos illuminans. Defecerat enim anima mea in salutare tuum ô Domine, Pater Domini mei Iesu Christi, *defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me?* Factus eram *sicut vter in pruina*[r], frigidus corpore, aridus corde, spiritu marcidus, & totus desiderio languidus. Sed quia in verbum tuæ promissionis supersperaui, non visurum scilicet me mortem, nisi viderem Christum tuum, quod speraui iam video; quod desideraui teneo, quod concupiui cōplector. Video Deum Saluatorem meum in carne mea, & salua facta est anima mea. Viderunt oculi mei salutare Dei: & illuminati sunt interiores oculi mei qui languebant præ inopia. Omninò ad tactum huius pueri,

Simeonis senis renouatio.
r Psal. 118. l

huius hominis noui, renouata est vt Aquilæ iuuentus mea, sicut paulò ante mihi loquens pollicebat, *Introibo ad altare Dei*, vbi Maria Iesum offert patri, [s] *ad Deum qui lætificat senectutem meam*, imo renouabit *iuuentutem meam*.

s Psal. 42. a

5. Nec minore fortassis gaudio exultabat cor Annæ in Domino: quę, vt arbitror, tantò maioris fuit meriti, quantò altioris propositi & sanctioris desiderii, quam illa Anna mater Samuelis: cùm illa cogitaret quæ mundi sent, quomodo placeret viro, hæc quomodo Deo: illa de throno viri quæreret sobolē, hæc de sinu Patris peteret Saluatorem. Hæc igitur quodam pręsagio gratiæ excellentis quæ in vita eius efflornit, qua etiam gratiam redemptoris agnoscere & prædicare meruit, gratiæ nomen accepit: exemplar veræ viduitatis, speculum sanctitatis, & viuum in emortuo corpore simulacrum totius virtutis. Hæc finem Legis & initium Euangelii sentiens propinquare, ritus Iudaicos Christiana iam cœperat pietate mutare: ieiuniis potius & orationibus seruiens nocte ac die, quàm cibis & potibus & variis baptismatibus, iustitiis carnis non animę. Inde erat quòd benedictione filiorum, quæ in lege magni habebatur, contempta; nomen melius à filiis & filiabus elegerat, & iam per annos octoginta quatuor, lignum esse aridum, ligno que insidere arido, tanquam turtur amissa semel coniuge gaudebat.

Annæ viduæ commendatio.

6. Ecce habes par turturum, senem iustum, & viduam anum: vtrunque castum, vtrunque desiderio redemptoris gemebundum: qui vtique semetipsos hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, Domino & pro Domino obtulerunt. Par turturum sanè dico non coniugum, sed coniunctorum, non copula matrimonii, sed sacratioris mysterii: pares nimirum fide, æquales castitate, similes deuotione, consortes prædicatione gratiæ; ambos prouectæ ætatis, ambos perfectæ sanctitatis, qui etiam ante Euangelium, euangelicæ puritatis ac pietatis in vtroque sexu primitias dedicauerunt. Hi duo vario decore virtutum adornauerunt thalamum tuum Sion ad suscipiendum Christum regem, non parietes templi tui, sed penetralia cordis sui; secreta cubiculi, vbi adorare Patrem in spiritu & veritate iubemur [t]: vbi & suscipitur, qui in manu factis se nequaquam habitare testatur [u]. In istis itaque suscepit Christum fidelis Sion, in istis gaudens & lætabunda occurrit Deo suo. Alias vix habet vbi reclinet caput suum: & secundum Esaiam [x]: *Appropriatus est, & non est qui occurrat*. Sufficit tamen istorum occursus ad omnem solennitatem & lætitiam, eò quòd consummatio abbreuiata inundet iustitiam, & consummata atque abundans iustitia paucorum, facilè compenset infidelitatem multorum.

Senex iustus & vidua anus par turturū.

t Ioan. 4. c
u Act. 7. f
x Esa. 56. c

7. Mihi omnino celebris est iste conuentus, mihi solennis ista processio, omnique festiua gaudio, vbi hinc aduenit puer & puerpera, Iesus & Maria: inde occurrit Senex & Vidua, Simeon & Anna: hinc Dominus & Domina, inde seruus & ancilla: hinc mediator & mediatrix, inde tam fideles tamque deuoti ipsorum testes & ministri. In hoc denique conuentu *misericordia & veritas obuiauerunt sibi*: misericordia scilicet redēptionis in Iesu, veritas confessionis in senibus. In hoc occursu, *iustitia & pax osculatæ sunt*: dum iustitia piorum senum, & pax reconciliantis mundum inuicem in osculo affectuū & gaudio Spiritus consociatæ sunt. Rectè ergo quod hac nocte cantauimus, ad lætitiam huius diei pertinere credimus, saluo duntaxat alio profundiore intellectu [y]. *Lætare Hierusalem: & diem festum agite omnes qui diligitis eam*. Ac si diceretur: Lætata est Nazareth de annunciatione, Bethleem de natiuitate: Lætare & tu Hierusalem de purificatione, quoniam qui in Nazareth conceptus, & in Bethleem natus est, in Hierusalem est susceptus & prædicatus. *Et idem*, inquit, *festum agite*, siue cōuentum facite, *omnes qui diligitis eam*, scilicet Hierusalem, id est, festiua deuotione conuenite in templum, ad suscipiendum redemptorem, omnes qui expectatis redemptionem Israel.

Processio hodierna quam celebris.

y Esa. 66. c

8. Iam verò, Fratres, si moraliter, sicut mos vester est, ædificati vestra quærit sanctitas, quatuor illas illustres in hac processione consideret personas: quarum vita non solùm Ecclesias illustrat, sed & cœlos adornat: Iesum loquor & Mariam, Simeonem & Annam. Et vt ab inferioribus ad superiora progrediatur sermo; in Anna, quæ ieiuniis & obsecrationibus seruiebat nocte ac die, ieiunium nobis commendatur & oratio: in Simeone, qui tanto Iesum amplectitur gaudio, pietas & deuotio: in Maria, quæ cùm nihil deberet legi, in hac scilicet parte purificationis, legem nihilominus impleuit, humilitas & obedientia: in Domino autem Iesu, qui factus ex muliere, factus est etiam sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, charitas & misericordia. Nam castitatis sanctimonia, cuius laus, vt comperi, vestram semper puritatem delectat, in omnibus effulsit communiter, licet satis dissimiliter: cùm in senibus fuerit labore continentiæ, in puella munere gratiæ, in puero iure & proprietate naturæ: non pueritiæ recens natæ, sed puritatis innatæ. In ipso non solùm huius virtutis, sed etiam omnium origo & perfectio; ab ipso singularum distributio; per ipsum earum conseruatio; apud ipsum remuneratio. Apud ipsum igitur ambiamos tam virginis Marię, quàm Simeonis & Annæ meritis suffragantibus, vt quod minus habemus virtutis largiatur, quod largitus fuerit mereatur: vt depositū ipsius, per tutelam ipsius integrum ei reconsignantes, remunerationem consequamur ipsius, Qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Quatuor illustres in hac processione personæ quid nos doceant.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. Mariæ Virg.

SERMO. III.

Senex puerum portabat.

SEnex plenus dierum, puerum antiquum dierum. Longitudine dierum adimpleuerat Deus senem istū, vt ostenderet ei salutare suum in vultu nostro; sed adhuc aliorum longitudine dierum adimpleturus erat, vt ostēderet ei salutare suum in vultu suo. Plenus ergò dierum temporalium portabat antiquum dierum antiquorum, atque spei æternæ pignus fidelissimum tenebat in sinu repositum: quod videlicet dies suos, super dies regis adiiceret puer ille, iuuentutemque eius renouaret vt aquilæ. Quanquam senem quoque istum, sicut Abraham, cùm dicitur, *plenus dierum*, libentius accipiam plenum virtutum quàm temporum, cùm tempora statum nullum habeant, suoque accessu decedentia, hominem potius exhauriant quàm adimpleant. Sed neq; magnum est, imò magis malum est, multis vixisse diebus, si non senueris virtutibus: cùm puer centum annorum moriturus sit, & peccator centum annorum maledicēdus [a]. Ideo *si annis multis vixerit homo*, vt ait Salomon [b], *& in omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita*. Cæterum ècontrariò *senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt enim sensus hominis: & ætas senectutis vita immaculata* [c]. Si hac vtique senectute Simeon non consenuisset, nunquam coronam senum, sapientiam Dei Christum portare meruisset. Si nāque scriptū est [d]: *Corona dignitatis senectus: quæ in viis iustitiæ reperitur*. Et quæ est illa senectus, quę in viis iustitiæ reperitur, quæ reperienti in coronam aptatur, nisi sapientia Dei Christus? Ipse namque meritò iustorum operum tribuit canos sensus sapientiæ, quam postmodum formabit iustis in coronam gloriæ. Sanctus itaque senex Simeon, vt sanctius senesceret adhuc, senectutem sapientium, siue sapientiam senum factam puerum, in viis iustitiæ, cùm scilicet in spiritu venit in templum reperit, & comperit in veritate: quia senectus erat in lactente, sapientia in infante; virtus in infirmitate; verbum in carne. O infantia, ô senectus: quàm benè vobis pariter conuenit in huius pueri sensibus & moribus, quo vtique nihil innocentius, sed nihil sapientius: nihil iucūdius, sed nihil maturius: nihil mitius, sed nihil iustius.

Senectus non annos. m sed morū commendabilis.

a Esa. 65. d
b Eccle. 11. c
c Sap. 4. b
d Pro. c. 16. d

Vobis, ô filii hominum, vobis iam tunc ipso suo silentio loquebatur Dei sermo, vt videlicet malitia sitis paruuli: sensibus autem perfecti. Alii siquidem ex vobis columba seducta, non habent cor, simplicitatem non salientes prudentiâ, relinquuntur fatui: alii sapientes sunt vt faciant mala benè autem facere nesciunt: & prudentiam non dulcorantes bonitate, efficiuntur acerbi. Prorsus congruum & gratum vtrisque temperamentum atque condimentum puer iste antiquus dierum, in pueritia præferens ingenitam sibi innocentiam, & de antiquitate dierum referens primogenitam omnium sapientiam. Si quis se imperfectum sensibus aut inconditum intelligit moribus, veniat in templum cum Simeone, & puerum quem mater affert Maria, accipiat in manibus; id est, verbum Dei, quod mater offert Ecclesia, complectatur affectibus. Ipsum vtique repositum in sinu sensus ædificabit, mores dulcorabit, totum statum mentis & ordinem vitæ grata & salubri suauitate temperabit. Non solùm autem mater Ecclesia in audiendo, sed multò magis mater gratia in orando, puerum tibi dabit amplectendum, si modò frequens & deuotus orator venias in templum, vt dicas quotidie Deo[d]. *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Quem enim Ecclesia prædicans offert auribus, gratia illuminans infert cordibus, eò vtique præsentiorem & suauiorem, quo nudam veritatem puris tradidit sensibus. Veritatem quippe quæ est Christus, Maria vestitam carne, Ecclesia vestitam sermone, gratia nudam tradit amplectendam Spiritus infusione: quanquam hoc ipsum diuerso modo fiat, pro captu scilicet suscipientis animæ, siue pro arbitratu dispensantis misericordiæ. Licet enim ipsam summæ veritatis faciem non facilè videamus, magnosque habeatur, cui vel per speculum, & in ænigmate eam intueri datur: quiddam tamen ipsius, cùm Spiritus nobis illabitur, veluti nudum sentimus, sensusque noster in amorem ipsius veluti ad nudum contricatur. Tunc prorsus ex seorenitate dicere possumus, & cantare lætabundi e: *Suscepimus Deus misericordiam tuam; in medio templi tui.* Beatus qui vt dignius & crebrius eam suscipiat, congruum ei locum in cordis penetralibus parat. Beata Sion illa, quæ thalamum suum diligenter ac decenter adornat, vt cum digno ac placito Christum regem honore suscipiat.

Simplicitatis & prudentiæ temperamentum à Christo discendum.

Ecclesia prædicans Verbũ offert auribus, gratia illuminans infert cordibus.

d Psal. 5 b

e Psal. 47. b

3. O sancta Sion, anima speculans æterna, considera quæ sit illa maiestas suscipienda; cogita qua cura ac diligentia te illi præparare locum oporteat. Si quis dixerit, & ad hæc quis idoneus? quis esse potest magnificentiæ & gloriæ tanti regis congruus ornatus? frustra, inquit, Dauid, paupertatem quispiam causetur, *In pace factus est locus eius* f, Et *iustitia & iudicium præparatio sedis eius* g. Simeon vtique quia huiusmodi palliis thalamum adornauit, ideò Christum cum multa suscipere gratia dignus fuit. Vis videre quia in pace inuenerat locum Domino, quia sedem præparauerat ei in iustitia & iudicio? *Homo*, inquit h, *erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus.* In pace erat domus Simeonis, qui habitabat in Hierusalem: id est, in visione & amore pacis, de qua scilicet Hierusalem audierat Dauid promittentem i, *Non commouebitur in æternum qui habitat in Hierusalem.* Et vt noueris, quia pacis habitator & amator erat, pacemque imperturbabilem illius stabilis & æternæ Hierusalem præ omnibus requirebat, cùm pacem Dei & hominum Iesum, qui pacem super pacem dare veniebat, sinu recepit: hæc prima vox de pectore senis iamdudum pacem meditantis erupit; *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Postquam viderunt oculi mei salutare tuum, qui est pax nostra faciens vtraque vnum, non solùm Iudæum & Gentilem, sed etiam Deum & hominem; & in homine spiritum & carnem: iam hoc solùm superest desiderii serui tui, vt *in pace in id ipsum dormiam & requiescam* l. & pax Dei quæ exuperat omnem sensum, me totum in illius summæ & simplicis vnitatis absorbeat consensum. Venit pax quam sustinui, requiescat in pace, qui pacem quæsiuit, & quæ pacis sunt sectari semper studuit, Sic quippe Esaias ait m: *Veniat pax, requiescat in cubili suo, quia ambulauit in directione sua.* In pace vtique Simeon strauerat cubile suum, qui omnibus aliis curis eiectis solùm in corde meditabatur Iesum, vbi & reclinauit susceptum. In directione quoque sua ambulauerat, qui iustus & timoratus erat, & expectans consolationem Israel, aduentanti quotidie desideriis occurrebat.

Quis optimus modus seu ornatus suscipiendi Regem cœlorum.

f Psal. 75. a

g Ps. 88 c

h Luca. 2. c

i Psal. 124. a

k Luc. 2 d

Christus pax nostra faciens vtraque vnũ.

l Ps. 4 b

m Esa. 57.

4. In eo igitur quod iustus dicitur & timoratus, iustitiã & iudicium intellige, quo sedes Dei præparatur. Et iustitia quidem suo nomine demonstratur: iudicium verò timoris nomine, vel timor nomine iudicii ideo rectè accipi posse putatur, quia scilicet timor non solùm nascitur de futuri consideratione iudicii, sed etiam operatur nunc in nobis quandam illius formam & executionem iudicii. Qui enim prohibemur n iudicare ante tempus de proximis, iubemur de nobis o: vt dum nosmetipsos diiudicamus, à Domino non iudicemur. Porrò timor iste sanctior est, cùm iustitiam sequitur, quàm cùm præcedit: quia qui præcedens ad iustitiam initiat, sequẽs eandem consummat & conseruat: dum scilicet de iustitia præsumere non sinit, sed omnia opera sua hominem vereri facit, vt post iudicium sui adhuc de subtiliore iudicio suspectus sit, dicatque sibi p: *Qui iudicat me Dominus est*, qui cùm acceperit tempus, etiam iustitias iudicabit. Qui sine timore isto est, non poterit iustificari, vt scriptura testatur q: quia quantumcunque se iustis exercitet operibus, alieni comedunt robur eius, dum suam volens iustitiam constituere, iustitiæ Dei non est subiectus.

n 1. Cor. 4. a

o 1. Cor. 11. g

Timor iustitiæ comes.

p 1. Cor. 4. a

q Eccli. 1. c

5. Vigilanter itaque Euangelium perfectam commendans Simeonis iustitiam. non ait, timoratus & iustus, ne timorem qui est initium iustitiæ intelligeremus: sed ait *iustus & timoratus*, vt timorem qui iustitiæ per omnes gradus comes indiuiduus ipsam promouet & tuetur, ipsius exemplo disceremus. Nam neque illud putauerim otiosum, quod non timentem dixit, sed *timoratum*: non nouum, non horarium, aut perfunctorium volens intelligi timorem illum, sed qui vtique versus esset in habitum, qui altius hominis imbibisset affectum, possideret sensum, modestia & grauitate sermonem ornaret & vultum, circumspectione moderaretur actum, totum denique interioris & exterioris hominis componeret statum. Neque enim vanis animum consolationibus resoluebat, qui consolationem Israel expectabat. Quod & ipsum ad suæ cumulum adiecerat iustitiæ, vt sollicitus non pro sua tantùm, sed etiam pro populi consolatione, longa suspensus maneret expectatione.

Simeonis præclara virtus,

6. Denique vt manifestius audias quàm pretioso ac vero nitore virtutum non fuco colorum adornauerat thalamum suum illa Sion, id est Simeon, *Spiritus sanctus*, inquit, *erat in eo.* Quid huic ornatui Sion illa terrena comparare poterat, in omni illa multifaria thalami, id est, tẽpli sui ambitione & gloria? Si faciem templi coronis ornasset aureis, quid aurum nisi lutum etiam sine comparatione virtutis? Puto quia nec Salomon in omni gloria sua ornatus est sicut Simeon: cùm ille sapientiam qua florebat in senectute perdiderit, iste susceperit. Te tamẽ, ô infidelis Sion, thalamus tuus arguit, quòd cùm satis tibi prædictum esset r, *Ecce veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis*: adorna thalamum tuum Sion, *induere vestimentis gloriæ tuæ ciuitas Sancti*, tu tamen nihil prorsus ad quotidianum cultum templi in aduentu ipsius addidisti, non vela, non coronas, non lucernas plures, aut victimas, non alios Psalmos, aut cantica, omnino inhonoratũ, insalutatum remisisti, qui te saluare venerat. Ideo vtique tuus iste thalamus, domus gloriæ tuæ deserta tibi relinquetur, imò non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Tibi enim Domine templum augustius, amplius & perfectius, scilicet Ecclesiam magnam à solis ortu vsque ad occasum fidei, ædificabis gentium s, *& secundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ*, vnde etiam hodie laudes audiuimus, gloriam iusti, voces scilicet laudantium & dicentium t, *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio*

Simeon ornatior quam Salomon.

r Malach. 3. a

s Psal. 47 b

t Ibid.

templi sui, id est, in communione sancti populi sui. O. fratres, suscepistis misericordiam Dei & vos, imò abundantius vos, videte ne in vacuum susceperitis, ne gratiã ingratitudine vacuetis. Gaudeat ergo vestra deuotio: quem Simeon hodie portauit in sinu suo, vos omni die glorificate & portate in corpore vestro. Iesum Christum Dominum nostrum, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

DE PVRIFICATIONE B. Mariæ,
SERMO IV.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ. Luc. 2.

1. SCriptura redemptionis nostræ narrans mysteria, sic refert quæ pro nobis historialiter sunt gesta, vt significet quæ moraliter à nobis sunt gerenda. Cum enim hodie beatæ Purificatio Mariæ recensetur, manifestè de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem verò
Purificatio Mariæ nostræ nos admonet purificationis. tanti non moueat auctoritas exempli, cùm videamus scilicet, quia illa sanctarum sanctissima quæ nihil purgandum habuit, purgationis tamen legalis implere mandatum non renuit? O mater immaculata, mater intacta, nonne tuæ tibi conscia es puritatis? quia scilicet integritatem tuam, nec conceptus, nec partus violauit, sed sacrauit? Quare ergo tanquam muliebre aliquid in concipiendo vel pariendo siapassa, sic mundationis, quæ
a Matt. 3. d muliebri prouisa est infirmitati, quæris remedia? Sic, inquit, decet nos omnes implere iustitiam [a], vt quæ summæ mater electa sum iustitiæ, speculum quoque sim totius & exemplar iustitiæ. Noui ego superbiam filiorum Euæ, quæ promptior est ad excusandum, quàm ad expurgandum commissa. Necessarium arbitror, vt vitiis originis antiquæ statim in initiis omnia nouę generationis occurrant exempla. Mater præuaricationis peccauit & excusauit procaciter, mater redemptionis non peccet, & satisfaciat humiliter: vt filii hominum qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem nouitatis trahant humilitatem purgandi.
Mater Christi humilitate purgare voluit, quod Eua superbiendo deliquit.

2. O filii hominum tempus purgationis aduenit, quando mater summæ puritatis, de cuius purgatione dies festus est nobis, pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis quod debeamus purgari. Satius est, ô fratres & suauius fonte purgari quàm igne. Prorsus qui fonte non fuerint modo purgati, igne habent purgari, si tamẽ purgari meruerint: quando scilicet iudex ipse *quasi ignis conflans sedebit, conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui* [b]. Nunc Christus aqua diluens, tunc ignis consumens. Modò fons patens in ablutionem peccatoris & menstruatæ, tunc flamma sæuiens & ignis vorans vsque ad medullas animæ. De ardore siquidem irati fontis ille purgatorius ignis exardescet in conspectu eius, & inflammabit in circuitu inimicos eius. *Ascendit*, inquit [c], *fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit.* Inde cadent super eos carbones pœnaliter purgatorii, quibus modò non adhibentur carbones salubriter desolatorii: qualem illum fuisse reor carbonem sublatum de altari, qui Prophetæ labia purgauit [d]. An verò & illi carbones huiusmodi queant intelligi, de quibus cuidam dicitur: *Ecce dati sunt tibi carbones, & sedebis super eos, hi erunt tibi in adiutorium*: vobis relinquo diiudicandum. Illud autem non dubius assero, quia ignis ille quem Dominus Iesus misit in terram, si vehementer (sicut est voluntas mittentis) [e] in nobis arserit, ignis ille purgatorius qui in iudicio purgabit filios Leui, non ligna, non fœnum, non stipulam consumenda reperiet in nobis. Vterque quidem ignis purgatorius, sed satis differenti modo. Iste siquidem purificat vngendo, ille vrendo. Hic refrigerium roris, ibi spiritus iudicii & spiritus ardoris, quo abluet Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem leuabit de medio eius.

Duplex purgatio fontis & ignis.
b Malac. 3. a
Christus nunc aqua est diluens, post ignis consumens.
c Psal. 17. a
d Esa. 6. c
e Luc. 12. f
Ignis duplex homines purificans, alter vngens, alter vrens.

3. Est quidem & in hoc ipso multa Domini clementia erga filias Sion, sed longe clementius & mitius purificata est illa quam beatam prędicant filiæ Sion, Cui scilicet dictum est [f]: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hæc nempe supernæ virtutis obumbratio, vera fuit purificatio Mariæ, non ista quæ quadam mystica dispensatione tantùm specietenus hodie celebrata est. Hæc planè fuit tota ác vera sanctificatio Matris & Filii, sicut & Angelus exposuit ei. *Ideo*, inquit [g], *& quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Antea namque purificanda erat natura mortalis, vt Deum conciperet, non posteaquam concepisset: cùm concepisse Sanctum sanctorum summa sanctificatio sit; & eà quę Mater ipsius sanctitatis effecta sit, nihil sanctius esse possit. Cùm ergo filię Sion quæ mollius & dissolutius viuunt, & ardorem forsitan experiuntur carnis, meritò purificandæ sint spiritu iudicii & spiritu ardoris: Virgo perpetua, ac singularis quæ sola Spiritus obumbratione Deum concepit, solo purificata est spiritu gratię & refrigerio roris. Omnium sanè purgationum quibus conditio reparatur mortalis hæc beatæ purificatio Virginis mitissima atque felicissima fuit: nam illa filiarũ Sion quæ purgatorio fiet igne iudicii, sicut nouissima sic & seuerissima omnium erit. Nec ista itaque potest esse nobis nisi admirationi, nec illa nisi formidini: quippe qui nec ad istam possumus aspirare, & in illam si sapimus semper formidamus incidere. Omninò si sapimus, semper clamabimus, plus emendatione morum, quàm strepitu verborum [h], *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

f Luc. 1. d
g Ibidem.
Purificatio Virg. Deiparæ quanto dignior & felicior purific. filiarum Sion.
Prior nemini imitabilis, altera omnibus formidabilis.
h Psal. 6. a

Necessariè igitur nobis & misericorditer inter vtrumque genus purgationis illud summum ad quod non attingimus, & illud vltimum quod metuimus alia purgationum genera pietas prouidit diuina, sicut tempus & locum pœnitentiæ, sic plurima salutis indulgens remedia. Quæ licet multa ac varia sint, sub quatuor tamen generibus videntur omnia ferè posse comprehendi, ne scilicet indigesta multitudine rerum memoriam confundamus auditoris. Hæc igitur quatuor esse arbitror quibus opportunè & commodè his diebus purgationis nostrę purgari possumus: scilicet contritionem cordis, afflictionem corporis, opera pietatis & fidei, patientiam tribulationis. Ad hunc siquidem modum quatuor inuenies, quibus mundum generaliter purificat Christus, purgationem peccatorum faciens: *aquam* scilicet & *sanguinem spiritum* & *ignem*. Hic est, inquit Ioannes [i], *qui venit per aquam & sanguinem. Hic est qui baptizat in spiritu sancto, & igni.* *Aqua* baptizauit, pedesque discipulorum lauit, dedicans baptismum quoque lachrymarum, quę de contritione profluunt cordis. *Sanguinem* fudit: vt & nos mortificatione corporis participantes eius passioni, lauemus stolas nostras in sanguine Agni. *Spiritum* dedit: vt charitas Dei ac proximi diffusa in cordibus nostris per Spiritum, multitudinem in nobis operiat peccatorum. Quę si minus perfecta est, vt tot & tanta non sufficiat operire, admouet *ignem* conflator ille, qui purgat filios Leui, & quicquid residuum est rubiginis, ignis excoquit, seu præsentis, seu futuræ tribulationis, vt tandem decantare possint [k], *Transiuimus per ignem & aquã, & eduxisti nos in refrigerium.* Sic nempe & mundus iste prius baptizatus aqua diluuii, postea purgatus igne iudicii, in nouum transibit statum incorruptionis. 4.

Purgationis nostræ quatuor genera.
Christus mundum purificat quatuor modis.
i 1. Ioan. 5. a
Aqua.
Sanguine.
Spiritu.
Igne, id est, tribulatione.
k Psal. 65. c

Denique vt teneris atque delicatis geramus aliquatenus morem, si lachrymas non habent, si labores horrent, si nesciunt ferre tribulationem, nunquid & illud excusabunt, quod Salomon commendat, *per misericordiam* inquiens [l], *& fidem purgantur peccata?* Quid misericordia suauius? quid fide iucundius? Hæc oleum est membris, illa lumen oculis. Hęc vngit affectus, illa sensus illuminat dirigitque gressus, vt ad lumen eius ambules in tenebris, vt inuisibilia contempleris, & futuram tuam beatitudinem iam animo præsumptam mediteris. Benè autem dicitur, per *misericordiam & fidem* purgari peccata: quia misericordia de proprio impendens, redimit debita; fides autem etiam gratis sine operibus indulgentiam impetrat. De misericordia nempe dicit Propheta [m], *Iniquitates tuas redime misericordiis pauperum*: & Dominus prophetarum [n], *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* De fide autem ait Apostolus: 5.

l Prou. 15. d
Misericordia & fide purgantur peccata.
m Dan. 4. d
n Luc. 11. e

Fide mundans corda eorum. Et Dominus *Apostolorum*: *Vade*, inquit[o], *fides tua te saluum fecit.* Quanquam in hac Salomonis sententia, possit intelligi non fides qua credimus, sed qua credibiles nos exhibemus, dum fidem Deo & hominibus seruamus: vt quod hic dicitur, *Per misericordiam & fidem purgantur peccata.* & paulò post, *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.* eadem sit in diuersitate verborum repetita sententia. Rectè igitur misericordia & veritas seu fides sociata sunt: cùm in omnibus viis nostris nisi misericordia & veritas obuient sibi, plus augeri quàm purgari peccata sit verendum: Vt enim de aliis actionibus interim taceam, & de misericordiis pauperum loquar, quas abundantius nunc fieri temporis huius postulat necessitas, quid in ipsis etiá quibus peccata purganda sunt peccati committitur, si misericordia fide, vel fides misericordia destituatur?

o Mar. 10. b

6\. Audiant ergo quibus dispensatio credita est: audiant quibus credita non est: isti scilicet ne sic velint esse fideles, vt misericordiam deserant: illi, ne sic velint esse misericordes, vt fidem lædant. Sunt enim aliqui qui plus volunt esse fideles quàm oportet, & sunt aliqui qui plus volunt esse misericordes quàm eis liceat. Qui ergo côtra fidem indebitam vsurpant misericordiam, audiant Salomonem dicentem[p]: *Multi homines misericordes vocantur, fidelem autem virum quis inueniet?* Qui autem velut propter fidem negligunt debitam misericordiam, audiant plus quàm Salomonem dicentem[q]: *Quod superest date eleemosynam:* vt saltem abundantia vestra aliorum suppleat inopiam. Multum prorsus pepercit infirmæ & pusillæ nostræ fidei; qui bona communia non ex æquo fratribus partiri, sed ex eo quod superest propriæ necessitati, iussit eleemosynam eis impertiri. Vt enim taceamus de iure naturæ, quæ quicquid parens omnium terra generat omnibus commune terrigenis adiudicat: illis saltem quibus indifferens est germanitas adoptionis, & communis sors hæreditatis, quomodo communis non erit vsus panis quem pater administrat cœlestis? Esto tamen, sit istud ius ordinatæ charitatis quod moderatio Euangelii suas cuique necessitates primùm excepit: quis ille est qui rectè metiatur necessitates proprias; qui inter necessarium & superfluum æquo iudicio discernat? Attendamus nobis, Fratres, ne de mortibus pauperum fratrum nostrorum incipiamus iudicari, si superfluè retinemus aut insumimus nobis vndè vita eorum valeat sustentari. Et quoniam hodierna purificatio purissimæ ac pauperrimæ Virginis, de nostra nos purificatione loqui commonuit, in hoc maximè nostrã constare puritatem nouerimus, si quicquid superfluum est nobis amputemus: vt non solum sanctitate castitatis, sed etiam simplicitate paupertatis aliquatenus æmulemur pauperem Matrem pauperis Christi, cui regnum & imperium, & nunc & per omnia secula seculorum. Amen.

Vtile monitũ de præstandis eleemosynis.
p Prou. 20. a
q Luc. 11. e
Ex superfluo necessitatis propriæ, dandæ eleemosynæ.
NOTA
Sed quis æquus arbiter seu æstimator necessitatis propriæ;

DE PVRIFICATIONE VIRG. Mariæ.

SERMO. V.

Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem Christum quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quem genuit adorauit.

Hi sermo aliâ habebatur inter Opera S. Bernardo.
Ita caput Ecol. in offic. huius diei.

1\. AD nos, Fratres, ad nos loquitur Spiritus sanctus, qui sumus Sion, qui sumus speculantes, qui die ac nocte leuamus oculos nostros ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Adornemus igitur thalamum nostrum, & suscipiamus regem Christum. Ecce, Fratres, Christus in propria veniens, & à suis repulsus, non habet vbi caput reclinet. Præ foribus nostris inter materna brachia vagiens, per Spiritum sanctum quærit hospitium, dicens: *Adorna thalamum tuum Sion.* Emundemus igitur thalamum nostrum, prius expellendo quæ oculos Christi intrando offendere possunt; & sic demum adornemus ea inferendo quibus delectatur & gaudet. Quæ sunt (ait fortitan aliquis vestrum) quæ oculos Christi offendere possunt? Cui dicimus: Nihil ita oculos eius offendit, sicut superbia, quæ Angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiso: quæ est initium omnis peccati[a]: quam hortatur nos Spiritus sanctus vitare dicens[b]: *Quid superbis terra & cinis?* Et alibi[c]: *Omnis caro fœnum, exiccatum est fœnum, & flos eius decidit.* Videamus nunc quid superbia fecit. Angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiso. Meritò hæc oculos Christi offendit, quæ pulcherrimum opus eius in cœlo & in paradiso fœdauit, quæ fecit de Angelo diabolum, & de homine nuper creato iusto, perfidum. Quæ sicut & peccatorum primum & maximum, sic est omnium regina & mater vitiorum.

Nihil ita Deũ offendit sicut superbia.
a Eccli. 10 b
b Ibidem.
c Esa. 40. b

2\. Videndum est igitur & sollicitè considerandum, vt eam mens nostra cum tota prole sua excludat, vt thalamus noster emundatus & ornatus Christum regem qui foris [*] pulsat, suscipiat. Cum tota, inquam, prole sua, septem scilicet principalibus vitiis. Quæ sunt hæc? Inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. Hæc sunt filiæ superbiæ, quæ matrem suam sequuntur: quæ hospitium quodcunque intrauerint, fœtidum reddunt. Sed quæ nobis cum istis communio? Quis consensus templo Dei cum idolis? Nulla nobis (Deo agimus gratias) cum eis societas, quas exuentes veterem hominem cum actibus suis, gladio veræ confessionis & pœnitentiæ enecauimus. Nihil igitur in nobis vltra possit superbia, quæ de Archangelo diabolum, & de primo homine fecit impium, & Creatori suo rebellem. Nihil habeat in nobis vana gloria, qui à die cõuersionis nostræ, in cruce Domini nostri Iesu Christi cœpimus gloriari cum Apostolo dicentes[d]: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Gloria itaque nostra sit crux Christi quam portamus, & testimonium conscientiæ per crucem Christi purgatæ. De qua Apostolus ait[e]: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* In qua conscientia gloriari de donis Dei, est Deo gratias agere. Ad quod nos hortatur Apostolus dicens[f]: *Qui gloriatur, in Domino glorietur:* id est in Domino de puritate conscientiæ suæ glorietur. *Non enim qui seipsum commendat,* &c. Cæterum qui in se gloriatur, & qui sibi placet, stulto homini placet. Qui in alio homine gloriatur, aut laudem in mente ab ore alterius expectat, mercedem operum recipit, ac oleo peccatoris vngit caput suum, audiatque prophetam sibi dicentem[g]: *Maledictus homo, qui ponit spem suam in homine.* Et in die iudicii cum dixerint, *Domine Domine aperi nobis,* audiet: *Amẽ dico vobis nescio vos.* Hæc vana gloria filia est superbiæ: quæ in quocunque fuerit, inobedientem facit.

* al. foris.
Superbiæ proles.
Religiosi quã à superbia debeant esse aliena.
d Gal. 6. c
e 2 Cor. 1. b
f 1 Cor. 1. d
Non gloriandum in seipso aut in homine.
g Hiere. 17. a
h Mat. 25. a

3\. Rursum post conuersionem, nihil vltra in nobis habeat inuidia, per quam mors intrauit in orbem terrarũ[i]. Diabolus enim inuidit homini ascensum vndè corruerat, & propter hoc tentauit, & in anima occidit. Hæc est illa quæ non magnos, sed paruos semper torquet, dicente sancto Iob[k]. *Paruulum occidit inuidia.* In eo enim quòd aliquis alicui inuidet minorem se ostendit ei cui inuidet. Sic diabolus inuidit primo homini, sic Esau Iacob, & Cain Abel. Hęc inuidia paruulum occidit; quia nisi inferior esset, de bono alterius non doleret. Hac peste nullus moritur, nisi qui terrena hæc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Vndè si qua desiderat, illi inuidet qui penitus ea accepit, vel illi partem habendo quantitatem ei restringit. Hunc paruulum occidit inuidia, quia dum non potest adipisci quod alii inuidet, in odium (inuidiæ filiam) cadit.

Inuidia religiosos dedecet.
i Sap. 2. d
k Iob 5. a
Non nisi pusillorum est; Et terrena appetentium.

4\. Rursum, Fratres, post conuersionem nostram ira non habeat in nobis locum, quia, vt ait Dominus in Euangelio, gradatim ducit ad gehennæ puteum, dicens[l]. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit racha,* hoc est, vocem indignationis per iram emiserit, *reus erit concilio,* in quo tractatur qua pœna sit mulctandus. *Qui dixerit fatue,* hoc est tale quid fecerit aut vocibus aut verbere, vt inter fratres despiciatur, *reus erit gehennæ ignis,* nisi resipuerit. Hæc est ira quæ stultorum oculos extinguit, sapientium oculos nonnunquã turbat dicẽte Psalmista[m]

Ira à religiosis exulet.
l Matt. 5. c
m Psal. 6. b

Tur-

Turbatus est præ ira oculus meus. Et de ira stulti Iob ait n: *Virum stultum interficit iracundia.* Ecce duas iras videmus, quarum altera nonnunquam turbat oculum, altera semper extinguit. Altera venit ex impatientia, altera ex zelo rectitudinis. Altera venit ex vitio, altera ex virtute. De altera quæ venit ex virtute Psalmista ait o: *Irascimini, & nolite peccare.* Quasi dicat: Crudeles estote in vitium, mites in fratrem, considerantes vosmetipsos, ne & vos tentemini. De altera quæ venit ex vitio, ait Apostolus p: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, id est, Christus qui est sol iustitiæ, mentem vestram irascentem non deserat, qui cum ira nunquam habitat. Irâ, quæ venit ex zelo rectitudinis, debemus irasci prius nostris erratibus, & post erratibus proximorum: quæ melior est risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur proximus q. Quæ debet tamen subesse rationi, ne sit immoderata, sed in vltione peccati tempus & modum consideret. Hæc sapientes interdum turbat. Ira per vitium stultos occidit, dum in rixas & in contumeliam linguam relaxat.

n Iob. 5. a
Ira duplex: altera ex vitio, altera ex virtute seu zelo rectitudinis.
o Psal. 4. a
p Ephes. 4. e
q Eccles. 7. a

5. Tristitia vitiosa.

Rursum Fratres, post conuersionem nostram muniendus est thalamus cordis nostri, ne tristitia rediens introeat, illam dico quæ mortem operatur, quæ de amissione rerum temporalium venit. Hæc est illa quæ prauas cogitationes generat, murmurosum monachum reddit, quæ fastidium parit, & tenentem aratrum Dei cum vxore Loth retrò respicere compellit. Sine dolore namque non potest amittere, quod cum inordinato amore possedit. Hanc itaque tristitiam quæ mortem operatur excludamus: & intromittamus eam quæ venit de memoria peccatorum, & de peregrinatione nostra, dicamusque cum Psalmista r: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Hæc est tristitia quæ vitam operatur, de qua ait Apostolus s: *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Hæc est illa de qua Dominus ad discipulos dicit t: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Altera parit mortem, parit animi rancorem.

Tristitia virtuosa.
r Psal. 119. a
s 2. Cor. 6. b
t Ioan. 16. c

6. Auaritia religiosis detestanda.

Rursum, Fratres, post conuersionem muniamus thalamum nostrum, ne auaritia, quæ est radix omnium malorum, rediens introeat, nosque ab vnius Dei cultura abstrahat, idolorum cultores faciat. De qua inter cætera sic ait Apostolus ad discipulos suos u: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.* Ecce auaritiam idololatriæ comparat: & meritò: quia sicut vni Deo idololatra nititur auferre gloriam, ne solus habeat nomen deitatis: ita auarus in Dei res se extendit, vt solus vsurpet quæ Deus omnipotens in vsum plurimorũ fecit. Vtraq; Deo inimica, quia negat Deo, quæ sunt eius. Est & auaritia non solum amor congregandæ pecuniæ aut conseruandæ, sed ambitio prælationis, cùm nititur homo homini præesse. Hæc, vt verum dicam etiam pauperes (qui semel pro Christo reliquerunt sua) in tantum vexat, vt cõtra ius & fas, & propositum suum, non tantùm velint, sed etiã studeant fratrib. & conseruis præesse. Quod si Abbas aut Prior eorum voto non consenserit, irascuntur, obloquũtur, eosq; aut inuidos, aut sibi maleuolos (qui se nõ prouehunt) clamant. Hæc est auaritia quæ memoriam mandatorum Dei turbat, dicente Psalmista Domino x: *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam*, quæ proditionis est mater quæ Iudam Dei discipulum primum ad mandatorum Dei obliuionem, de obliuione ad proditionem, de proditione traxit ad laqueum.

u Colos. 3. a
Auaritia est idololatria.
Auaritia seu ambitio prælationis.
x Psal. 118. e

7. Gula religiosis cauenda.

Rursum, Fratres, post conuersionem nostram muniamus thalamum cordis, ne gula rediens introeat, quæ & Adam innocentiæ veste, & Esau priuauit primogeniti dignitate. Hæc est illa pestis quæ patres nostros in deserto ingratos beneficiis Dei fecit, quæ compulit eos murmurare contra Deum, & dicere y: *Vtinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus allia, cepe, & pepones.* Hæc est illa funesta pestis quæ eos ad blasphemiam duxit, quasi non esset alia vita post istã, cùm dicebãt z: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, id est in futuro. Quasi dicerent: Hoc solum habemus quod comedimus, nihil in futuro post hanc vitam nos habituros speramus. Hanc pestem cum homine perituram pronunciat Apostolus dicens a: *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & hanc destruet.* Hæc pestis tripertita est: quia aut ante horam canonicã, aut aliud quàm licet, aut plus quàm necesse est facit comedere: & carnis curam in concupiscentiis nititur facere. De qua nascitur inepta lætitia: sicut de populo Israel dicitur: b *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*

y Exod. 16. a Num. 11. a & 14. a
z Esa. 22. d
a 1. Cor. 6. u
b Exod. 32. b

8. Luxuria religiosis abominabilis.

Rursum, Fratres, post cõuersionem nostram muniamus thalamũ cordis nostri, ne luxuria rediẽs introitum inueniat: quæ pestilentia rediens est peior quàm antè fuerat. Nunquã enim sola redit, sed sicut Dominus ait in Euãgelio c, *Assumit septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Hæc est pestis illa quæ corpus Christi dimembrat, quæ de mẽbris Christi facit mẽbra diaboli. Nã qui adhæret alicui personæ causa libidinis explendæ, vnum corpus fit cum illa persona, & fit mẽbrũ diaboli: cuius & illa mẽbrum est per coniunctionẽ malorũ operum. Hæc est illa pestis quæ ignẽ infernalẽ in corpus humanũ accendit, vt vegetum sit & robustum ad libidinem explendã: & quæ igni illi inextinguibili materiã semper apponit, & vires ministrat, vt de suo semper habeat vndè sine fine ardeat. De his duobus ignibus luxuriæ & gehennæ habemus auctoritatẽ scripturæ. De igne luxuriæ ait d: *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.* De igne gehennæ ait e: *Pones eos vt clibanum ignis in tẽpore vultus tui*, hoc est iudicii, vt intus ardeant (sicut clibanus accensus) in cõscientia: *Dominus in ira sua cõturbabit eos*, dicens f: *Discedite à me operarii iniquitatis.* Et deuorabit eos ignis extremus infernalis, quẽ accenderũt propter luxuriæ fœda opera. Sit ergo, Fratres, summa cura & summum studium his qui in talibus sunt, de talibus euadere & fugere.

c Matth. 12. d
d Ose. 7. a
e Psal. 20. b
f Luc. 13.

9. De Thalamo Sion adornãdo.

Nobis verò qui per gratiam Dei euasimus, & veterẽ exuimus hominem, qui sumus Sion, sit summum studiũ thalamum nostrum munire & adornare, & Christum regem suscipere, sicut hæc Scriptura præcipit quam recitauimus, *Adorna thalamum tuum Sion.* Quid est adornare thalamum tuum? Virtutes congregare, quibus & pauimentũ, & parietes quasi cortinis & floribus tota domus adornetur. Primus ornatus thalami nostri, qui sumus Sion, sit Timor, qui est initium sapientiæ, id est, primus gradus per quẽ ascẽditur ad sapiẽtiã. De quo timore ait Scriptura g: *Beatus homo qui semper est pauidus.* Et Psalmista ait h, *Seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore*: vt timor auferat securitatem noxiam, & exultatio mortiferã tristitiam. Hic timor generat humilitatẽ, quę est preciosissim9 ornatus thalami Siõ, quæ magis placuit Christo cùm in thalamũ virgineũ ingrederetur, dicente beata Maria i: *Quia respexit humilitatẽ ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatã me dicẽt omnes generationes.* Hæc, inquã, humilitas est ornatus Siõ, id est pauperũ Christi, de quibus ipse dicit: k *Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnũ cælorum.* Ecce quomodo timor Domini primus gradus ascensionis, & primus ornatus thalami Sion, alios etiam ornatus generat, humilitatẽ scilicet, & voluntariã paupertatẽ. Adorna ergo thalamũ tuũ Sion, timore Domini.

Primus ornatus, Timor.
g Prou. 28. b
h Psal. 2. c
Hic generat humilitatem.
i Luc. 1. e
k Matth. 5. a

10. Secundus ornatus, Pietas.

Secundus ornatus thalami Sion, & secundus gradus ad sapientiam, est pietas: de qua dicit scriptura l: *Miserere animæ tuæ placẽs Deo.* Et alibi m, *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* Hæc miseretur in se peccantibus; fraterna onera portat; magis eligit quælibet temporalia bona perdere, quàm cum fratre lite contendere. Quæ profectò pietas aliud nihil est nisi Deum colere, & per cultum Dei Deo placere. Hæc in nobis generat mansuetudinem, optimum ornatum thalami Sion, quæ filios Dei nos facit, dicente Domino n: *Beati mites, quoniam filii Dei vocabuntur.* Ecce quomodo pietas secundus ornatus thalami Sion, & secundus gradus ascensionis, alium ornatum de se generat mansuetudinem, quæ filios Dei efficit. Adorna igitur thalamum tuum Sion, pietate.

l Eccli. 30. d
m Esa. 66.
Isque generans mansuetudinem.
n Matth. 5. a

11.
Tertius ornatus Scientia.
His paritur luctum religiosum.
o Cant. 1 b
p Matt. 9. d

Tertius ornatus thalami Sion & tertius gradus ascensionis est scientia, quæ homini sui cognitionem præbet, vt scilicet homo neque minus neque plus quàm debet de se præsumat. Quorum alterum, scilicet de se nimiũ præsumere, in mala facit præcipitem: alterum, scilicet se non cognoscere, facit ad quælibet bona torpentem. Ad hanc scientiam Spiritus sanctus inuitat Ecclesiã in Canticis:[o] *Si ignoras te ò pulchra inter mulieres, abi post vestigia gregũ tuorũ*, scilicet hæreticorum: & pasce hœdos tuos, hoc est carnales cõcupiscentias. Hæc sciẽtia præbet nobis fiduciam vincendi omnes tentationes per veram fidem dicente Domino in Euangelio[p]: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*, per Dei scilicet gratiam, & liberũ arbitrium. Videmus iam quomodò scientia tertius ornatus thalami Sion, & tertius gradus ascensionis, alium ornatum in nobis generat, religiosum videlicet luctũ, qui consolationem à Domino in futuro meretur. Hæc scientia parat in nobis dolorem & luctum peregrinationis, vt videndo mala exilii quæ patimur, cum luctu desideremus patriam à qua peregrinamur, audiamusque à Domino nobis dici[q]: *Beati qui lugent, quoniã ipsi cõsolabuntur.*

q Matt. 5 a
12.
Quartus ornatus Fortitudo.
r Psal. 119 a
Esuriem iustitiæ.
s Matt. 5. a

Quartus ornatus thalami Sion est fortitudo, quæ cõuenit laborantibus pro veris bonis acquirendis. Hæc est quæ munit thalamum Sion, vt non extollatur prosperis, non frangatur aduersis: quæ linguam increpantem & blandientem his verbis confundit, dicens[r]: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Hæc est illa quæ semper de die in diem robustior, esuriem & sitim iustitiæ in thalamo Siõ accendit, facitque eam audire à Domino[s]: *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Adorna igitur thalamũ tuum Sion, fortitudine.

Quintus ornatus Consilium.
Pariens misericordiam.
t Ibid.

Quintus ornatus thalami Sion est cõsilium, quo homo infirmitates suas requirit, suum posse & suum non posse inuestigat; & ex sua infirmitate alios considerat, aliis parcit & miseretur, sicut & vult Deum sibi misereri: aliis dimittit debita, sicut sibi vult dimitti à Deo: mereturque audire à Domino[t]: *Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam consequentur.* Adorna igitur thalamum tuum Sion, consilio.

Sextus ornatus Intellectus.
u Exod. 3. b
x Exo. 33 d
y Matt. 5. a

Sextus ornatus thalami Sion est intellectus: qui mentem hominis super hæc infirma rapit, omnesque corporeas substantias intellectuali intuitu transiens, non corporeis substantiis figitur, volensque vltra progredi, & propius accedere audit à Domino: *Ne appropinques huc*[u]: *non enim videbit me homo, & viuet*[x]. Hic intellectus conuenit iis, qui à Deo purgatum oculum habent, de quibus dicitur[y]: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Adorna igitur thalamum tuum Sion, intellectu.

13.
Septimus ornatus Sapientia.
a Philip. 1. c
Ibid. d
z Matt. 5 d

Septimus ornatus thalami Sion est sapientia, quæ conuenit iis qui intellectualibus oculis æterna contemplantur; quorum conuersatio in cœlis est; qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo: in quorum persona dicebat Apostolus[a]: *Mihi viuere Christus, & est mori lucrum.* Quasi diceret: Vt Christum magnificem, Christo viuere volo tantùm, & Christus est præmium mortis meæ. Et post pauca: *Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multò melius: manere autem in carne necessarium propter vos.* Ecce quid facit vera sapientia, quæ omnes rebelles motus corporis ita subiugat, vt nullam vltra pugnam in carne sentiat: pro infirmis fratribus (vt eis Christum nunciet) exilium libenter patitur; probra non audit, damna non sentit; inferenti tunicam dimittit & pallium; percutienti ad vnam maxillam præbet & alteram, auditque à Domino[z]: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Hi ornatus thalami Sion: istis nos adornemus qui sumus Sion, & regem Christum suscipiamus, quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quadragesima, hoc est hodierna die, in templo Dei præsentauit.

14.
b Leuit. 12. a
Occasio hodiernæ festiuitatis, ex lege purificationis puerperis data.

In lege namque scriptũ erat[b], vt mulier quæ suscepto semine peperisset masculum, quadragesimo die purgata templum cum filio intraret, deferens hostias secũ pro peccato agnum anniculum immaculatum. Si autem non haberet agnum, par turturum, siue duos pullos columbæ offerret. Hæc omnia beata Virgo non ex necessitate, sed ex humilitate impleuit. Abstinuit ab introitu templi quadraginta diebus, non necesse habens purgari, quæ sine omni delectatione, saluo virginitatis sigillo, de Spiritu sancto concepit. Obtulit hostiam non pro peccato, sicut aliæ mulieres, sed pro humilitate: ostendens etiam in hoc quòd Filius Dei Iesus Christus non soluere venerat legem, sed adimplere. Et ecce Simeon grandæuus, qui acceperat responsum non visurum se mortem nisi videret Christum Domini, & eum susciperet quem expectabat: accepit eum in vlnas suas, hoc est, inter brachia sua amplexatus est: illum qui appendit tribus digitis molem terræ, qui omnia implet, omnia complectitur, inter brachia portat, dicens[c]: *Nunc dimittis Domine seruum tuum, secundum verbum tuum in pace.* Cupio dissolui, & eius aduentum cum patriarchis & prophetis in inferno expectare, qui inter te & humanum genus facturus est pacem. *Quia viderunt oculi mei salutare tuũ*, filium tuum, quem desideraui, de quo responsum à Spiritu sancto accepi. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* De quo ait Esaias[d]: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucẽ magnam*: quia *cum plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet*[e].

c Luc. 2 d
d Esa. 9. a
e Rom. 11 d 25
f Gen. 22 d
g Psal. 131.

Audite, Fratres, audite quid offert Maria, quid Simeon suscipit. Vnigenitum Dei, Deo Patri consubstantialem, & coæternum, Verbum in principio. Et vt vtilitatem & consolationem nostram audiamus; illum offert Virgo, quem Deus Abrahæ promisit dicens[f]: *In semine tuo*, hoc est in Christo, *benedicentur omnes gentes.* Et quem Dauid promisit dicens[g]: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hic est quem Virgo offert, Patriarcharum gaudium, desiderium Prophetarum, Gentium expectatio, Iudæorum qui eum receperunt saluatio, ruinæ Angelorum reparatio. Talis est quem Virgo offert Deo, imò multò maior quàm lingua, aut hominũ, aut Angelorum possit dicere. Et cùm sit tantus ac talis, qualem aut quantum ipse se nouit, non sufficit Virgini ipsum solum offerre: sed hostiam, quam lex præceperat, pro eo obtulit: ob humilitatis scilicet exemplum, vt nos doceret quomodo & nos eum debeamus offerre.

Oblatio Virginis Mariæ quid nos doceat.
Columbæ proprietates ad mores expositæ.

Duos turtures, aut duos pullos colũbæ pro eo obtulit. Colũba, Fratres, simplex est animal, felle caret, rostro non lædit, in cauernis petrarum nidificat, alienos pullos nutrit, iuxta fluenta manet, vt visa vmbra accipitris fugiat, meliora grana eligit, gemitum pro cantu reddit, gregatim volat, alis se defendit, visum recuperat. Et nos, Fratres, cùm ante altare steterimus, vt Dei filium Deo offeramus, cum eo & pro eo *par turturum*, castitatem corporis & animæ offeramus. Et *duos pullos columbarum*, pro cantu gementes, compunctionem geminam, pro desiderio patriæ cœlestis, & de consideratione nostræ miseriæ habentes. Columba felle caret: & nos ita careamus, quæ peccare nos facit. Rostro non lædamus, sed percussi in vnam maxillam, aliam præbeamus. In cauernis petrarum nidificemus: in fide plagarum Christi refugium habeamus. Alienos pullos nutriamus, de filiis diaboli facientes verbo prædicationis filios Dei. Iuxta flumina maneamus: id est iuxta hunc mortalitatis fluxũ sedentes, vmbram accipitris, hoc est peccata quæ sunt vmbra diaboli, malorum ruinas considerantes, ab eius vngulis fugiamus. Meliora grana eligamus: id est meliores sententias in Scripturis sanctis. Gregatim volemus: vnum consensum in bono in congregatione sub pastore habentes. Alis noui & veteris Testamẽti contra inimicos Dei nos defendamus: vel duobus præceptis charitatis, Dei videlicet amore & proximi. Visum recuperemus, de bono actionis ad bonum semper intendentes contemplationis.

16.
Attendite ò sacerdotes Christi.
h 1. Cor. 11 b

Fratres charissimi, tales oportet nos esse cùm corpus Christi consecramus, cùm consecratum manducantes sacrificamus, cùm vobis idem corpus in salutem corporis & animæ porrigimus. Tales etiam vos oportet esse, cùm sacrum Sacramentum de manibus nostris accipitis, scientes, quòd qui corpus Christi indignè accipit, & sanguinem eius indignè bibit, iudicium sibi manducat & bibit[h]. Verùm quia rarò inuenitur talis qui in se hæc omnia habeat, diligat illum

A qui bonum habet, quod in se non habet: & in illo habeat, quod in se non videt. Neque enim credere debemus quòd soli sacerdoti supradictæ virtutes sint necessariæ, quasi solus consecret & sacrificet corpus Christi. *Fideles sacrificio adsistentes, etiam suo modo concurrunt ad consecrationem sacramenti.* Non solus sacrificat, non solus consecrat, sed totus conuentus fidelium qui astat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat. Nec solus lignifaber facit domum, sed alius virgas, alius ligna, alius trabes, &c. comportat. Debent itaque astantes habere de suo, sicut & sacerdos, fidem firmam, orationem puram, deuotionem piam. Sciendumque quòd sine firma fide nemo astantium esse debet. Cæteras verò virtutes, quas supra diximus, & si omnes non habent, diligant illum qui habet quod in se non inueniunt, & in illo habent quod in se nondum vident. Sicut Petrus in Ioanne virginitatis habet meritum: sic Ioannes in Petro martyrii habet præmium.

17. *Christi corpori tria debemus.* Sciendum quoque, quòd corpori Christi, quem Maria hodie præsentauit in templo, quem Simeon in vlnis suis suscepit, tria debemus; dignitatem, reuerentiam, & fructum. Dignitatem: vt eum Dei filium, Deum de

Dignitatem. Deo, omnipotentem, creatorem omnium, iudicem viuorum & mortuorum credamus. Dignitatem: vt credamus nos statim postquam de corpore exierimus, ab eo C sicut à iudice percepturos sicut gessimus, siue bonum siue malum. Ille namque quẽ Maria in templo præsentauit, quem Simeon suscepit, quem in manibus consecrantes ante Deum leuamus, benedicimus, manducamus, vobis porrigimus manducandum: ille familiaris noster, iudex erit noster. Caueamus ergò ab eo separari per iudicium post mortem, cui ita sumus familiares in vita. Dicamus itaque ei in corde cùm eum tractamus, dicamus cùm eum consecramus: Domine ad te veniemus post mortem, ante tuum tribunal iudicandi astabimus. Qui nobis ita familiaris esse dignatus es in vita, quòd à nobis tractaris, consecraris, manducaris: noli nobis alienus esse in morte, sed parce nobis in die mala. Confundantur dæmones qui nos tunc persequentur, destrue fortitudinem illorum in virtute tua: quia non est qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus & familiaris noster. Hæc est dignitas quam ei debemus.

18. *Reuerentiã.* Debemus ei & reuerentiam: inuestigare scilicet nosmetipsos: & si inuenimus cor pollutum fœdis cogitationibus aut mala voluntate, ab eius contactu vt ab i- C gne & nos & alios arceamus. Ignis enim consumens est[i]; ad quem indignus non debet accedere, ne interius

i *Deut.* 4. d consumatur, & in reprobũ sensum tradatur. Exeat ergo extra castra, sicut Moyses præcepit[k], qui nocturno pol-

k *Deut.* 23. lutus est somno, hoc est qui per negligentiam istius obscuræ vitæ (quæ tota vt somnus pertransit) peruenit vsque ad pollutas cogitationes. Exeat extra castra, hoc est dum in illo statu est, iudicet se indignum societate fidelium communicantium hoc sacro corpore, lauetque vestimenta sua per sanctam confessionem & post solis occasum, hoc est post tentationis calorem & ardorem iam mortuum, lætus redeat, & cum aliis fidelibus communicet. Hæc est reuerentia quam debemus corpori Christi, quem virgo Maria hodierna die in templo præsentauit, quem Simeon lætus inter brachia suscepit.

16. *Fructum.* Debemus etiam fructum scire, intelligere scilicet

l 1. *Cor.* 10. quem fructum accipimus, si eum dignè comedimus. Audite fratres non me, sed Apostolum dicentem: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Calix, id est communicatio calicis, facit D nos habere quandam communionem cum Christo. *Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis est Domini?* Ac si dicat, panis quem frangimus, facit nos vnum corpus sub Christo capite: quoniam sicut vnus panis ex multis granis conficitur, qui postea in corpus Christi & per fidem & per sancta verba, quæ Christus suos docuit, conuertitur: sic diuersi participantes hoc corpore in vnitate fidei, spei, & charitatis, vnum corpus cum Christo sunt, ad Christum statim post mortem venturi, & cum Christo sicut cum capite suo sine fine regnaturi: quem virgo concepit, virgo peperit, virgo in templo hodierna die præsentauit, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

NOTA Lector. Sermo præcedens hactenus operibus S. BERNARDI inseri solitus, ibidem quoque GVERRICO nostro tribuitur: sed stilus multum dissimilis facit, vt alium potius suspicer authorem. GVERRICI sane stilus pressior & neruosior est, modus quoque tractandi plus succi & vigoris habet: vt qui BERNARDVM ferè imitatur; ac tantum non assequitur.

Confirmat suspicionem meam MS. quod licet iam tum vetatis primum nactus sum è Carthusia Coloniensi, vbi præcedens sermo non reperitur.

DE PVRIFICATIONE B. VIRG. MARIÆ
SERMO VI.

Post quam impleti sunt dies purgationis: tulerunt Iesum in Hierusalem.

O Quam felix est, de quo dici potest: Impleti sunt dies purgationis eius: vt iam nihil aliud ei superfit, nisi vt ferant eum in Hierusalem supernam; & sistant eũ Domino. Talis nimirum erat Simeon ille noster senex, 1.

tam desiderabilis, quàm plenus desideriis, cuius cum iã *Simeonis impleti dies purgationis & expectationis.*

olim, vt arbitror, essent impleti dies purgationis, hodie impleti sunt etiam dies expectationis: vt iam secundum verbũ Domini, nihil aliud ei restaret postquam vidisset C Christum Domini, Christum pacem Dei & hominum, nisi vt dimitteretur in pace, & dormiret in pace in idipsum: hoc est, vt ferrent eum in Hierusalem pacis æternæ, & sisterent eum ad contemplandam pacem, quæ exuperat omnem sensum. O Simeon vir desideriorum, impletum est in bonis desiderium tuum! O beate senex, renouata est vt aquilæ iuuentus tua! Introisti iam ad altare Dei illud supernum, æternum totum aureum, ad Deum qui lætificat iuuentutem tuam æterna visione sui, cuius lætificauit senectutem hodierna visione Christi sui. Ad altare illud inuisibile iam ipse præsentatus es Patri; cui ad altare hoc visibile filium hodie præsentasti. Ibi filium ipsum quem hodie tuo sinu gestasti, æterno iam & indissolubili tibi consertis amplexu.

Repletum est igitur in bonis beati senis desiderium, 2.
cuius tota erat expectatio & desiderium, expectatio gentium & desideratus earum. Renouata est vt aquilæ iuuentus eius, quoniam in senectute bona impleti sunt dies purgationis eius. Alioquin nequaquam illius capax nouitatis esse posset; nisi sedulò vetustatem his diebus expurgasset. Fratres expurgate vetus fermentum, dum *Purgationem sui negligentes in hac vita, igni purgatorio reseruantur purgandi.*

C tempus habetis ad expurgandum: vt cùm impleti fuerint dies vestræ purgationis, inueniamini & vos capaces illius gaudii quo plena est iam anima Simeonis. Et quidem dies qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus nolimus implemus: sed væ nobis si dies implentur, & purgatio minimè impletur: vt postea necesse sit illo nos igne repurgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita excogitari potest. Sed quis ille tam perfectus, tam sanctus, qui cùm hinc exierit, nihil illi debeat igni, qui sic ad purum omnem in se scoriam excoxerit peccati, vt gloriari possit castum se habere cor, vt dicere possit, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Pauci quidem sunt electi, sed inter illos paucos paucissimi sunt (vt arbitror) ita perfecti, vt purgationem illam impleuerint, de qua Sapiens dicit[a]: *De* *Pauci illam euadunt.*

a *Eccl.* 7. d *negligentia purga te cum paucis.* Omnino si de negligentia nos purgaremus, de paucis essemus. Nunc autem quoniam non modò minima, sed & maxima negligimus, longè à paucis de terra diuisi sumus, & de nobis dicit ille qui paucitatem sanctorum multitudini præfert negligentium, *inter multos erant mecum* b. *Accusatio temporis & negligentiæ nostræ.*

D Et quid hodie tam proprium simul & commune his quos religionis fouet vmbra, sicut negligentiæ, vt de meipso loquar, quotiens derident hostes sabbata mea? Quotiens dormitat anima mea præ tædio, diemque ferè totum ac si tempus reuocabile esset, inertia consumo? Et vtinam sic dormitaret anima mea, vt apertis & vigilantibus oculis, ipse mihi miser non fingerem somnia vana & illusoria. At nunc in peruersum mutata sententia, ego vigilo, & cor meum dormit, somnoque tam graui, vt vix aliquando valeat expergisci ad tonitruum supernæ illius increpationis[c], *Vsquequo piger dormis? Quando consurges è somno tuo? Paululum dormies,*

b *Psal.* 54. c 3.
NOTA.
c *Prou.* 6. a & 10. b

perbiens, nec gratiam qua pollet inuidens, etiam illis quos molestos tolerat, lumen quod accepit implorat, dicens b: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Mei forsitan sunt, quia prædestinati, sed adhuc tenebræ sunt, quia nondum vocati sut iustificati. Voca & ipsos in admirabile lumé tuum, & prædicabunt mecum admirabile nomen tuum.

b Psal. 17.

Iustus etsi illuminatus, nõ tamen omnino liber à tenebris.

Quanquam iustus quisque ac sanctus in Ecclesia, ita se illuminatum gaudeat, vt adhuc se non minima ex parte tenebrosum videat & doleat: & ideò necessariò, cùm illuminatus sit, adhuc se illuminari petat. Quantò namque amplius lucerna eius illuminata fuerit, tantò verius ex lucerna ipsa tenebras suas deprehendit. Nec statim contrarium putaueris, quod in Euangelio veritas ait c: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Non enim, quia ex oculo syncetæ intentionis totum opus nostrum lucidum fit, ideò consequens est, vt statim omnes tenebræ ignorantiarum nostrarum illuminatæ sint. Is sæpe modus est adhuc illuminationis nostræ, vt in lumen veritatis multum existimetur profecisse, qui defectum suum potuerit nosse, & scire quid desit sibi. Inde est quòd & apud sapientes huius mundi, qui magis sobriè disputarunt de scientia, primus numeratur gradus scientiæ, scire quòd nescias.

c Matth. 8.

Multum profecit, qui scit, quid sibi desit. Primus scientiæ gradus. Scire quod nescias.

2. Fratres, omnes vos filii lucis estis, & filii Dei: Non sumus noctis, neq; tenebrarum. *Nox enim præcessit, dies autem appropinquauit* d. *Et si fuimus aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino* e. Veruntamen si, quoniam non sumus tenebræ, nec filii tenebrarum, dixerimus nos nihil pati tenebrarũ, nos ipsos seducimus, & tenebras mortis, quæ illuminari non mereantur, nobis inducimus. Quid enim ait lux mundi, quæ in iudicium venit in hunc mũdum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant? *Quia*, inquit f, *dicitis, videmus: peccatum vestrum manet.* Video quãtulumcunque, *quoniam tu illuminas lucernam meam, ô Domine* g: sed quia parum est quod video, *Deus meus illumina tenebras meas.* Videmus vt multum per speculum, & in ænigmate: sed multum longè est hoc ipsum à claritate vera, claraque veritate, quæ videbitur in facie. Ideò forsitan cæcus, quẽ apud Marcum h Dominus illuminare cœperat, homines quasi arbores ambulantes videbat: quia videlicet non nisi per speculũ, & in ænigmate videbat: secundò imponens manum restituit eum, ita vt videret clarè omnia: quod in nobis fiet, cùm nos reficiet, & sanitatem perficiet impositione manuum secunda, quã cœpit prima, restituens nos in claritate perfecta.

d Rom. 13. d
e Eph. 5. b
Tenebræ in nobis residuæ.
f Ioan. 9.
g Psal. 17.
h Matt. 8.
Ibidem.

3. Sed hoc ipsum per speculum & in ænigmate, cui, aut quando, vel quandiu potest cõtingere? Quã misericorditer mecum ageretur, quàm feliciter mihi viderer illuminatus, si peccata mea possem videre, cui quotidie necesse est plangere ac dicere i: *Circumdederunt me mala quorum non est numerus, & non potui vt viderem.* Nam *delicta quis intelligit* k, quando etiam specie virtutis vitium decipiens interficit, quasi verè angelus tenebrarũ transfigurans se in Angelum lucis? Magnus vtique, multumque illuminatus, qui delicta ad liquidum intelligere potuit & voluit: nam neque & dolosus potuit, & *noluit intelligere, vt benè ageret* l. Deus illuminator omnium gentium, de te nobis cantabatur: Ecce veniet Dominus, & illuminabit oculos seruorum suorum. Ecce venisti, ô lumen meum, illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte: ne peccatum ad mortem oculos nostros aliqua delectatione claudat, & consensum illiciat, aut velut Isboseth dormientem m inueniens transfodiat. Venisti, ô lumen fidelium omnium, & ecce hodie de illuminatione veræ fidei, id est, lucernæ nostræ, dedisti nobis gaudere: da etiam de illuminatione tenebrarum nostrarum, quæ residuæ sunt, semper in Domino gaudere. Dedisti lumen veræ fidei, da & lumen veræ iustitiæ, da lumen diuinæ scientiæ, da etiam & diuinæ sapientiæ.

i Psal. 39.
K Psal. 18. c
Cæcitas cordis humani ad intelligenda peccata.
l Psal. 35. c
m 2 Reg. 4. b

4. His profectò gradibus proficiendum, hac via proficiscendum tibi esse puto, ô anima fidelis, quò fallacia mundi huius tenebris exuta, peruenias ad patriam claritatis æternæ, vbi tenebræ tuæ erunt sicut clara meridies, & nox sicut dies illuminabitur. Tunc prorsus, *tunc videbis & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum* n: quando replebitur Maiestate diuina incircumscripti luminis omnis terra, & gloria eius in te videbitur. *Domus Iacob venite ambulemus in lumine Domini* o: vt veri filii lucis ambulemus de claritate in claritatem, tanquam prælucente Domini spiritu, vt per singulos gradus virtutum regnum claritatis vlterius inuadamus. Qui igitur iam per fidem sumus in lumine, ex ea & per eam in amplius & serenius lumen progrediamur: primò iustitiæ, dein scientiæ, demumque sapientiæ. Quod enim credimus per fidem, consequenter operandum vel promerendum est per iustitiam, pòst intelligendum per scientiam, ac postremò contemplandum per sapientiam. Prima namque omnium accensa est lucerna fidei, ad quam operemur in nocte huius sæculi. Inde scriptum est in laudem mulieris fortis, quæ de nocte surrexit, & de nocte ac die operatus manibus suis, panem ociosa non comedit. *Non extinguetur*, inquit p, *in nocte lucerna eius*, id est, non deficiet de tentatione fides eius. Ad hanc lucernam non fiunt opera tenebrarum, sed extinguitur cùm fiunt. *Qui enim malè agit, odit lucem* q. Ideoq; extinguit lucernam fidei, postponit memoriam Dei, non est timor Dei ante oculos eius, & de tenebris quas sibi fecit, arbitrorumq; absentiæ blãditur sibi, dicens r: Quis me videt? *Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me.* Quem vereor? *Delictorum meorum non memorabitur Altissimus, & non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius.* Bona verò opera, & si aliquando propter vanitatẽ declinandam in abscondito fiunt: ad lucem tamen internam, & æternam id est, sub iudicio fidei, & testimonio Dei fiunt, quia opera lucis sunt: lucernæ vtique ardentes in manibus operantium, & expectantium aduentum sponsi, qui educet quasi lumen iustitiam tuam, ad conspectum hominum & Angelorum: & sicut lux meridiana clara est, clarescere faciet opera tua, quia in Deo sunt facta, vt Deum in te, & te in Deo clarificent omnium iudicia.

A
n Isa. 60. e
o Isa. 2. b
Proficiendum continuò de lumine in lumen.
Lucerna fidei.
p Prov. 5. b
Non patitur opera tenebrarum.
B
q Ioan. 3. e
r Eccli. 23. n
Opera bona semper luci exposita.

5. Quanta verò claritate iustitia resplendeat etiam in præsenti, quanta luce lætificet conscientiam iusti, familiariùs & suauiùs conscientiæ vestræ testimonium vos docebit. Sæpè autem & fides radiat: & iustitia coruscat, & adhuc tamen intellectus caligat: vt mysterium fidei quod velut inuolutum tenens veneratur, explicare nesciat: signatus sit ei liber scripturæ, quasi literas nesciat: sed nec ad discretionem boni & mali, veri & falsi, sensus exercitatos habeat. Et tales quidem multi in Ecclesia, quorum fides multa, abundans iustitia, scientia ferè nulla. Quòd tamen ad lumen iustitiæ accedere oporteat lumen scientiæ, docet sermo Prophetæ, qui cùm præmisisset s: *seminate vobis ad iustitiam*: vt ostenderet quas interim primitias colligamus, de hoc semine, subiunxit: *illuminate vobis lumen scientiæ.* Sic & Apostolus ait t, *fructificantes in opere bono, & crescentes in scientia Dei.* Tu quoq; Dauid sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres *, quomodo *super senes intellexisti? Quia mandata*, inquit u, *quæsiui*: à mandatis prorsus intellexi, quia intellectus bonus omnibus facientibus timorẽ Domini. Nam & vnctio docens de omnibus, sciens nimirum quo ordine quidquid apud eum discendum sit, prius docet *bonitatem & disciplinam*, & postmodũ *scientiam*: si tamen qui docendus est primò omnium crediderit, id est elementa exordii sermonum iustitiæ didicerit. Ideò ille discipulus vnctionis tam prudenter precem ordinabat, atque allegabat: *Bonitatem*, inquit x, *& disciplinã & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.* Ac si diceret: Didici prima elementa, id est, fidẽ non fictam: iam quod sequitur, doce iustitiam, id est, bonitatem & disciplinam, vt sic demum proueham ad Sanctorum scientiam. Vocasti ad gratiam fidei, iam iustifica per bonitatem amoris, & disciplinam casti timoris: vt post magnifices munere scientiæ spiritalis. *Quos autem vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, illos & magnificauit* y.

Iustitiæ & pietatis splendor in vita præsenti.
C
s Osee. 10.
Lumen scientiæ ad lumen iustitiæ accedere debet.
t Col. 1. b
* al. omnes.
u Psal. 118. n
Vnctio spiritus docet Fidem, iustitiã, scientiam.
D
x Ibid. s. *
Scientia Sanctorum.
y Rom. 8. f

Sciendum sanè, quòd cùm sit hæc scientia Sancto-

6.

rum, non tamen omnes Sancti docentur eam: sed illi duntaxat, in quibus nec industria gratiarum, nec gratia destituit industriam: sed vtrumque mutuo sibi suffragio cooperatur, vt & docibilis sit homo discipulus, & Spiritus adsit doctor sedulus. Cùm autem varia charismata contineat, hæc scientia, Spiritus tamen moderator non in vnum facilè confert omnia, sed diuidit singulis prout vult, alii notitiam mysteriorum, alii intellectum Scripturarum, alii interpretationem sermonum, alii discretionem spirituum; alii illam quæ pernecessaria est, velut in gustu dignoscentiam, atque diiudicationem virtutum ac vitiorum, ne fallant vitia specie virtutum. *Non nocebunt*, inquit [a], *& non occident in vniuerso sancto monte meo: quia repleta est terra scientia Domini.*

Non omnes eam æquè participant.

a Isa. 11 b

7\. Iam verò si quis post hæc & per hæc tria fidem, iustitiam, atque scientiam, proficiat ad sapientiam, id est, saporem & gustum æternorum, vt possit vacare & videre, videndoq; gustare quàm suauis Dominus: & quod oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis nō ascendit, ei per Spiritum reueletur: hunc omninò dixerim illuminatum magnificè & gloriosè, tanquam qui gloriam Domini reuelata facie speculetur, & super quē gloria Domini sæpiùs oriatur. Huic vtique dicere habet non Propheta, sed Propheratum Spiritus [a] *Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Fratres non omnes capiunt hoc verbum, sed qui potest capere capiat. Non condemnatur qui non capit, sed qui non cupit, vtique reportis arguitur. Qui autem capit: nouerit quia hoc lumen sapientiæ ferueor accendit oratio, sicut & lumen scientiæ, frequēs lectio, si tamen cùm legis lucernam ardentem adhibueris, id est, iustitiam operum, piorum atque experientiam sensuum. Tu autem Domine Pater luminum, qui lumen de te lumine vnicum tuum misisti illuminare tenebras mortalium, da nobis per viam luminum peruenire ad lumen æternum, vt placeamus coram te in lumine viuentium, qui viuis & regnas per omnia sæcula sæculorū.

Sapientia vera est gustus & sapor æternorum.

a Isa. 60 a

DE EPIPHANIA DOMINI

Sermo IV.

1\. SEcunda nobis hodie, fratres, natiuitas celebratur, quæ de illa prima natiuitate tanquam de causa effectus, consequenter nata videtur. Illa siquidem quam heri vtique hodie celebrauimus, natiuitas Christi est: ista quam hodie celebramus, natiuitas nostra est. In illa namque Christus natus est, in ista Christianitas nata est. Cum enim tria sint quæ nos faciunt Christianos, Fides, Baptismus & Altaris participatio: hodierna dies fidem nobis nuntiauit, baptisma consecrauit; ac mensæ cœlestis miracula præformauit. Quomodo sanè prima gentium illuminatio fidem nobis initiauerit; quomodo Christus baptizatus baptisma nostrum consecrauerit; qualiter illa conuersio aquæ in vinum, mutationem rerum in conuiuio mensæ Dominicæ præostenderit, nequaquam iam opus est vt doceamus: sed illud arbitror operæ pretium, vt nosmetipsos commoneamus, ne fides in nobis à suis degeneret initiis; ne vacuetur in nobis gratia baptismatis; ne cedat nobis in iudicium participatio calicis Christi.

Tria nos faciunt Christianos. Fides, Baptismus & Altar. participatio.

2\. Et ipsa quidem fides, qualis ab illis Magis primis videlicet auctoribus suis, nobis hodie tradita sit, qualiter maximum fidei sacramentum mysticis insinuauerint munerum figuris, satis abundeque disseruere patres nostri: vt ex ea parte nullus iam alius labor quàm in labores eorum introire nobis resederit. Sed neque magnoperè postulat status, imò ruina temporis huius, vt de mysterio fidei disputetur: sed vt magis id modis omnibus elaboretur, vt sicut Apostolus ait [a], in conscientia pura, idem fidei mysterium habeatur. Ecce enim hodie si de mysterio fidei interrogas, omnes ferè inuenies Christianissimos, si conscientias discutias, paucos admodum inuenies verè Christianos. Totus ferè mundus *confitetur verbis se nosse Deum, factis autem negat* [b]: adeò vt & qui speciem pietatis videntur habere, virtutem eius sæpius inueniantur propemodum abnegare. Quid putatis autem, fratres mei, quos in hoc significare voluerim, quos scilicet dicam pietatis habere speciem, sed abnegare virtutem? Si illos qui spaciosam viam sæculi ambulant, intelligitis: quid illi vel de sola præferūt pietatis specie, qui nomine solo Christiani, atque in vacuum assumentes nomen sanctum Christi, tota ac libera professione sectantur quæ huic inimica sunt nomini, qui omni specie conuersationis & modo vitæ, se protestantur inimicos crucis Christi? Hæccine est species pietatis quam in eis videmus; habitus & incessus meretricius; sermo scurrilis, oculus impudicus, venter qui pro Deo colitur, & omnis illa vitæ contumelia, quæ publicè & gloriabundè, velut in faciem pietati irrogatur? *Quæ enim in occulto ab ipsis fiunt, turpe est dicere* [c]. Fodiat parietem eorum, qui ad ipsos missus est propheta: vt adhuc maiores abominationes videat, quas non erubescunt, aut verentur coram illa tremenda maiestate perpetrare. Quid enim mihi qui monachus videor, de his qui extra hoc monasterium sunt iudicare? Vtinam nec de his ipsis qui hic intus sunt, mihi esset iudicare: Ad meipsum namque conturbata est anima mea, dum scilicet vereor, ne hæc ipsa species pietatis, quam vtcumque vobiscum gero, grauiùs me incipiat accusare: si pietatem ipsam me conuicerit abnegasse.

a 1. Tim. 3. c

NOTA. Multi nomine, pauci re Christiani.

b 1. Tit. 1.

Christiani nomine tenus quinam.

Mores & deprauatio sæculi.

c Eph. 5.

3\. Omnino, fratres, verendum est mihi, an verò & vobisipsis, vos videritis, ne ad nos præcipuè spectet ille sermo, qui per Apostulum prophetatus est, de temporibus nouissimis: vbi cùm malitiam hominum describeret tunc futurorum, qualis nunc manifestè legi potest in vita & moribus eorum, longum tandem sic conclusit malorum catalogum, *habentes*, inquit [d], *speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Quid enim ita speciem pietatis habet, sicut hæc quam prætendimus, humilitas tonsuræ & habitus, parsimonia cibi & potus, labor ferè continuus, & ordinatissimus per omnia viuendi modus? Cæterùm de virtute ipsa pietatis, quam hæc species exterior promittit, quàm propè nihil in me meique similibus valeat inueniri; pudor mihi esset confiteri, si non omnibus essemus manifesti. Quæ est enim virtus pietatis, nisi charitas non ficta, humilitas vera, patientia longanimis, obedientia non segnis? In his virtutibus eiusque similibus, quantum vobis liceat gloriari, vestro fratres, relinquimus iudicio: de me siquidem ingenuè confiteor, quia nomina quidem earum scio saporem adhuc ignoro. Meritò itaque pudorem mihi pariter & timorem incutit habitus quē gero religionis, cui ferè nullum suffragatur testimonium virtutis. Numquid enim meritò mihi possum vsurpare monachi nomen & honorem cuius non habeo meritum & virtutem? cum sicut ante nos dictū est [e], simulata sanctitas, duplicata sit iniquitas: & lupus sub ouina pelle deprehensus grauiore sit sententia percellendus. Propterea vos quoq; fratres, vt tutò gloriari possitis, in hac, qua corpora vestra decorata sunt, specie pietatis, ponite corda vestra in virtute eius, vt species in corporibus, virtus in cordibus, probatos vos exhibeant, tam Angelis quam hominibus: sitque sicut scriptum est [e], *Omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.*

d 2. Tim. 3. a

Nouerint ista præcipuè viri Religiosi & se iisdē ficti, vt veræ & solidæ pietatis studeant: non larvam eius aut speciem tantum teneant.

Humilis B. Vir. de seipso cō... semper ... in principio sermonis accusator est sui.

e August. Simulata sanctitas duplex iniquitas in psal. 63. tom 8.

e Isa. 61 e

4\. Hæc est Fratres, Christianæ fidei pietas vera, hoc est habere mysterium fidei in conscientia pura. Vt enim mysterium fidei, quod hodie nobis mystica commendauerunt Magorum munera, fideliter & dignè conseruaremus immaculatū in consciētia pura: hodie indē Christus baptizatus, non sibi sed nobis, *Aspersit* (sicut Apostolus ait [f]) *corda nostra à conscientia mala, & abluit corpora aqua munda.* Quàm felix, ô Fratres, anima illa, quæ sic lota in salutem, mox è vestigio secuta est Saluatorem, vt deinceps adhærens ei cum Apostolis, illam meruerit audire vocem [g]: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Cæterū *qui baptizatur à mortuo, & iterū tangit eū, quid proficit lauatio illius* [h]? Ego postquā baptismo lotus sum, non vnum mortuū, sed tot mortuos quot opera mortis tetigi: & iuxta Petrum Apostolum [i], contigit mihi illud veri prouerbii: *Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* Quid igi-

f Heb. 10 d

g Ioan 13. b

h Eccli. 34 d

i 2. Pet. 2. d

tur faciam? Quibus vlterius aquis sordes tantas diluam? A Audio quia sicut vna fides, sic vnum Baptisma est, nec secundo baptismati locus est, quoniam quicunque baptizamur, in morte Christi baptizamur: qui sicut semel mortuus est, sic & semel baptizatus est: vt & nobis vnici modum & formam baptismatis præscriberet. Diffiderem forsitan vlterius posse mundari, nisi quia desperantem reducit in spem, inter alias Scripturæ consolationes, etiam fidele consilium Helisæi, etiam si totus instar Naaman Syri lepra sim perfusus, ac veterno incurabili possessus. *Vade*, inquit[k], *& lauare septies in Iordane, & mundaberis.* Si dixisset lauare ter, mundaberis, continuò intellexissem trinam mersionem qua inundantur baptizati, diceremque totum illud miraculum gratiam prophetare baptismatis, vt iam tunc Iordanis de virtute Dominici baptismi cœpisset ad salutem gentium operari. Nunc autem cum signanter dicat, lauare septies in Iordane, quid sibi vult septenarius iste, aut quis est Iordanis ille? Iordanis, vt aiunt, interpretatur descensus eorum. Quorum? Illorum vtique qui humiliantur ad pœnitentiam, qui nimirum quantò profundius descendunt per gradus humilitatis, tantò se penitius mergunt & plenius abluunt spiritalis alueo Iordanis.

Post lotionem baptismi denuo inquinatis remedium vnicum est lauacrũ pœnitentiæ.

k 4. Reg. 5. a

Exemplum Naaman Syri pulchrè huc applicatur.

B 5. Ad meipsum, ô Deus, conturbata est anima mea, memor peccatorum suorum: propterea memor ero tui de terra Iordanis, quomodo scilicet in descensu humiliationis inundaueris Naaman leprosum. *Descendit*, inquit[l], *& lauit septies in Iordane, iuxta sermonem viri Dei, & mundatus est.* Descende & tu ô anima mea, de curru superbiæ in salubres aquas Iordanis, qui de fonte domus Dauid, toto iam profluit orbe in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Hæc est nimirum humilitas pœnitendi, quæ de domo pariter & exemplo profluens Christi, toto iam prædicatur orbe, totiusque purgat crimina mundi. O vos Naaman Syri (non enim vnus, sed innumeri), ô inquam diuites, sed leprosi: superbi, sed ærumnosi, quare tam vehementer abhorretis lauari his medicinalibus aquis? Cur vobis ita viluit noster iste Iordanis præ fluuiis Damasci? Dicitis enim si fortè quærentibus aliquandò consilium salutis imitanda prædicetur humilitas & paupertas Christi[m], *Nunquid non meliores sunt fluuii Damasci, omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder?* C Nunquid non est melius, & ad purgationem peccatorum efficacius, quotidie benefacere de affluentia mundi, quàm semel omnia relinquendo pauperem fieri? Sed enim audi Naaman: Fluuium Damascenum absorbebit Leuiathan[n], & non mirabitur: nam de Iordane *si habeat fiduciam quòd influat in os eius*, spes eum frustrabitur. Neque enim grande reputat quantiscunque, præter humilitatem Christianam, virtutibus affluas: cùm etiam pauperes Christi deuorare se posse confidat, sed nihil in eis inimicus proficiat. Damascus secundùm nomen suum, ciuitas sanguinis est, & aquæ eius sanguine mixtæ sunt: quia opera etiam bona carnalium & sæcularium, vix à quocunque peccato pura sunt. Et quomodo id quod infectum est sanguine, sanguinem mundabit? qua ratione lepram, id quod leprosum est, curabit? At Iordanis noster ipse quidem purum profluit, nec te calumniari poterunt superbi, si totus in eo mersus fueris, ac velut consepultus humilitati Christi.

l Ibid. d. e

Humilitas pœnitentiæ Exẽplo Naaman septies in Iordane loti commendata.

m Ibid.

n Iob 40.

Humilitatis defectu cæteræ virtutes nihil æstimantur.

Opera bona carnalium & sæcularium vix ab omni peccato pura.

6. Audi saltem, ô Naaman, domesticos tuos, humiles amicos, fideles consiliarios. Naaman recedebat indignans aduersum virum Dei, quem consuluerat: at illi D *Pater*, inquiunt[o], *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras.* Fidele prorsus verbum, rationis & sapientiæ plenum: quippe suggestio est rationalium hominis sensuum, quos sibi Deus testes retinuit aduersus hominem ipsum. *Pater*, inquiunt, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras.* Non credere namque Prophetæ, Dei est iniuria: non tentare omnia pro salute, odium est sui ipsius & inuidia. Quid enim grande esse potest in præcepto, vbi salus est in promisso? Quantò magis non debet videri grande vel difficile, discere ab Iesu, quia mitis est & humilis corde: cùm in eo pariter inueniatur & requies animæ, & præsens medela spiritalis lepræ pignusque salutis æternæ? Tandem A vix ægreque obtinetur à superbo peccatore, vt descendat in Iordanem & lauet: si tamen septies lauat, totumque se plenius & sæpius mergat, non moratur effectus salutis fidem prophetico facere sermoni. Sed proh dolor, quanta est huius nostri miseria temporis, quia non solùm diuites, sed etiam pauperes leprosi, ita inueniuntur delicati, vt vix vsque ad talos salubribus intingi patiantur aquis: aut si semel lauerint, mox sibi plenissimè videantur mundati.

o 4. Reg. 5. d. e

In causa salutis audienda aliorum consilia.

Odium sui ipsius est non omnia pro salute tentare.

Nil graue videri debet, vnde salus expectari potest.

At Helisæus non ita sentit, sed signanter exprimit, *septies lauare, & mundaberis.* Sciebat nimirum humilitatem Christi, quæ nobis imitanda est, si perfectè volumus mundari, septemplicis esse virtutis; *Prima* virtus, quòd quum diues esset, pauper factus est. *Secunda*, quòd paupertati extremitatem adiiciens, in præsepi positus est. *Tertia*, quòd Matri subditus. *Quarta*, quòd serui manibus hodie inclinauit caput. *Quinta*, quòd discipulum furem tulit & proditorem. *Sexta*, quòd sic fuit mansuetus ante iniquum iudicem. *Septima*, quòd crucifixoribus tam clemens intercessor fuit apud Patrem. His vestigiis, licet satis à longè, gigantem sequeris, si paupertaB tem diligis; si inter pauperes extremitatem eligis: si monasterii subditus es disciplinæ: si minorem tibi pateris præesse: si falsos fratres æquanimiter tuleris: si mansuetudine vincas cùm iudicaris: si charitatem rependas illis, à quibus iniustè pateris. Hæc humilitas planè sine iniuria vnici baptismi rebaptizat: quia mortem Christi non iterat, sed mortificationem & sepulturam criminum instaurat: & quod in illo baptismo gestum est specie, hîc rursus impletur veritate. Hæc siquidem humilitas cœlos aperit; Spiritum adoptionis restituit: Pater agnoscit filium, quippe in innocentia & puritate pueri regeneratum reformatum. Vnde benè de Naaman Scriptura meminit[p], quia *restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli*: significant, vt arbitror, quia eorum, qui sic se abluunt, non solùm corda recuperant innocentiam paruulorum: sed etiam corpora secundùm quendam modum puerilem sibi vendicant puritatem, mortificatione membrorum. Sic enim de quodam Sanctorum legitur †, quia in membris defuncti, septennis quodammodo pueri gratia videbatur. 7.

Humilitas Christi septuplex.

Quomodò illam imitari liceat.

Humilitatis & Baptismatis analogia.

p 4. Reg. 5. d

† de S. Martino apud Sulpicium.

8. C Ecce, Fratres, qui primi gratiam baptismatis tantis voluptatum sordibus amisimus, ecce verum Iordanem, descensum scilicet humilium, vbi piè rebaptizari licet, inuenimus. Hoc tantum est, vt non parcamus nobis de die in diem descendere profundiùs, & pleniùs mergi, Christoque penitus consepeliri. Ipsi gratias agamus, cuius humilitas & formam baptismi hodie dedicauit credentibus, & gratiam non disparem reseruauit pœnitentibus. Ipsi gloria per omnia sæcula sæculorum.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. Mariæ Virg.

SERMO I.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucæ 12.

Sint lumbi nostri præcincti, vt Purificationem Mariæ æmulemur: sint lucernæ ardentes in manibus, vt gaudium Simeonis lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis repræsentemus. Simus videlicet D casti corpore, & mundi corde: & Purificationem Mariæ expressimus. Simus ardentes deuotione, & lucentes opere, & cum Simeone Christum portamus in manibus. Maria tamen non tam purificata fuit, quàm mysterium Purificationis commendauit; implendo legalem; significando spiritalem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoque permansit: imò quę ipso conceptu planè purificata fuit, si quid fortè minus antè puritatis habuisset? Quid, inquã, mundandum habuit conceptus ille, qui solus *potest facere mundum de immundo conceptum semine*[a]: qui fontem, quo immundus purificetur, edidit; fontem domus Dauid, qui hodieque patet, indefesseque scatet in ablutio- 2.

B. Virg. purificationem impleuit legalem, vt cõmendaret spiritualem.

a Iob. 14. a

b Zach. 13. a nem peccatoris, & menstruatæ b? Suscepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, vt simul A & obedientissimæ humilitatis virtutem, & Euangelicę purificationis insinuaret veritatem. Vbi nunc ille, qui tã fallaciter quàm contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quòd sanctus sit: nunquid sicut Sanctarum sanctissima, quæ Sanctum sanctorum peperit, Maria? Vtinam Fratres mei, vtinam nos illam haberemus humilitatem in peccatis nostris, quam verè habuerunt Sancti in virtutibus suis.

Humilis obedientia B. Virg. imitanda.

Sancti humiliores in virtutibus suis, quam nos in vitiis nostris.

2\. Sed omittamus nunc istud, vt quod cœpimus prosequamur. Ac primò quidem de illa spirituali Purificatione, quam Maria offerens pro se & pro filio par turturũ, aut duos pullos columbarum, nobis commẽdauit, prosequeremur: nisi quòd Patres nostri, sicut vobis notissimum est, omnia ad liquidum prosecuti sunt: & quomodo turtur ad castitatem carnis, columba ad simplicitatẽ mentis pertineat, diligenter disseruerunt: nec illud quidem prætereuntes, quid sit sacrificium de vno turture, vel pullo columbino, quid holocaustum de altero. Hoc vnum tamen adiicimus quòd, quantò notiora nobis sunt B mysteria, tantò districtiùs & iustius eorum à nobis exiguntur opera quia *scienti bonum & non facienti, peccatum est illi* b: & *seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis* c.

b Iac. 4. d
c Luc. 12. f

3\. Relinquentes igitur quod tractatum est sufficienter, illud potius tractemus, si placet, quid hęc pulcherrima Ecclesiæ consuetudo luminarium hodie gestandorum, aut factam repræsentet, aut faciendum demonstret. Quanquam ne id puto quidem vobis incognitum; etiam si nunquam sit auditum. Quis enim hodie cereum ardentem gestans in manibus, non statim illius senis recordetur, qui hodie Iesum accipiens in vlnas suas, Verbum in carne tanquam lumen in cera, ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhibebit? Erat profectò & ipse lucerna ardens & lucens, testimonium perhibẽs de lumine, qui ad hoc ipsum in Spiritu quo plenus erat, venit in templum, vt susciperet misericordiam tuã Deus in medio templi tui, prædicaret ipsam esse misericordiã, & lumen populi tui. Verè tu senex serene lumen portabas, non modò manibus, sed & sensibus: qui sic eras illuminatus, vt cum tantò antè futuram illuminationem C gentium tam clarè videres, etiam tunc inter tenebras Iudaicæ infidelitatis, hodierna claritas fidei nostræ tibi coruscaret. Lætare iam senior iuste: vide iam quod prævidebas: discussæ sunt mundi tenebræ, ambulant Gentes in lumine tuo; plena est omnis terra gloria luminis illius, quod occultum in sinu fouebas, imò quo sensus tuos refouebas. O fomes amoris, ipse amor suauis & dulcis ad refocillandam animam. Prorsus suauis & dulcis, etiam cùm crucias & affligis: cruciatus feliciter delectans: sicut ignis salubriter refrigerans. Ignis iste, Fratres, si in sinu absconditus fuerit, vestimenta non comburit: imò illum ignem extinguit, qui in sinu celatus, nõ modò vestimentum adurit, sed & quod vestitum est, depascit, id est, corpus & animam pariter consumit. *Deus* inquit d, *noster ignis consumens est*, sed ignem consumentem: nam animam refouet, demulcet mentem, spiritũ recreat, reparatque pereuntem. Huius ignis vim Simeõ non ignorabat, qui in sinu suo cum portare gaudebat, pectusque senile fotu illius calefaciebat. Quantò salubrius & suauius ignis iste senem nostrum calefecit, quã regem David Abisag Sunamitis e? nisi fortè Abisag hic D ignis idem fuit, sapientia scilicet, cuius amplexu non solùm recalescunt frigidi, sed etiam reuiuiscunt mortui.

Quid ceremonia luminum hoc festo vsitata significet.

Simeonis iusti senis elogium.

Ignis diuini amoris noxiũ in nob. ignẽ absumit.

d Deut. 4. d

e 3. Reg. 1. a

4\. Amplectere igitur, ô beate senex, sapientiam Dei, & recalescant atque recanescant quasi de nouo sensus tui: astringe vberibus tuis misericordiam Dei, & erit senectus tua in misericordia vberi. *Inter vbera*, inquit f, *mea commorabitur*: etiam cùm reddam illum matri suæ, manebit apud me. Et cùm inter materna vbera continebitur, nihilominus inter vbera mea commorabitur, & vbera quoque mea inebriabit misericordia vberi: etsi

f Cant. 1. d

non quantum vbera matris. Illa quippe sicut singulariter mater est summæ misericordiæ, sic excellenter habet vbera vberis misericordiæ. Gratulor & gratificor tibi gratia plena, quæ misericordiam genuisti; quam suscepi: Cereum præparasti, quem accepi. Tu ceram ministrasti suscepto lumini, Virgo virginum Virgini: dum incorrupta mater incorruptibile Verbum, incorrupta carne vestisti. Eia Fratres mei, ecce ardet cereus in manibus Simeonis: accendite & vos cereos vestros de illius mutatione luminis, lucernas dico quas Dominus iubet g esse in manibus vestris. Accedite ad eum, & illuminamini, vt non tam lucernas feratis quàm ipsi lucernæ sitis, lucentes intus & foris, vobis & proximis.

Christus cereo comparatur.

Ab eo lucernæ nostræ accendendæ.
g Luc. 12. e

5\. Sit ergò lucerna in corde, sit in manu, sit in ore. Lucerna in corde, luceat vobis: lucerna in manu vel ore, luceat proximis: lucerna in corde, est pietas fidei: lucerna in manu, exemplum operis: lucerna in ore, sermo ędificationis. Non solùm autem coram hominibus lucere nos necesse est per operationem & sermonem: sed & coram Angelis per orationem, coram Deo per intentionem. Lucerna nostra coram Angelis est pura deuotio, cùm in conspectu Angelorum psallimus sapienter, vel oramus ardenter: lucerna coram Deo, simplex intẽtio, vt ei soli placeamus cui nos probauimus. Et ne putemur in his quæ dicimus sensus nostri somnia secuti fuisse, probemus nos potius in omnibus adhæsisse testimoniis Scripturæ. Quòd enim Fides lucerna sit, testatur Salomon loquens de muliere forti h. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*: quod vtique intelligimus, nũ deficiet in tentatione fides eius. Nam & de charitate, quæ nihil aliud est quàm fides operans per dilectionem, apud eũdem legimus Salomonem i: *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quòd opus bonum lucerna sit, lux ipsa veritatis indicat cùm ait k: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Et l *luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

Variæ lucernę mysticæ;
In corde seu pietas fidei.
In manu seu exemplum operis.
In ore, id est sermo ædificans
Lucet coram Angelis, id est pura deuotio.
Lucet coram Deo id est simplex intentio. Ex scriptura hæc illustrantur.
h Prov. 31. b
De lucerna fidei
i Cant. 8. b
De lucerna boni operis
k Luc. 12. c

l Mat. 5. b

6\. Quòd sermo ędificationis lucerna sit, David dicit m: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Et Petrus Apostolus de sermone prophetico, *cui benefacitis*, inquit n, *attendentes, tanquam lucernæ lucenti in obscuro loco.* Declaratio quoque sermonum Dei illuminat, *& intellectum dat paruulis* o: siue cùm sermones Euãgelici declarant vmbram legis, siue cùm ipsi sermones tam Euangelii quàm legis declarantur expositionibus dilucidis, qui non intelligentibus paruulis videbantur obscuri: & in lumine dicimus, quod dictum erat nobis in tenebris. Ideo Philippus in figura cuiuslibet Ecclesiastici doctoris dictus est os lampadis, eò quòd de ore ipsius ad illuminationem audientium coruscaret ignitum eloquium Domini. Sermonem autem Dei intelligo, Fratres mei, quicquid spiritus eius dignatione sua loquitur in vobis, omnem vtique sermonem qui bonus est ad ædificationem fidei, in prouocationem charitatis. *Si quis* ergo vestrûm *loquitur, quasi sermones Dei* p: vt etiam in priuatis colloquiis omnis sermo malus non procedat de ore vestro; sed si quis est ad ædificationem fidei, vt gratiam det audienti: vt qui audierit, dicat gratias agens tibi: Benedictus sermo oris tui, quia *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis* q. De oratione autem quòd & ipsa lucerna sit, maximè si diuinitus sit illuminata, ex eo colligimus quod Salomon D ait r: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.* Lumen namque quod nobis orantibus, vel psallentibus desuper aperitur, spiraculum vitæ est, in quod suauiter respiramus. Huius lucernę videtur Iob recordari, cùm in mœrore tentationis recolens cum suspirio lætitiam præteritę consolationis, ait s: *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna eius super caput meũ, & ad lumen eius ambulabam in tenebris?* Cęterum quòd lucerna hęc dicitur inuestigare omnia secreta ventris, id est mentis: non illud esse putãdum est, quòd Dominus comminatur se scrutaturum in

De lucerna ædificationis sermonis
m Psal. 118. o
n 2. Pet. 1. d
o Psal. 118. r

Sermo Euangelici prædicatoris ad illuminandũ idoneus sit oportet.

p 1. Pet. 4. c

q Psal. 118. n
De lucerna Orationis.

r Prov. 20. d

s Iob. 29. a

Sophon. 1. c. lucernis[t]: cùm istud gratiæ sit illuminantis, illud iudicii
exquirentis. Nam & aliter inuestigat secreta ventris po- A
De lucerna intentionis. tio medici, aliter gladius carnificis. Iam verò de inten-
tionee, quòd & ipsa dicatur lucerna, nemo est qui am-
a Matth. 6. c bigat, si tamen Euangelium illud intelligat u: *Lucerna
corporis tui est oculus tuus.*

7. Vt igitur tot lucernas vobis, Fratres, illuminetis, acce-
dite ad fontem luminis, & illuminamini, Iesum dico, qui
lucet in manibus Simeonis: vt scilicet fidem illuminet;
opus illustret; sermonem homini subministret, orationem
inflammet; intentionem purget, vt siue opere, siue ser-
mone vel oratione quæratis placere coram eo in lumine
viuentiũ, qui scrutari habet Hierusalem in lucernis suis[x],
x Soph. n. 1. c & examinare etiam lumen nostrum. His omnibus accen-
sis, ô fili lucis, iam non ambulabis in tenebris, nec timen-
y Prou. 20 c * da tibi erit sententia maledicti y, *Qui maledixerit patri,
vel matri, extinguetur lucerna eius in tenebris*; id est, deficiet
consolatio huius lucis, irruentibus vndique hinc exterio-
ribus, inde interioribus tenebris. Tibi enim cui tot in-
terius ardent lucernæ, cùm extincta fuerit lucerna huius
z Iob. 11. d vitæ, orietur lux inextinguibilis vitæ, & quasi fulgor
a Isa. 58. e meridianus consurget tibi ad vesperum: *& cum te consum-
ptum putaueris, orieris vt lucifer*[z], *& tenebræ tuæ erunt sicut
meridies*[a]. Non tamen erit tibi sol amplius ad lucendum
per diem, aut splendor lunæ illuminabit te: sed Dominus
erit tibi in lucem sempiternam, quia Agnus lucerna est
nouæ Hierusalem, cui benedictio & charitas in sæcula
sæculorum. Amen.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. Mariæ Virg.

Sermo. II.

1. Sicut ad diem natiuitatis, id est, aduentus Dominici,
pertinuit illa gratiarum actio & vox laudis: *benedictus
a Psal. 117 d qui venit in nomine Domini*[a], & ad diem apparitionis, id
est, nostræ illuminationis illud quod sequitur, *Deus Do-
* vulg. legit minus & illuxit nobis*: sic etiam quod subsequitur. *Con-
in condensis. stituite diem solennem in confrequentationibus † vsque ad
cornu altaris*; non absurdè, vt arbitror, pertinere dice-
tur ad hunc diem, nobis vtique celebrem, frequentia
solenni: diem scilicet Dominicæ præsentationis, quan- C
Ibidem. do à Matre solenniter ad Altare præsentatus est Patri.
Nam & in eo quòd adiungitur: *Deus meus es tu & confi-
tebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te: confitebor tibi
quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem*: quid
tam conuenienter accipimus quàm fidem & confessio-
nem Simeonis & Annæ, *quæ & ipsa hora superueniens
confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui ex-
b Luc. 2. f pectabant consolationem Israel* b? Benè ergò cithatista no-
ster monebat læiari Hierusalem & conuentum facere
c Psal. 117 d in die tam solenni, *Constituite*, inquiens[c], *diem solennem
in confrequentationibus, vsque ad cornu altaris.* Non me-
diocris aut parum solennis illa frequentia fuit, cùm inde
venit Iesus & Maria cum turba parentum inducentium
d Luc. 2. d puerum, *vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo* d,
inde occurrit Simeon & Anna cum turba expectantium
consolationem Israel, quibus testificati sunt de eo.

2. Non crediderim ego de hac solennitate quæ tam pi-
um, tam lætum conuentum habuit, illam fuisse Prophe-
e Thren. 1. a tæ querelam lachrymabilem[e]: *Viæ Sion lugent, quia non* D
est qui veniat ad solennitatem: nisi fortè arguat paucos
venisse de tanto populo qui erat in omni Iudæa & Hie-
rusalem. Ad comparationem siquidem tantæ multitu-
dinis pauci venerunt, & de ipsis paucis paucissimi, vt ar-
bitror, eum receperunt, cùm præsentem viderent diu
expectatum, sicut voce Patris per Malachiam fuerat
f Malac. 3. a repromissum. *Ecce*, inquit[f], *veniet ad templum suum Do-
minator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem
vos vultis.* O Iudæi adest ecce Dominator quẽ vos quæ-
ritis, cur offerentem se vobis non recipitis? Quæritis &
non quæritis. Sed si quæritis, quærite: conuertimini &
g Esa. 21. venite g. Quæritis qui redimat de manu hominum, non
quæritis, qui redimat de manu dæmonum. Quæritis qui Iudæorũ peruersitas Messiam desiderãtium & præsentem repudiantium.
A eruat de seruitute Romanorum, non quæritis qui eruat
de captiuitate vitiorum. Si verè vtique liberatorem quæ-
ritis, quærite liberatorem animarum vestrarum, qui
saluum faciat populum suum à peccatis eorum. Si quæ-
ritis sublimem, quærite prius humilem, quoniam, vt ait
Daniel h *humillimum hominem constituet Deus super eum* h Dan. 4. c
in regnum. Si quæritis dominatorem potentiæ, quære-
te prius doctorem iustitiæ, quia iustitia firmabitur thro-
nus eius[i], & iustitia & iudicium præparatio sedes eius[k]. i Prou. 25. a
Quia enim perfectè non quæritis, ideò nec præsentem k Ps. 88. c
inuenitis, sicut de vobis ipse prædixit[l]. Quærent me l Ioan. 7 c
mali, & non inuenient me, quia oderunt me: Quærent
absentem, nec inuenient etiam præsentem, quia ode-
runt lucem mala eorum opera arguentem, cùm sapien-
tia non nisi per dilectionem possit quæri, nedum inue-
niri. Simeon namque, quia pio & fideli quærebat desi-
derio, quæsitum inuenit, & inuentum agnouit sine al-
terius iudicio, sine humano scilicet testimonio. Nam Christus à quibus inueniatur quæsitus.
Spiritus est qui testificatur, quoniam CHRISTVS est
veritas[m]: virtus vtique quæ de ipso procedit, vnctio do-
cens de omnibus, quæ de illo singulariter secundum no-
men suum vnctio, multipliciter profluit. m 1. Ioan. 5. b

Quid autem putamus fratres mei, vnctus iste, qui vn- 3.
git etiam quos non tangit, quomodo candidum & san-
ctum pectus senis nostri perunxerit, cùm suscipiens eum
in vlnas suas, astringeret eum vberibus suis, & gestiret Christus vnctioni seu vnguento comparatur.
includere si posset in intimis cordis sui? Quid, inquam,
putamus ille suauis & mitis, qualem insinuabat sespsum
castissimo sinui praesens, qualis illabebatur medullis,
quàm delectabilem & salubrem, imò quàm omnino in-
effabilem se implicabat ossibus, inspirabat sensibus?
Prorsus liquescebat vt ꝺtus in vnctionem, quasi ad ignẽ
resolutus ad amplectentis amorem: vt nimirum doce-
ret vnctio quod dicit lectio, sed non discit nisi dilectio.
Quomodo enim legis? *Vnguentum*, inquit[n], *exinanitum* * n Cant. 1. a
nomen tuum. Hoc siquidem vnguentum exinanitur cũ * vulg. effusum.
à quadam duritia sui resoluitur, non vt perffluat sub-
stantia illius, sed vt fluant aromata illius, vt quasi nihil
habens solidi sentiri possit, teneri non possit. Aut certè
magis anima Senis liquescebat in amplexu huius vncti,
vel vnguenti: vt diceret *anima mea liquefacta est*, vt di-
lectus meus infusus est mihi. Infusio itaque vnctionis, Simeonis anima quomodo hoc vnguento vncta & liquefacta.
C testimonium est vncti. Hæc Seni testabatur de puero,
Simeoni de Christo, tanquam spiritus veritatis & chari-
tatis: veritate docens, charitate vngens, & accendens,
& omnia interiora gelidi Senis ponens, quasi cùm vn-
guenta bulliunt. Motus bullientium vnguentorum,
æstus desideriorum: sonus eorum, iubilus affectuum
pariter dicentium, (si tamen aliquid exprimere valen-
tiũ), *Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, &
exaltabo te* o. *Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam
plebis tuæ Israel* p annuntians te. Confitebor inquam ti- o Isa. 35.
bi, quoniam exaudisti me, quotidie cum lachrymis di- p Luc. 2. e
centem, *quando consolaberis me?* Exaudisti me & nunc
demum Simeonem, id est, exauditum fecisti me: *quia fa-
ctus es mihi in salutem* q. Iesus mihi factus ex semine Da-
uid secundum carnem, qui Dauid, & omnia fecisti se- q Psal. 117. c
cundum deitatem.

Omnibus quidem generaliter factus es in saluatorem;
sed mihi specialiter factus es in salutem: pectus morbi- 4.
dum perungens, vitalemque resuscitans calorem, ani- Simeonis senis renouatio.
mam refocillans, & oculos illuminans. Defecerat enim
D anima mea in salutare tuum ô Domine, Pater Domini
mei Iesu Christi, *defecerunt oculi mei in eloquium tuum*[r],
dicentes, quando consolaberis me? Factus eram *sicut vter
in pruina*, frigidus corpore, aridus corde, spiritu marci- r Psal. 118. l
dus, & totus desiderio languidus. Sed quia in verbum
tuæ promissionis supersperaui, non visurum scilicet me
mortem, nisi viderem Christum tuum, quod speraui
iam video; quod desideraui teneo, quod concupiui cõ-
plector. Video Deum Saluatorem meum in carne mea,
& salua facta est anima mea. Viderunt oculi mei saluta-
re Dei: & illuminati sunt interiores oculi mei qui lan-
guebant præ inopia. Omninò ad tactum huius pueri,

huius hominis noui, renouata est vt Aquilæ iuuentus mea, sicut paulò ante mihi loquens pollicebar, *Introibo* s Psal. 42. a *ad altare Dei*, vbi Maria Iesum offert patri, [s] *ad Deum qui lætificat senectutem meam*, imo renouabit *iuuentutem meam*.

5. Annæ viduæ commendatio. Nec minore fortassis gaudio exultabat cor Annæ in Domino: quę, vt arbitror, tantò maioris fuit meriti, quantò altioris propositi & sanctioris desiderii, quam illa Anna mater Samuelis: cùm illa cogitaret quæ mundi sunt, quomodo placeret viro, hæc quomodo Deo: illa de throno viri quæreret sobolé, hæc de sinu Patris peteret Saluatorem. Hæc igitur quodam pręsagio gratiæ excellentis quæ in vita eius effloruit, qua etiam gratiam redemptoris agnoscere & prædicare meruit, gratiæ nomen accepit: exemplar veræ viduitatis, speculum sanctitatis, & viuum in emortuo corpore simulacrum totius virtutis. Hæc finem Legis & initium Euangelii sentiens propinquare, ritus Iudaicos Christiana iam cœperat pietate mutare: ieiuniis potius & orationibus seruiens nocte ac die, quàm cibis & potibus & variis baptismatibus, iustitiis carnis non animę. Inde erat quòd benedictione filiorum, quæ in lege magni habebatur, contempta; nomen melius à filiis & filiabus elegerat, & iam per annos octoginta quatuor, lignum esse aridum, lignoque insidere arido, tanquam turtur amissa semel coniuge gaudebat.

6. Senex iustus & vidua sanus par turturũ. Ecce habes par turturum, senem iustum, & viduam annum: vtrunque castum, vtrunque desiderio redemptoris gemebundum: qui vtique semetipsos hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, Domino & pro Domino obtulerunt. Par turturum sanè dico non coniugum, sed coniunctorum, non copula matrimonii, sed sacratioris mysterii: pares nimirum fide, æquales castitate, similes deuotione, consortes prædicatione gratiæ: ambos prouectæ ætatis, ambos perfectæ sanctitatis, qui etiam ante Euangelium, euangelicæ puritatis ac pietatis in vtroque sexo primitias dedicauerunt. Hi duo vario decore virtutum adornauerunt thalamum suum Sion ad suscipiendum Christum regem, non parietes templi sui, sed penetralia cordis sui; secreta cubiculi, vbi t Ioan. 4. c adorare Patrem in spiritu & veritate iubemur [t]: vbi & suscipitur, qui in manu factis se nequaquam habitare u Act. 7. f testatur [u]. In istis itaque suscepit Christum fidelis Sion, in istis gaudens & lætabunda occurrit Deo suo. Alias vix x Esa. 53. c habet vbi reclinet caput suum: & secundum Esaiam [x]: *Appriatus est, & non est qui occurrat.* Sufficit tamen istorum occursus ad omnem solennitatem & lætitiam, eò quòd consummatio abbreuiata inundet iustitiam, & consummata atque abundans iustitia paucorum, facilè compenset infidelitatem multorum.

7. Processio hodierna quam celebris. Mihi omnino celebris est iste conuentus, mihi solennis ista processio, omnique festiua gaudio, vbi hinc aduenit puer & puerpera, Iesus & Maria: inde occurrit Senex & Vidua, Simeon & Anna: hinc Dominus & Domina, inde seruus & ancilla: hinc mediator & mediatrix, inde tam fideles tamque deuoti ipsorum testes & ministri. In hoc denique conuentu *misericordia & veritas obuiauerunt sibi*: misericordia scilicet redẽptionis in Iesu, veritas confessionis in senibus. In hoc occursu, *iustitia & pax osculatæ sunt*: dum iustitia piorum senum, & pax reconciliantis mundum inuicem in osculo affectuũ & gaudio Spiritus consociatæ sunt. Rectè ergo quod hac nocte cantauimus, ad lætitiam huius diei pertinere y Esa. 66. c credimus, saluo duntaxat alio profundiore intellectu [y]. *Lætare Hierusalem: & diem festum agite omnes qui diligitis eam.* Ac si diceretur: Lætata est Nazareth de annunciatione, Bethleem de natiuitate: Lætare & tu Hierusalem de purificatione, quoniam qui in Nazareth conceptus, & in Bethleem natus est, in Hierusalem est susceptus & prædicatus. *Et idem*, inquit, *festum agite*, siue cõuentum facite, *omnes qui diligitis eam*, scilicet Hierusalem, id est, festiua deuotione conuenite in templum, ad suscipiendum redemptorem, omnes qui expectatis redemptionem Israel.

8. Iam verò, Fratres, si moraliter, sicut mos vester est, ædificari vestra quærit sanctitas, quatuor illas illustres in hac processione consideret personas: quarum vita, non solùm Ecclesias illustrat, sed & cœlos adornat: Iesum loquor & Mariam, Simeonem & Annam. Et vt ab inferioribus ad superiora progrediatur sermo; in Anna, quæ ieiuniis & obsecrationibus seruiebat nocte ac die, ieiunium nobis commendatur & oratio: in Simeone, qui tanto Iesum amplectitur gaudio, pietas & deuotio: in Maria, quæ cùm nihil deberet legi, in hac scilicet parte purificationis, legem nihilominus impleuit, humilitas & obedientia: in Domino autem Iesu, qui factus ex muliere, factus est etiam sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, charitas & misericordia. Nam castitatis sanctimonia, cuius laus, vt comperi, vestram semper puritatem delectat, in omnibus effulsit communiter, licet satis dissimiliter: cùm in senibus fuerit labore continentiæ, in puella munere gratiæ, in puero iure & proprietate naturæ: non pueritiæ recens natæ, sed puritatis innatæ. In ipso non solùm huius virtutis, sed etiam omnium origo & perfectio; ab ipso singularum distributio; per ipsum earum conseruatio; apud ipsum remuneratio. Apud ipsum igitur ambiamus tam virginis Marię, quàm Simeonis & Annæ meritis suffragantibus, vt quod minus habemus virtutis largiatur, quod largitus fuerit tueatur: vt depositũ ipsius, per tutelam ipsius integrum ei reconsignantes, remunerationem consequamur ipsius, Qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Quatuor illustres in hac processione personæ quid nos doceant.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. Mariæ Virg.

SERMO. III.

Senex puerum portabat.

SEnex plenus dierum, puerum antiquum dierum. 1.
Longitudine dierum adimpleuerat Deus senem istũ, vt ostenderet ei salutare suum in vultu nostro; sed adhuc aliorum longitudine dierum adimpleturus erat, vt ostẽderet ei salutare suum in vultu suo. Plenus ergò dierum temporalium portabat antiquum dierum aeternorum, atque spei æternæ pignus fidelissimum tenebat in sinu repositum: quod videlicet dies suos, super dies regis adiiceret puer ille, iuuentutemque eius renouaret vt aquilæ. Quanquam senem quoque istum, sicut Abraham, cùm dicitur, *plenus dierum*, libentius accipiam plenum virtutum quàm temporum, cùm tempora statum nullum habeant, suoque accessu decedentia, hominem potius exhauriant quàm adimpleant. Sed neq; magnum est, imò magis malum est, multis vixisse diebus, si non senueris virtutibus: cùm puer centum annorum moriturus sit, & peccator centum annorum maledicẽdus [a]. Ideo *si annis multis vixerit homo*, vt ait Salomon [b], *& in omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita*. Cæterum ècontrariò *senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt enim sensus hominis & ætas senectutis vita immaculata* [c]. Si hac vtique senectute Simeon non consenuisset, nunquam coronam senum, sapientiam Dei Christum portare meruisset. Si nãque scriptũ est [d]: *Corona dignitatis senectus: quæ in viis iustitiæ reperitur.* Et quæ est illa senectus, quę in viis iustitiæ reperitur, quæ reperienti in coronam aptatur, nisi sapientia Dei Christus? Ipse namque meritò iustorum operum tribuit canos sensus sapientiæ, quam postmodum formabit iustis in coronam gloriæ. Sanctus itaque senex Simeon, vt sanctius senesceret adhuc, senectutem sapientium, siue sapientiam senum factam puerum, in viis iustitiæ, cùm scilicet in spiritu venit in templum reperit, & comperit in veritate: quia senectus erat in lactente, sapientia in infante; virtus in infirmitate; verbum in carne. O infantia, ô senectus: quàm benè vobis pariter conuenit in huius pueri sensibus & moribus, quo vtique nihil innocentius, sed nihil sapientius: nihil iucũdius, sed nihil maturius nihil mitius, sed nihil iustius.

Senectus non annorũ sed morũ commendabilis.

a Esa. 65. d
b Eccle. 11. e
c Sap. 4. b
d Prou. 16. d

Vobis, ô filii hominum, vobis iam tunc ipso suo silentio loquebatur Dei sermo, vt videlicet malitia sitis paruuli: sensibus autem perfecti. Alii siquidem ex vobis columba seducta, non habens cor, simplicitatem non salientes prudentiâ, relinquontur fatui: alii sapientes sunt vt faciant mala benè autem facere nesciunt: & prudentiam non dulcorantes bonitate, efficiuntur acerbi. Prorsus congruum & gratum vtrisque temperamentum atque condimentum puer iste antiquus dierum, in pueritia præferens ingenitam sibi innocentiam, & de antiquitate dierum referens primogenitam omnium sapientiam. Si quis se imperfectum sensibus aut inconditum intelligit moribus, veniat in templum cum Simeone, & puerum quem mater affert Maria, accipiat in manibus; id est, verbum Dei, quod mater offert Ecclesia, complectatur affectibus. Ipsum vtique repositum in sinu sensus ædificabit, mores dulcorabit, totum statum mentis & ordinem vitæ grata & salubri suauitate temperabit. Non solùm autem mater Ecclesia in audiendo, sed multò magis mater gratia in orando, puerum tibi dabit amplectendum, si modò frequens & deuotus orator venias in templum, vt dicas quotidie Deo[d]. *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Quem enim Ecclesia prædicans offert auribus, gratia illuminans infert cordibus, eò vtique præsentiorem & suauiorem, quo nudam veritatem puris tradidit sensibus. Veritatem quippe quæ est Christus, Maria vestitam carne, Ecclesia vestitam sermone, gratia nudam tradit amplectendam Spiritus infusione: quanquam hoc ipsum diuerso modo fiat, pro captu scilicet suscipientis animæ, siue pro arbitrato dispensantis misericordiæ. Licet enim ipsam summæ veritatis faciem non facilè videamus, magnusque habeatur, cui vel per speculum, & in ænigmate eam intueri datur: quiddam tamen ipsiua, cùm Spiritus nobis illabitur, veluti nudum sentimus, sensusque noster in amorem ipsius veluti ad nudum confricatur. Tunc prorsus ea sententia dicere possumus, & cantare lætabundi e: *Suscepimus Deus misericordiam tuam; in medio templi tui.* Beatus qui vt dignius & crebrius eam suscipiat, congruum ei locum in cordis penetralibus parat. Beata Sion illa, quæ thalamum suum diligenter ac decenter adornat, vt cum digno ac placito Christum regem honore suscipiat.

Simplicitatis & prudentiæ temperamentum à Christo discendum.

Ecclesia prædicans Verbū offert auribus, gratia illuminans infert cordibus.

d Psal. 5 b

e Psal. 47. b

A

B

C

3\. O sancta Sion, anima speculans æterna, considera quæ sit illa maiestas suscipienda; cogita qua cura ac diligentia te illi præparare locum oporteat. Si quis dixerit, & ad hæc quis idoneus? quis esse potest magnificentię & gloriæ tanti regis congruus ornatus? frustra, inquit, Dauid, paupertatem quispiam causetur, *In pace factus est locus eius* f, Et *iustitia & iudicium præparatio sedis eius* g. Simeon vtique quia huiusmodi palliis thalamum adornauit, ideò Christum cum multa suscipere gratia dignus fuit. Vis videre quia in pace inuenerat locum Domino, quia sedem præparauerat ei in iustitia & iudicio? *Homo*, inquit h, *erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus.* In pace erat domus Simeonis, qui habitabat in Hierusalem: id est, in visione & amore pacis, de qua scilicet Hierusalem audierat Dauid promittentem i, *Non commouebitur in æternum qui habitat in Hierusalem.* Et vt noueris, quia pacis habitator & amator erat, pacemque imperturbabilem illius stabilis & æternæ Hierusalem præ omnibus requirebat, cùm pacem Dei & hominum Iesum, qui pacem super pacem dare veniebat, sinu recepit: hæc prima vox de pectore senis iamdudum pacem meditantis erupit; *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Postquam viderunt oculi mei salutare tuum, qui est pax nostra faciens vtraque vnum, non solùm Iudæum & Gentilem, sed etiam Deum & hominem; & in homine spiritum & carnem: iam hoc solùm superest desideriis serui tui, vt *in pace in id ipsum dormiam & requiescam* l. & pax Dei quæ exuperat omnem sensum, me totum in illius summę & simplicis vnitatis absorbeat consensum. Venit pax quam sustinui, requiescat in pace, qui pacem quæsiuit, & quæ pacis sunt sectari semper studuit, Sic quippe Esaias ait m: *Veniat pax, requiescat in cubili suo, quia ambulauit in directione sua.* In pace vtique Simeon strauerat cubile suum, qui omnibus aliis curis eiectis solùm in corde meditabatur Iesum, vbi & reclinauit susceptum. In directione quoque sua ambulauerat, qui iustus & timoratus erat, & expectans consolationem Israel, aduenranti quotidie desideriis occurrebat.

Qui optimus modus seu ornatus suscipiendi Regem cœlorum.

f Psal. 75. a

g Ps. 88 c

h Luc. 2. c

i Psal. 124 a

k Luc. 2 d

Christus pax nostra faciens vtraque vnū.

l Ps. 4 b

m Esa. 57.

D

4\. In eo igitur quod iustus dicitur & timoratus, iustitiā & iudicium intellige, quo sedes Dei præparatur. Et iustitia quidem suo nomine demonstratur: iudicium verò timoris nomine, vel timor nomine iudicii ideo rectè accipi posse putatur, quia scilicet timor non solùm nascitur de futuri consideratione iudicii, sed etiam operatur nunc in nobis quandam illius formam & executionem iudicii. Qui enim prohibemur n iudicare ante tempus de proximis, iubemur de nobis o: vt dum nosmetipsos diiudicamus, à Domino non iudicemur. Porrò timor iste sanctior est, cùm iustitiam sequitur, quàm cùm præcedit: quia qui præcedens ad iustitiam initiat, sequēs eandem consummat & conseruat: dum scilicet de iustitia præsumere non sinit, sed omnia opera sua hominem vereri facit, vt post iudicium sui adhuc de subtiliore iudicio suspectus sit, dicatque sibi p: *Qui iudicat me Dominus est*, qui cùm acceperit tempus, etiam iustitias iudicabit. Qui sine timore isto est, non poterit iustificari, vt scriptura testatur q: quia quantumcunque se iustis exercitet operibus, alieni comedunt robur eius, dum suam volens iustitiam constituere, iustitiæ Dei non est subiectus.

n 1. Cor. 4. a

o 1. Cor. 11. g

Timor iustitiæ comes.

p 1. Cor. 4. a

q Eccli. 1. e

5\. Vigilanter itaque Euangelium perfectam commendans Simeonis iustitiam, non ait, timoratus & iustus, ne timorem qui est initium iustitiæ intelligeremus: sed ait *iustus & timoratus*, vt timorem qui iustitiæ per omnes gradus comes indiuiduus ipsam promouet & tuetur, ipsius exemplo disceremus. Nam neque illud putauerim ociosum, quod non timentem dixit, sed *timoratum*: non nouum, non horarium, aut perfunctorium volens intelligi timorem illum, sed qui vtique versus esset in habitum, qui altius hominis imbibisset affectum, possideret sensum, modestia & grauitate sermonem ornaret & vultum, circumspectione moderaretur actum, totum denique interioris & exterioris hominis componeret statum. Neque enim vanis animum consolationibus resoluebat, qui consolationem Israel expectabat. Quod & ipsum ad suæ cumulum adiecerat iustitiæ, vt sollicitus non pro sua tantùm, sed etiam pro populi consolatione, longa suspensus maneret expectatione.

Simeonis præclara virtus.

6\. Denique vt manifestius audias quàm precioso ac vero nitore virtutum non fuco colorum adornauerat thalamum suum illa Sion, id est Simeon, *Spiritus sanctus*, inquit, *erat in eo.* Quid huic ornatui Sion illa terrena comparare poterat, in omni illa multifaria thalami, id est, tēpli sui ambitione & gloria? Si faciem templi coronis ornasset aureis, quid aurum nisi lutum etiam sine comparatione virtutis? Puto quia nec Salomon in omni gloria sua ornatus est sicut Simeon: cùm ille sapientiam qua florebat in senectute perdiderit, iste susceperit. Te tamē, ô infidelis Sion, thalamus tuus arguit, quòd cùm satis tibi prædictum esset r, *Ecce veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis*: adorna thalamum tuum Sion, *induere vestimentis gloriæ tuæ ciuitas Sancti*, tu tamen nihil prorsus ad quotidianum cultum templi in aduentu ipsius addidisti, non vela, non coronas, non lucernas plures, aut victimas, non alios Psalmos, aut cantica, omnino inhonoratū, insaloratum remittis, qui te saluare venerat. Ideo vtique tuus iste thalamus, domus gloriæ tuæ deserta tibi relinquetur, imò non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Tibi enim Domine templum augustius, amplius & perfectius, scilicet Ecclesiam magnam à solis ortu vsque ad occasum fides, ædificabit gentium s, *& secundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ*, vnde etiam hodie laudes audiuimus, gloriam iusti, voces scilicet laudantium & dicentium t, *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio*

Simeon ornatior quam Salomon.

r Malach. 3. a

s Psal. 47 b

t Ibid.

templi tui, id est, in communione sancti populi tui. O fratres, suscepistis misericordiam Dei & vos, imò abundantius vos, videte ne in vacuum susceperitis, ne gratiã ingratitudine vacuetis. Gaudeat ergo vestra deuotio; quem Simeon hodie portauit in sinu suo, vos omni die glorificate & portate in corpore vestro, Iesum Christum Dominum nostrum, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

A

DE PVRIFICATIONE B. Mariæ.

SERMO IV.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ. Luc. 2.

1. Scriptura redemptionis nostræ narrans mysteria, sic refert quæ pro nobis historialiter sunt gesta, vt significet quæ moraliter à nobis sunt gerenda. Cum enim hodie beatæ Purificatio Mariæ recensetur, manifestè de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem verò tanti non moueat auctoritas exempli, cùm videamus scilicet, quia illa sanctarum sanctissima quæ nihil purgãdum habuit, purgationis tamen legalis implere mandatum non renuit? O mater immaculata, mater intacta, nonne tuæ tibi conscia es puritatis? quia scilicet integritatem tuam, nec conceptus, nec partus violauit, sed sacrauit? Quare ergo tanquam muliebre aliquid in concipiendo vel pariendo sis passa, sic mundationis, quæ muliebri prouisa est infirmitati, quæris remedia? Sic, inquit, decet nos omnes implere iustitiam [a], vt quæ summæ mater electa sum iustitiæ, speculum quoque sim totius & exemplar iustitiæ. Noui ego superbiam filiorum Euæ, quæ promptior est ad excusandum, quàm ad expurgandum commissa. Necessarium arbitror, vt vitiis originis antiquæ statim in initiis omnia nouæ generationis occurrant exempla. Mater præuaricationis peccauit & excusauit procaciter, mater redemptionis non peccet, & satisfaciat humiliter: vt filii hominum qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem nouitatis trahant humilitatem purgandi.

Purificatio Mariæ nostræ nos admonet purificationis.

B

a Matt. 3. d

Mater Christi humilitate purgare voluit, quod Eua superbiendo deliquit.

2. O filii hominum tempus purgationis aduenit, quando mater summæ puritatis, de cuius purgatione dies festus est nobis, pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis quod debeamus purgari. Satius est, ô fratres & suauius fonte purgari quàm igne. Prorsus qui fonte non fuerint modo purgati, igne habent purgari, si tamẽ purgari meruerint: quando scilicet iudex ipse *quasi ignis conflans sedebit, conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui* [b]. Nunc Christus aqua diluens, tunc ignis consumens. Modò fons patens in ablutionem peccatoris & menstruatæ, tunc flamma feruens & ignis vorans vsque ad medullas animæ. De ardore siquidem irati fontis ille purgatorius ignis exardescet in conspectu eius, & inflammabit in circuitu inimicos eius. *Ascendit*, inquit [c], *fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit.* Inde cadent super eos carbones pœnaliter purgatorii, quibus modò non adhibentur carbones salubriter desolatorii: qualem illum fuisse reor carbonem sublatum de altari, qui Prophetæ labia purgauit [d]. An verò & illi carbones huiusmodi queant intelligi, de quibus cuidam dicitur: *Ecce dati sunt tibi carbones, & sedebis super eos, hi erunt tibi in adiutorium*: vobis relinquo diiudicandum. Illud autem non dubius assero, quia ignis ille quem Dominus Iesus misit in terram, si vehementer (sicut est volũtas mittentis) [e] in nobis arserit, ignis ille purgatorius qui in iudicio purgabit filios Leui, non ligna, non fœnum, non stipulam consumenda reperiet in nobis. Vterque quidem ignis purgatorius, sed satis differenti modo. Iste siquidem purificat vngendo, ille vrendo. Hic refrigerium roris, ibi spiritus iudicii & spiritus ardoris, quo abluet Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem leuabit de medio eius.

Duplex purgatio fontis & ignis.

C

b Malac. 3. a

Christus nunc aqua est diluens, post ignis consumens.

c Psal. 17. a

d Esa. 6. e

e Luc. 12. f

D

Ignis duplex homines purificans, alter vngens, alter vrens.

3. Est quidem & in hoc ipso multa Domini clementia erga filias Sion: sed longe clementius & mitius purificata est illa quam beatam prędicant filiæ Sion, Cui scilicet dictum est [f]: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hæc nempe supernæ virtutis obumbratio, vera fuit purificatio Mariæ, non ista quæ quadam mystica dispensatione tantùm specietenus hodie celebrata est. Hæc planè fuit tota ac vera sanctificatio Matris & Filii, sicut & Angelus exposuit ei. *Ideo*, inquit [g], *& quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Antea namque purificanda erat natura mortalis, vt Deum conciperet, non posteaquam concepisset: cùm concepisse Sanctum sanctorum summa sanctificatio sit; & câ quę Mater ipsius sanctitatis effecta sit, nihil sanctius esse possit. Cùm ergo filię Sion quæ mollius & dissolutius viuunt, & ardorem forsitan experiuntur carnis, meritò purificandæ sint spiritu iudicii & spiritu ardoris: Virgo perpetua, ac singularis quæ sola Spiritus obumbratione Deum concepit, solo purificata est spiritu gratię & refrigerio roris. Omnium sanè purgationum quibus conditio reparatur mortalis hæc beatæ purificatio Virginis mitissima atque felicissima fuit: nam illa filiarũ Sion quæ purgatorio fiet igne iudicii, sicut nouissima sic & seuerissima omnium erit. Nec ista itaque potest esse nobis nisi admirationi, nec illa nisi formidini: quippe qui nec ad istam possumus aspirare, & in illam si sapimus semper formidamus incidere. Omninò si sapimus, semper clamabimus, plus emendatione morum, quàm strepitu verborum [h], *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

f Luc. 1. d

g Ibidem.

Purificatio Virg. Deiparæ quanto dignior & felicior purific. filiarum Sion.

Prior nemini imitabilis, altera omnibus formidabilis.

h Psal. 6. a

4. Necessariè igitur nobis & misericorditer inter vtrumque genus purgationis illud summum ad quod non attingimus, & illud vltimum quod metuimus alia purgationum genera pietas prouidit diuina, sicut tempus & locum pœnitentiæ, sic plurima salutis indulgens remedia. Quæ licet multa ac varia sint, sub quatuor tamen generibus videntur omnia ferè posse comprehendi, ne scilicet indigesta multitudine rerum memoriam confundamus auditoris. Hæc igitur quatuor esse arbitror quibus opportunè & commodè his diebus purgationis nostrę purgari possumus: scilicet contritionem cordis, afflictionem corporis, opera pietatis & fidei, patientiam tribulationis. Ad hunc siquidem modum quatuor inuenies, quibus mundum generaliter purificat Christus, purgationem peccatorum faciens: *aquam* scilicet & *sanguinem*, *spiritum* & *ignem*. Hic est, inquit Ioannes [i], *qui venit per aquam & sanguinem. Hic est qui baptizat in spiritu sancto, & igni. Aqua* baptizauit, pedesque discipulorum lauit, dedicans baptismum quoque lachrymarum, quę de contritione profluunt cordis. *Sanguinem* fudit: vt & nos mortificatione corporis participantes eius passioni, lauemus stolas nostras in sanguine Agni. *Spiritum* dedit: vt charitas Dei ac proximi diffusa in cordibus nostris per Spiritum, multitudinem in nobis operiat peccatorum. Quę si minus perfecta est, vt tot & tanta non sufficiat operire, admouet *ignem* conflator ille, qui purgat filios Leui, & quicquid residuum est rubiginis, ignis excoquit, seu præsentis, seu futuræ tribulationis, vt tandem decantare possint [k], *Transiuimus per ignem & aquã, & eduxisti nos in refrigerium.* Sic nempe & mundus iste prius baptizatus aqua diluuii, postea purgatus igne iudicii, in nouum transibit statum incorruptionis.

Purgationis nostræ quatuor genera.

Christus mundum purificat quatuor modis.

i 1. Ioan. 5. a

Aqua.

Sanguine.

Spiritu.

Igne, id est, tribulatione.

k Psal. 65. e

5. Denique vt teneris atque delicatis geramus aliquatenus morem, si lachrymas non habent, si labores horrent, si nesciunt ferre tribulationem, nunquid & illud excusabunt, quod Salomon commendat, *per misericordiam* inquiens [l], *& fidem purgantur peccata?* Quid misericordia suauius? quid fide iucundius? Hæc oleum est membris, illa lumen oculis. Hęc vngit affectus, illa sensus illuminat dirigitque gressus, vt ad lumen eius ambules in tenebris, vt inuisibilia contempleris, & futuram tuam beatitudinem iam animo præsumptam mediteris. Benè autem dicitur, per *misericordiam & fidem* purgari peccata: quia misericordia de proprio impendens, redimit debita; fides autem etiam gratis sine operibus indulgentiam impetrat. De misericordia nempe dicit Propheta [m], *Iniquitates tuas redime misericordiis pauperum* & Dominus prophetarum [n], *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* De fide autem ait Apostolus:

l Prou. 15. d

Misericordia & fide purgãtur peccata.

m Dan. 4. e

n Luc. 11. e

Fide mundans corda eorum. Et Dominus *Apostolorum*: *Vade*, inquit[o], *fides tua te saluum fecit.* Quanquam in hac Salomonis sententia, possit intelligi non fides qua credimus, sed qua credibiles nos exhibemus, dum fidem Deo & hominibus seruamus: vt quod hic dicitur, *Per misericordiam & fidem purgantur peccata*, & paulò post, *Misericordia & veritate redimitur iniquitas*, eadem sit in diuersitate verborum repetita sententia. Rectè igitur misericordia & veritas seu fides sociata sunt: cùm in omnibus viis nostris nisi misericordia & veritas obuient sibi, plus augeri quàm purgari peccata sit verendum: Vt enim de aliis actionibus interim taceam, & de misericordiis pauperum loquar, quas abundantius nunc fieri temporis huius postulat necessitas, quid in ipsis etiã quibus peccata purganda sunt peccari committitur, si misericordia fide, vel fides misericordia destituatur?

o Mar. 10. a

6. Audiant ergo quibus dispensatio credita est: audiant quibus credita non est: isti scilicet ne sic velint esse fideles, vt misericordiam deserant: illi, ne sic velint esse misericordes, vt fidem lædant. Sunt enim aliqui qui plus volunt esse fideles quàm oportet, & sunt aliqui qui plus volunt esse misericordes quàm eis liceat. Qui ergo cõtra fidem indebitam vsurpant misericordiam, audiant Salomonem dicentem[p]: *Multi homines misericordes vocantur, fidelem autem virum quis inueniet?* Qui autem velut propter fidem negligunt debitam misericordiam, audiant plus quàm Salomonem dicentem[q]: *Quod superest date eleemosynam*: vt saltem abundantia vestra aliorum suppleat inopiam. Multum prorsus pepercit infirmæ & pusillæ nostræ fidei; qui bona communia non ex æquo fratribus partiri, sed ex eo quod superest propriæ necessitati, iussit eleemosynam eis impertiri. Vt enim taceamus de iure naturæ, quæ quicquid parens omnium terra generat omnibus commune terrigenis adiudicat: illis saltem quibus indifferens est germanitas adoptionis, & communis sors hæreditatis, quomodo communis non erit vsus panis quem pater administrat cœlestis? Esto tamen, sit istud ius ordinatæ charitatis quod moderatio Euangelii suas cuique necessitates primùm excepit: quis ille est qui rectè metiatur necessitates proprias; qui inter necessarium & superfluum æquo iudicio discernat? Attendamus nobis, Fratres, ne de mortibus pauperum fratrum nostrorum incipiamus iudicari, si superfluè retinemus aut insumimus nobis vndè vita eorum valeat sustentari. Et quoniam hodierna purificatio purissimæ ac pauperrimæ Virginis, de nostra nos purificatione loqui commonuit, in hoc maximè nostrã constare puritatem nouerimus, si quicquid superfluum est nobis amputemus: vt non solum sanctitate castitatis, sed etiam simplicitate paupertatis aliquatenus æmulemur pauperem Matrem pauperis Christi, cui regnum & imperium, & nunc & per omnia secula seculorum. Amen.

Vtile monitũ de præstandis eleemosynis.

p Pro. 20. a

q Luc. 11. e

Ex superfluo necessitatis propriæ, dandæ eleemosynæ.

NOTA
Sed quis æquus arbiter seu æstimator necessitatis propriæ;

DE PVRIFICATIONE VIRG. Mariæ.

Sermo V.

Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem Christum: quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quem genuit adorauit.

His sermo aliã habebatur inter Opera S. Bernardi.
Ita cant. Eccl. in offic. huius diei.

AD nos, fratres, ad nos loquitur Spiritus sanctus, qui sumus Sion, qui sumus speculantes, qui die ac nocte leuamus oculos nostros ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Adornemus igitur thalamum nostrum, & suscipiamus regem Christum. Ecce, Fratres, Christus in propria veniens, & à suis repulsus, non habet vbi caput reclinet. Præ furibus nostris inter materna brachia vagiens, per Spiritum sanctum quærit hospitium, dicens: *Adorna thalamum tuum Sion.* Emundemus igitur thalamum nostrum, prius expellendo quæ oculos Christi intrando offendere possunt; & sic demum adornemus ea inferendo quibus delectatur & gaudet. Quæ sunt (ait forsitan aliquis vestrum) quæ oculos Christi offendere possunt? Cui dicimus: Nihil ita oculos eius offendit, sicut superbia, quæ Angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiso: quæ est initium omnis peccati[a]: quam hortatur nos Spiritus sanctus vitare dicens[b]: *Quid superbis terra & cinis!* Et alibi[c]: *Omnis caro fœnum, exiccatum est fœnum, & flos eius decidit.* Videamus nunc quid superbia fecit. Angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiso. Meritò hæc oculos Christi offendit, quæ pulcherrimum opus eius in cœlo & in paradiso fœdauit, quæ fecit de Angelo diabolum, & de homine nuper creato iusto, perfidum. Quæ sicut & peccatorum primum & maximum, sic est omnium regina & mater vitiorum.

1.

Nihil ita Deũ offendit sicut superbia.
a Eccli. 10. b
b Ibidem.
c Esa. 40. b

Videndum est igitur & sollicitè considerandum, vt eam mens nostra cum tota prole sua excludat, vt thalamus noster emundatus & ornatus Christum regem qui foris* pulsat, suscipiat. Cum tota, inquam, prole sua, septem scilicet principalibus vitiis. Quæ sunt hæc? Inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. Hæc sunt filiæ superbiæ, quæ matrem suam sequuntur: quæ hospitium quodcunque intrauerint, fœtidum reddunt. Sed quæ nobis cum istis communio? Quis consensus templo Dei cum idolis? Nulla nobis (Deo agimus gratias) cum eis societas, quas exuentes veterem hominem cum actibus suis, gladio veræ confessionis & pœnitentiæ enecauimus. Nihil igitur in nobis vltra possit superbia, quæ de Archangelo diabolum, & de primo homine fecit impium, & Creatori suo rebellem. Nihil habeat in nobis vana gloria, qui à die cõuersionis nostræ, in cruce Domini nostri Iesu Christi cœpimus gloriari cum Apostolo dicentes[d]: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Gloria itaque nostra sit crux Christi quam portamus, & testimonium conscientiæ per crucem Christi purgata. De qua Apostolus ait[e]: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* In qua conscientia gloriari de donis Dei, est Deo gratias agere. Ad quod nos hortatur Apostolus dicens[f]: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*: id est in Domino de puritate conscientiæ suæ glorietur. *Non enim qui seipsum commendat*, &c. Cæterum qui in se gloriatur, & qui sibi placet, stulto homini placet. Qui in alio homine gloriatur, aut laudem in mente ab ore alterius expectat, mercedem operum recipit, ac oleo peccatoris vngit caput suum, audiatque prophetam sibi dicentem[g]: *Maledictus homo, qui ponit spem suam in homine.* Et in die iudicii cum dixerint, *Domine Domine aperi nobis*, audiet[h]: *Amẽ dico vobis, nescio vos.* Hæc vana gloria filia est superbiæ: quæ in quocunque fuerit, inobedientem facit.

2.

* al. fores.

Superbiæ proles.

Religiosi quã à superbia debeant esse alieni.

d Gal. 6. c

e 2 Cor. 1. b

f 1 Cor. 1. d
Non gloriandum in seipso aut in homine.

g Hiere. 17. a

h Mat. 25. a

Rursum post conuersionem, nihil vltra in nobis habeat inuidia, per quam mors intrauit in orbem terrarũ[i]. Diabolus enim inuidit homini ascensum vndè corruerat, & propter hoc tentauit, & in anima occidit. Hæc est illa quæ non magnos, sed paruos semper torquet, dicente sancto Iob[k]: *Paruulum occidit inuidia.* In eo enim quòd aliquis alicui inuidet minorem se ostendit ei cui inuidet. Sic diabolus inuidit primo homini, sic Esau Iacob, & Cain Abel. Hæc inuidia paruulum occidit; quia nisi inferior esset, de bono alterius non doleret. Hac peste nullus moritur, nisi qui terrena hæc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Vndè si qua desiderat, illi inuidet qui penitus ea accepit, vel illi partem habendo quantitatem ei restringit. Hunc paruulum occidit inuidia, quia dum non potest adipisci quod alii inuidet, in odium (inuidiæ filiam) cadit.

3.
Inuidia religiosos dedecet.
i Sap. 2. d
k Iob. 5. a
Non nisi paruulorum est.

Es terrena appetentium.

Rursum, Fratres, post conuersionem nostram ira non habeat in nobis locum, quia, vt ait Dominus in Euangelio, gradatim ducit ad gehennæ puteum, dicens[l]: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit racha*, hoc est, vicem indignationis per iram emiserit, *reus erit concilio*, in quo tractatur qua pœna sit mulctandus. *Qui dixerit fatue*, hoc est tale quid fecerit aut verbo aut verbere, vt inter fratres despiciatur, *reus erit gehennæ ignis*, nisi resipuerit. Hæc est ira quæ stultorum oculos extinguit, sapientium oculos nonnunquã turbat dicẽte Psalmista[m]

4.
Ira à religiosis exulet.
l Mat. 5. c

m Psal. 6. b

Tur-

n Iob. 5. a — Ira duplex: altera ex vitio, altera ex virtute seu zelo rectitudinis.

Turbatus est præ ira oculus meus. Et de ira stulti Iob ait n: *Virum stultum interficit iracundia.* Ecce duas iras videmus, quarum altera nonnunquam turbat oculum, altera semper extinguit. Altera venit ex impatientia, altera ex zelo rectitudinis. Altera venit ex vitio, altera ex virtute. De altera quæ venit ex virtute Psalmista ait o: *Irascimini, & nolite peccare.* Quasi dicat: Crudeles estote in vitium, mites in fratrem, considerantes vosmetipsos, ne & vos tentemini. De altera quæ venit ex vitio, ait Apostolus p: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, id est, Christus qui est sol iustitiæ, mentem vestram irascentem non deserat, qui cum ira nunquam habitat. Irâ, quæ venit ex zelo rectitudinis, debemus irasci prius nostris erratibus, & post erratibus proximorum: quæ melior est risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur proximus q. Quæ debet tamen subesse rationi, ne sit immoderata, sed in vltione peccati tempus & modum consideret. Hæc sapientes interdum turbat. Ira per vitium stulto accedit, dum in rixas & in contumeliam linguam relaxat.

o Psal. 4. a
p Ephes. 4. e
q Eccles. 7. a

5. Tristitia vitiosa.

Rursum, Fratres, post conuersionem nostram muniendus est thalamus cordis nostri, ne tristitia rediens introeat, illam dico quæ mortem operatur, quæ de amissione rerum temporalium venit. Hæc est illa quæ prauas cogitationes generat, murmurosum monachum reddit, quæ fastidium parit, & tenentem aratrum Dei cum vxore Loth retrò respicere compellit. Sine dolore namque non potest amittere, quod cum inordinato amore possedit. Hanc itaque tristitiam quæ mortem operatur excludamus: & intromittamus eam quæ venit de memoria peccatorum, & de peregrinatione nostra, dicamusque cum Psalmista r: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Hæc est tristitia quæ vitam operatur, de qua ait Apostolus s: *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Hæc est illa de qua Dominus ad discipulos dicit t: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Altera parit mortem, parit animi rancorem.

Tristitia vitiosa. 1c
r Psal. 119. a
s 2. Cor. 6 b
t Ioan. 16. c

6. Auaritia religiosis detestanda.

Rursum, Fratres, post conuersionem muniamus thalamum nostrum, ne auaritia, quæ est radix omnium malorum, rediens introeat, nosque ab vnius Dei cultura abstrahat, idolorum cultores faciat. De qua inter cætera sic ait Apostolus ad discipulos suos u: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.* Ecce auaritiam idololatriæ comparat: & meritò: quia sicut vni Deo idololatra nititur auferre gloriam, ne solus habeat nomen deitatis: ita auarus in Dei res se extendit, vt solus vsurpet quæ Deus omnipotens in vsum plurimorũ fecit. Vtraq; Deo inimica, quia negat Deo, quæ sunt eius. Est & auaritia non solum amor congregandæ pecuniæ aut conseruandæ, sed ambitio prælationis, cùm nititur homo homini præesse. Hæc, vt verum dicam etiam pauperes (qui semel pro Christo reliquerunt sua) in tantum vexat, vt cõtra ius & fas, & propositum suum, non tantùm velint, sed etiã studeant fratrib. & conseruis præesse. Quod si Abbas aut Prior eorum voto non consenserit, irascuntur, obloquũtur, eosq; aut inuidos, aut sibi maleuolos (qui se nõ prouehunt) clamant. Hæc est auaritia quæ memoriam mandatorum Dei turbat, dicente Psalmista Domino x: *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam*, quæ proditionis est mater quæ Iudam Dei discipulum primum ad mandatorum Dei obliuionem, de obliuione ad proditionem, de proditione traxit ad laqueum.

u Colos. 3. a
Auaritia est idololatria.
Auaritia seu ambitio prælationis.
x Psal. 118. e

7. Gula religiosis cauenda.

Rursum, Fratres, post conuersionem nostram muniamus thalamum cordis, ne gula rediens introeat, quæ & Adam innocentiæ veste, & Esau priuauit primogeniti dignitate. Hæc est illa pestis quæ patres nostros in deserto ingratos beneficiis Dei fecit, quæ compulit eos murmurare contra Deum, & dicere y: *Vtinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus allia, cæpe, & pepones.* Hæc est illa funesta pestis quæ eos ad blasphemiam duxit, quasi non esset alia vita post istã, cùm dicebãt z: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, id est in futuro. Quasi dicerent: Hoc solum habemus quod comedimus, nihil in futuro post hanc vitam nos habituros speramus. Hanc pestem cum homine perituram pronunciat Apostolus dicens a: *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & hanc destruet.* Hæc pestis tripertita est: quia aut ante horam canonicã, aut aliud quàm licet, aut plus quàm necesse est facit comedere: & carnis curam in concupiscentiis nititur facere. De qua nascitur inepta lætitia: sicut de populo Israel dicitur: b *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*

y Exod. 16. a Num. 11. a & 14. a
z Esa. 22. d
a 1. Cor. 6. c
b Exod. 32. b

8. Luxuria religiosis abominabilis.

Rursum, Fratres, post cõuersionem nostram muniamus thalamũ cordis nostri, ne luxuria rediẽs introitum inueniat: quæ pestilentia rediens est peior quàm antè fuerat. Nunquã enim sola redit, sed sicut Dominus ait in Euãgelio c, *Assumit septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Hæc est pestis illa quæ corpus Christi dimembrat, quæ de mẽbris Christi facit mẽbra diaboli. Nã qui adhæret alicui personæ causa libidinis explendæ, vnum corpus fit cum illa personna, & fit mẽbrũ diaboli: cuius & illa mẽbrum est per coniunctionẽ malorũ operum. Hæc est illa pestis quæ ignẽ infernalẽ in corpus humanũ accendit, vt vegetum sit & robustum ad libidinem explendã: & quæ igni illi inextinguibili materiã semper apponit, & vires ministrat, vt de suo semper habeat vndè sine fine ardeat. De his duobus ignibus luxuriæ & gehennæ habemus auctoritatẽ scripturæ. De igne luxuriæ ait d: *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.* De igne gehennæ ait e: *Pones eos vt clibanũ ignis in tẽpore vultus tui*, hoc est iudicii, vt intus ardeant (sicut clibanus accensus) in cõscientia: *Dominus in ira sua cõturbabit eos*, dicens f: *Discedite à me operarii iniquitatis.* Et deuorabit eos ignis extern⁹ infernalis, quẽ accenderũt propter luxuriæ fœda opera. Sit ergo, Fratres, summa cura & summum studium his qui in talibus sunt, de talibus euadere & fugere.

c Matth. 12. d
d Osee 7. a
e Psal. 20. b
f Luc. 13.

9. De Thalamo Sion adornãdo.

Nobis verò qui per gratiam Dei euasimus, & veterẽ exuimus hominem, qui sumus Sion, sit summum studiũ thalamum nostrum munire & adornare, & Christum regem suscipere, sicut hæc Scriptura præcipit quam recitauimus, *Adorna thalamum tuum Sion.* Quid est adornare thalamum tuum? Virtutes congregare, quibus & pauimentũ, & parietes quasi cortinis & floribus tota domus adornetur. Primus ornatus thalami nostri, qui sumus Sion, sit Timor, qui est initium sapientiæ, id est, primus gradus per quẽ ascẽditur ad sapiẽtiã. De quo timore ait Scriptura g: *Beatus homo qui semper est pauidus.* Et Psalmista ait h: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore*: vt timor auferat securitatem noxiam, & exultatio mortiferã tristitiam. Hic timor generat humilitatẽ, quę est preciosissim⁹ ornatus thalami Siõ, quæ magis placuit Christo cùm in thalamũ virgineũ ingrederetur, dicente beata Maria i: *Qui respexit humilitatẽ ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatã me dicẽt omnes generationes.* Hæc, inquã, humilitas est ornatus Siõ, id est pauperũ Christi, de quibus ipse dicit: k *Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnũ cœlorum.* Ecce quomodo timor Domini primus gradus ascensionis, & primus ornatus thalami Sion, alios etiam ornatus generat, humilitatẽ scilicet, & voluntariã paupertatẽ. Adorna ergo thalamũ tuũ Sion, timore Domini.

Primus ornatus, Timor.
g Prou. 28 b
h Psal. 2. c
Hic generat humilitatem.
i Luc. 1. e
k Matth. 5. a

10. Secundus ornatus, Pietas.

Secundus ornatus thalami Sion, & secundus gradus ad sapientiam, est pietas: de qua dicit scriptura l: *Miserere animæ tuæ placẽs Deo.* Et alibi m, *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* Hæc miseretur in se peccantibus; fraterna onera portat; magis eligit quælibet temporalia bona perdere, quàm cum fratre lite contendere. Quæ profectò pietas aliud nihil est nisi Deum colere, & per cultum Dei Deo placere. Hæc in nobis generat mansuetudinem, optimum ornatum thalami Sion, quæ filios Dei nos facit, dicente Domino n: *Beati mites, quoniam filii Dei vocabuntur.* Ecce quomodo pietas secundus ornatus thalami Sion, & secundus gradus ascensionis, alium ornatum de se generat mansuetudinem, quæ filios Dei efficit. Adorna igitur thalamum tuum Sion, pietate.

l Eccli. 30. d
m Esa. 66.
Isque generans mansuetudinem.
n Matth. 5. a

11\. *Tertius ornatus Scientia.* Tertius ornatus thalami Sion & tertius gradus ascensionis est scientia, quæ homini sui cognitionem præbet, vt scilicet homo neque minus neque plus quàm debet de se præsumat. Quorum alterum, scilicet de se nimiū præ- *Hic perit lactum religiosum.* sumere, in mala facit præcipitem: alterum, scilicet se non cognoscere, facit ad quælibet bona torpentem. Ad hanc *o Cant. 1 b* scientiam Spiritus sanctus inuitat Ecclesiā in Canticis:[o] *Si ignoras te ô pulchra inter mulieres, abi post vestigia gregū tuorū*, scilicet hæreticorum: & pasce hœdos tuos, hoc est carnales cōcupiscentias. Hæc sciētia præbet nobis fiduciam vincendi omnes tentationes per veram fidem di- *p Matt. 9. d* cente Domino in Euangelio[p]: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti*, per Dei scilicet gratiam, & liberū arbitrium. Videmus iam quomodò scientia tertius ornatus thalami Sion, & tertius gradus ascensionis, alium ornatum in nobis generat, religiosum videlicet luctū, qui consolationem à Domino in futuro meretur. Hæc scientia parat in nobis dolorem & luctum peregrinationis, vt videndo mala exilii quæ patimur, cum luctu desideremus patriam à qua peregrinamur, audiamusque à Domi- *q Matt. 5. a* no nobis dici[q]: *Beati qui lugent, quoniā ipsi cōsolabuntur.*

12\. *Quartus ornatus Fortitudo.* Quartus ornatus thalami Sion est fortitudo, quæ cōuenit laborantibus pro veris bonis acquirendis. Hæc est quæ munit thalamum Sion, vt non extollatur prosperis, *r Psal. 119. a* non frangatur aduersis: quæ linguam increpantem & blandientem his verbis confundit, dicens[r]: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Hæc *Is ge... esuriem iustitiæ.* est illa quæ semper de die in diem robustior, esuriem & sitim iustitiæ in thalamo Siō accendit, facitque eam au- *s Matt. 5. a* dire à Domino[s]: *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Adorna igitur thalamū tuum Sion, fortitudine. *Quintus ornatus Consilium.* Quintus ornatus thalami Sion est cōsilium, quo homo infirmitates suas requirit, suum posse & suum non posse inuestigat; & ex sua infirmitate alios *Pariens misericordiam.* considerat, aliis parcit & miseretur, sicut & vult Deum sibi misereri: aliis dimittit debita, sicut sibi vult dimitti *t Ibid.* à Deo: mereturque audire à Domino[t]: *Beati misericordes, quoniā ipsi misericordiam consequentur.* Adorna igitur *Sextus ornatus Intellectus.* thalamum tuum Sion, consilio. Sextus ornatus thalami Sion est intellectus: qui mentem hominis super hæc infima rapit, omnesque corporeas substantias intellectuali intuitu transiens, non corporeis substantiis figitur, vo- *u Exod. 3. b* lensque vltra progredi, & propius accedere audit à Do- *x Exo. 33. d* mino: *Ne appropinques huc*[u]*: non enim videbit me homo, & viuet*[x]. *y Matt. 5. a* Hic intellectus conuenit iis, qui à Deo purgatum oculum habent, de quibus dicitur[y]: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Adorna igitur thalamum

13\. *Septimus ornatus Sapientia.* tuum Sion, intellectu. Septimus ornatus thalami Sion est sapientia, quæ conuenit iis qui intellectualibus ocu- *z Philip. 1. c* lis æterna contemplantur; quorum conuersatio in cœlis est; qui cupiunt dissolui, & esse cum Christo: in quorum persona dicebat Apostolus[z]: *Mihi viuere Christus, & est* *Ibid. d* *mori lucrum.* Quasi diceret: Vt Christum magnificem, Christo viuere volo tantùm, & Christus est præmium mortis meæ. Et post pauca: *Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui & esse cum Christo, multò melius: manere autem in carne necessarium propter vos.* Ecce quid facit vera sapientia, quæ omnes rebelles motus corporis ita subiugat, vt nullam vltra pugnam in carne sentiat: pro infirmis fratribus (vt eis Christum nuociet) exilium libenter patitur; probra non audit, damna non *a Matt. 5. d* sentit; auferenti tunicam dimittit & pallium; percutienti ad vnam maxillam præbet & alteram, auditque à Domino[a]: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* His ornatus thalami Sion istis nos adornemus qui sumus Sion, & regem Christum suscipiamus, quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quadragesima, hoc est hodierna die, in templo Dei præsentauit.

14\. *b Leuit. 12. a* In lege namque scriptū erat[b], vt mulier quæ suscepto semine peperisset masculum, quadragesimo die purgata templum cum filio intraret, deferens hostias secū pro *Occasio hodiernæ festiuitatis, ex lege purifica-* peccato agnum anniculum immaculatum. Si autem non haberet agnum, par turturum, siue duos pullos columbæ offerret. Hæc omnia beata Virgo non ex necessitate, sed ex humilitate impleuit. Abstinuit ab introitu templi quadraginta diebus, non necesse habens purgari, quæ *tionis puerperæ data.* sine omni delectatione, saluo virginitatis sigillo, de Spiritu sancto concepit. Obtulit hostiam non pro peccato, sicut aliæ mulieres, sed pro humilitate: ostendens etiam in hoc quòd Filius Dei Iesus Christus non soluere venerat legem, sed adimplere. Et ecce Simeon grandæuus, qui acceperat responsum non visurum se mortem nisi videret Christum Domini, & eum susciperet quem expectabat: accepit eum in vlnas suas, hoc est, inter brachia sua amplexatus est: illum qui appendit tribus digitis molem terræ, qui omnia implet, omnia complecti- *c Luc. 2. d* tur, inter brachia portat, dicens[c]: *Nunc dimittis Domine seruum tuum, secundum verbum tuum in pace.* Cupio dissolui, & eius aduentum cum patriarchis & prophetis in inferno expectare, qui inter te & humanum genus facturus est pacem. *Quia viderunt oculi mei salutare tuū*, filium tuum, quem desideraui, de quo responsum à Spiritu sancto accepi. *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* *d Esa. 9. a* De quo ait Esaias[d]: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucē magnam*: quia *cum ple-* *e Rom. 11. d 25* *nitudo gentium intrauerit, tunc omnis Israel saluus fiet*[e].

Audite, Fratres, audite quid offert Maria, quid Simeon suscipit. Vnigenitum Dei, Deo Patri consubstantialem, & coæternum, Verbum in principio. Et vt vilitatem & consolationem nostram audiamus; illum offert Virgo, quem Deus Abrahæ promisit dicens[f]: *In se-* *f Gen. 12. d* *mine tuo*, hoc est in Christo, *benedicentur omnes gentes.* Et *g Psal. 131.* quem Dauid promisit dicens[g]: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Hic est quem Virgo offert, Patriarcharum gaudium, desiderium Prophetarum, Gentium expectatio, Iudæorum qui eum receperunt saluatio, ruinæ Angelorum reparatio. Talis est quem Virgo offert Deo, imò multò maior quàm lingua, aut hominū, aut Angelorum possit dicere. Et cùm sit tantus ac talis, qualem aut quantum ipse se nouit, non sufficit Virgini *Oblatio Virginis Mar. quid nos doceat.* ipsum solum offerre: sed hostiam, quam lex præceperat, pro eo obtulit: ob humilitatis scilicet exemplum, vt nos doceret quomodo & nos eum debeamus offerre. Duos turtures, aut duos pullos colūbæ pro eo obtulit. Colū- *Columbæ proprietates ad mores expositæ.* ba, Fratres, simplex est animal, felle caret, rostro non lædit, in cauernis petrarum nidificat, alienos pullos nutrit, iuxta fluenta manet, vt visa vmbra accipitris fugiat, meliora grana eligit, gemitum pro cantu reddit, gregatim volat, alis se defendit, visum recuperat. Et nos, Fratres, cùm ante altare steterimus, vt Dei filium Deo offeramus, cum eo & pro eo *par turturum*, castitatem corporis & animæ offeramus. Et *duos pullos columbarum*, pro cantu gementes, compunctionem geminam, pro desiderio patriæ cœlestis, & de consideratione nostræ miseriæ habentes. Columba felle caret: & nos ira careamus, quæ peccare nos facit. Rostro non lædamus, sed percussi in vnam maxillam, aliam præbeamus. In cauernis petrarum nidificemus: in fide plagarum Christi refugium habeamus. Alienos pullos nutriamus, de filiis diaboli faciendo verbo prædicationis filios Dei. Iuxta flumina maneamus: id est iuxta hunc mortalitatis fluxū sedentes, vmbram accipitris, hoc est peccata quæ sunt vmbra diaboli, malorum ruinas considerantes, ab eius vngulis fugiamus. Meliora grana eligamus: id est meliores sententias in Scripturis sanctis. Gregatim volemus: vnum consensum in bono in congregatione sub pastore habentes. Alis noui & veteris Testamēti contra inimicos Dei nos defendamus: vel duobus præceptis charitatis, Dei videlicet amore & proximi. Visum recuperemus, de bono actionis ad bonum semper intendentes contemplationis.

16\. *Attendite ô sacerdotes Christi.* Fratres charissimi, tales oportet nos esse cùm corpus Christi consecramus, cùm consecratum manducantes sacrificamus, cùm vobis idem corpus in salutem corporis & animæ porrigimus. Tales etiam vos oportet esse, cùm sacrum Sacramentum de manibus nostris accipitis, scientes, quòd qui corpus Christi in- *h 1 Cor. 11. b* dignè accipit, & sanguinem eius indignè bibit, iudicium sibi manducat & bibit[h]. Verùm quia rarò inuenitur talis qui in se hæc omnia habeat, diligat illum

qui bonum habet, quod in se non habet: & in illo habeat, quod in se non videt. Neque enim credere debemus quòd soli sacerdoti supradictæ virtutes sint necessariæ, quasi solus consecret & sacrificet corpus Christi. Non solus sacrificat, non solus consecrat, sed totus conuentus fidelium qui astat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat. Nec solus lignifaber facit domum, sed alius virgas, alius ligna, alius trabes, &c. comportat. Debent itaque astantes habere de suo, sicut & sacerdos, fidem firmam, orationem puram, deuotionem piam. Sciendumque quòd sine firma fide nemo astantium esse debet. Cæteras verò virtutes, quas supra diximus, & si omnes non habent, diligant illum qui habet quod in se non inueniunt, & in illo habent quod in se nondum vident. Sicut Petrus in Ioanne virginitatis habet meritum: sic Ioannes in Petro martyrii habet præmium.

Fideles sacrificio adsistentes, etiam suo modo concurrunt ad consecrationem sacramenti.

17. *Christi corpori tria debemus.*

Sciendum quoque, quòd corpori Christi, quem Maria hodie præsentauit in templo, quem Simeon in vlnis suis suscepit, tria debemus; dignitatem, reuerentiam, & fructum. Dignitatem: vt eum Dei filium, Deum de Deo, omnipotentem, creatorem omnium, iudicem viuorum & mortuorum credamus. Dignitatem: vt credamus nos statim postquam de corpore exierimus, ab eo sicut à iudice percepturos sicut gessimus, siue bonum siue malum. Ille namque quem Maria in templo præsentauit, quem Simeon suscepit, quem in manibus consecrantes ante Deum leuamus, benedicimus, manducamus, vobis porrigimus manducandum: ille familiaris noster, iudex erit noster. Caueamus ergò ab eo separari per iudicium post mortem, cui ita sumus familiares in vita. Dicamus itaque ei in corde cùm eum tractamus, dicamus cùm eum consecramus: Domine ad te veniemus post mortem, ante tuum tribunal iudicandi astabimus. Qui nobis ita familiaris esse dignaris in vita, quòd à nobis tractaris, consecraris, manducaris: noli nobis alienus esse in morte, sed parce nobis in die mala. Confundantur dæmones qui nos tunc persequentur, destrue fortitudinem illorum in virtute tua: quia non est qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus & familiaris noster. Hæc est dignitas quam ei debemus.

Dignitatem.

18. *Reuerentiã.*

Debemus ei & reuerentiam: Inuestigare scilicet nosmetipsos: & si inuenimus cor pollutum fœdis cogitationibus aut mala voluntate, ab eius contactu vt ab igne & nos & alios arceamus. Ignis enim consumens est[i], ad quem indignus non debet accedere, ne interius consumatur, & in reprobũ sensum tradatur. Exeat ergo extra castra, sicut Moyses præcepit[k], qui nocturno pollutus est somno, hoc est qui per negligentiam istius obscuræ vitæ (quæ tota vt somnus pertransit) peruenit vsque ad pollutas cogitationes. Exeat extra castra, hoc est dum in illo statu est, iudicet se indignum societate fidelium communicantium hoc sacro corpore, lauetque vestimenta sua per sanctam confessionem & post solis occasum, hoc est post tentationis calorem & ardorem iam mortuum, lætus redeat, & cum aliis fidelibus communicet. Hæc est reuerentia quam debemus corpori Christi, quem virgo Maria hodierna die in templo præsentauit, quem Simeon lætus inter brachia suscepit.

i *Deut. 4. d*

k *Deut. 23.*

19. *Fructum.*

l *1. Cor. 10.*

Debemus etiam fructum scire, intelligere scilicet quem fructum accipimus, si eum dignè comedimus. Audite fratres non me, sed Apostolum dicentem: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Calix, id est communicatio calicis, facit nos habere quandam communionem cum Christo. *Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis est Domini?* Ac si dicat, panis quem frangimus, facit nos vnum corpus sub Christo capite: quoniam sicut vnus panis ex multis granis conficitur, qui postea in corpus Christi & per fidem & per sancta verba, quæ Christus suos docuit, conuertitur: sic diuersi participantes hoc corpore in vnitate fidei, spei, & charitatis, vnum corpus cum Christo sunt, ad Christum statim post mortem venturi, & cum Christo sicut cum capite suo sine fine regnaturi: quem virgo concepit, virgo peperit, virgo in templo hodierna die præsentauit, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

NOTA Lector. Sermo præcedens hactenus operibus S. BERNARDI inseri solitus, ibidem quoque GVERRICO nostro tribuitur: sed stilus multum dissimilis sunt, vt aliunde potius suspicer authorem. GVERRICI sane stilus pressior & neruosior est, modus quoque tractandi plus succi & vigoris habet: vt qui BERNARDVM ferè imitatur, ac tantum non assequitur.

Confirmat suspitionem meam MS. quod his iam tum notatis primum nactus sum è Carthusia Coloniensi, vbi præcedens sermo non reperitur.

DE PVRIFICATIONE B. VIRG. MARIÆ SERMO VI.

Postquam impleti sunt dies purgationis: tulerunt Iesum in Hierusalem.

O Quem felix est, de quo dici potest: Impleti sunt dies purgationis eius: vt iam nihil aliud ei supersit, nisi vt ferant eum in Hierusalem supernam; & sistant eũ Domino. Talis nimirum erat Simeon ille noster senex, senex desiderabilis, quàm plenus desideriis, cuius cum iã olim, vt arbitror, essent impleti dies purgationis, hodie impleti sunt etiam dies expectationis: vt iam secundum verbũ Domini, nihil aliud ei restaret postquam vidisset Christum Domini, Christum pacem Dei & hominum, nisi vt dimitteretur in pace, & dormiret in pace in idipsum: hoc est, vt ferrent eum in Hierusalem pacis æternæ, & sisterent eum ad contemplandam pacem, quæ exuperat omnem sensum. O Simeon vir desideriorum, impletum est in bonis desiderium tuum! O beate senex, renouata est vt aquilæ iuuentus tua! Introisti iam ad altare Dei illud supernum, æternum totum aureum, ad Deum qui lætificat iuuentutem tuam æterna visione sui, cuius lætificauit senectutem hodierna visione Christi sui. Ad altare illud inuisibile iam ipse præsentatus es Patri; cui ad altare hoc visibile filium hodie præsentasti. Ibi filium ipsum quem hodie tuo sinu gestasti, æterno iam & indissolubili tibi consertis amplexu. 1.

Simeonis impleti dies purgationis & expectationis.

Repletum est igitur in bonis beati senis desiderium, cuius tota erat expectatio & desiderium, expectatio gentium & desideratus earum. Renouata est vt aquilæ iuuentus eius, quoniam in senectute bona impleti sunt dies purgationis eius. Alioquin nequaquam illius capax nouitatis esse posset; nisi sedulò vetustatem his diebus expurgasset. Fratres expurgate vetus fermentum, dum tempus habetis ad expurgandum: vt cùm impleti fuerint dies vestræ purgationis, inueniamini & vos capaces illius gaudii quo plena est iam anima Simeonis. Et quidem dies qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus nolimus implemus: sed væ nobis si dies implentur, & purgatio minimè impletur: vt postea necesse sit illo nos igne repurgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita excogitari potest. Sed quis ille tam perfectus, tam sanctus, qui cùm hinc exierit, nihil illi debeat igni, qui sic ad purum omnem in se scoriam excoxerit peccati, vt gloriari possit castum se habere cor, vt dicere possit, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Pauci quidem sunt electi, sed inter illos paucos paucissimi sunt (vt arbitror) ita perfecti, vt purgationem illam impleuerint, de qua Sapiens dicit[a]: *De negligentia purga te cum paucis.* Omnino si de negligentia nos purgaremus, de paucis essemus. Nunc autem quoniam non modò minima, sed & maxima negligimus, longè à paucis decerte diuisi sumus, & de nobis dicit ille qui paucitatem sanctorum multitudini præfert negligentium, *inter multos erant mecum*[b]. 2.

Purgationem sui negligentes in hac vita, igni purgatorio tolerantur purgandi.

Pauci illum euadunt.

a *Eccl. 7. d*

Accusatio torporis & negligentiæ nostræ.

Et quid hodie tam proprium simul & commune his quos religionis tenet vmbra, sicut negligentia, vt de meipso loquar, quotiens deridet hostes sabbata mea? Quotiens dormitat anima mea præ tædio, diemque ferè totum ac si tempus reuocabile esset, inertia consumo? Et vtinam sic dormitaret anima mea, vt apertis & vigilantibus oculis, ipse mihi misero non fingerem somnia vana & illusoria. At nunc in peruersum mutata sententia, ego vigilo, & cor meum dormit, somnoque tam graui, vt vix aliquando valeat expergisci ad tonitruum supernæ illius increpationis[c], *Vsquequo piger dormis? Quando consurges è somno tuo? Paululum dormies*,

b *Psal. 54. c 3.*

NOTA.

c *Prou. 6 x & 10 b*

perbiens, nec gratiam qua pollet inuidens, etiam illis quos molestos tolerat, lumen quod accepit implorat, dicens [b]: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Mei forsitan sunt, quia prædestinati, sed adhuc tenebræ sunt, quia nondum vocati aut iustificati. Voca & ipsos in admirabile lumē tuum, & prædicabunt mecum admirabile nomen tuum.

b Psal. 17.

Iustus etsi illuminatus, nō tamen omnino liber à tenebris.

Quanquam iustus quisque ac sanctus in Ecclesia, ita se illuminatum gaudeat, vt adhuc se non minima ex parte tenebrosum videat & doleat: & ideò necessariò, cùm illuminatus sit, adhuc se illuminari petat. Quantò namque amplius lucerna eius illuminata fuerit, tantò verius ex lucerna ipsa tenebras suas deprehendit. Nec statim contrarium putaueritis, quod in Euangelio veritas ait [c]: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Non enim, quia ex oculo syoceræ intentionis totum opus nostrum lucidum fit, ideò consequens est, vt statim omnes tenebræ ignorantiarum nostrarum illuminatæ sint. Is sæpe modus est adhuc illuminationis nostræ, vt in lumen veritatis multum existimetur profecisse, qui defectum suum potuerit nosse, & scire quid desit sibi. Inde est quòd & apud sapientes huius mundi, qui magis sobriè disputarunt de scientia, primus numeratur gradus scientiæ, scire quòd nescias.

c Matth. 8.

Multum profecit, qui scit, quid sibi desit. Primus scientiæ gradus. Scire quod nescias.

2\. Fratres, omnes vos filii lucis estis, & filii Dei: Non sumus noctis, neq; tenebrarum. *Nox enim præcessit, dies autem appropinquauit* [d]. *Et si fuimus aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* [e]. Veruntamen si, quoniam non sumus tenebræ, nec filii tenebrarum, dixerimus nos nihil pati tenebrarū, nos ipsos seducimus, & tenebras mortis, quæ illuminari non mereantur, nobis inducimus. Quid enim ait lux mundi, quæ in iudicium venit in hunc mūdum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant? *Quia*, inquit [f], *dicitis, videmus: peccatum vestrum manet.* Video quātulumcunque, *quoniam tu illuminas lucernam meam, ô Domine* [g]: sed quia parum est quod video, *Deus meus illumina tenebras meas.* Videmus vt multum per speculum, & in ænigmate: sed multum longè est hoc ipsum à claritate vera, claraque veritate, quæ videbitur in facie. Ideò forsitan cæcus, quē apud Marcum [h] Dominus illuminare cœperat, homines quasi arbores ambulantes videbat: quia videlicet non nisi per speculū, & in ænigmate videbat: secundò imponens manum restituit eum, ita vt videret clarè omnia: quod in nobis fiet, cùm nos reficiet, & sanitatem perficiet impositione manuum secunda, quā cœpit prima, restituens nos in claritate perfecta.

d Rom. 13. d
e Eph. 5. b

Tenebræ in nobis residuę.

f Ioan. 9.

g Psal. 17.

h Matt. 8.

Ibidem.

3\. Sed hoc ipsum per speculum & in ænigmate, cui, aut quando, vel quandiu potest cōtingere? Quā misericorditer mecum ageretur, quàm feliciter mihi viderer illuminatus, si peccata mea possem videre, cui quotidie necesse est plangere ac dicere [i]: *Circumdederunt me mala quorum non est numerus, & non potui vt viderem.* Nam *delicta quis intelligit* [k], quando etiam specie virtutis vitium decipiens interficit, quasi verè angelus tenebrarū transfigurans se in Angelum lucis? Magnus vtique, multumque illuminatus, qui delicta ad liquidum intelligere potuit & voluit: nam neque & dolosus potuit, & *noluit intelligere, vt benè ageret* [l]. Deus illuminator omnium gentium, de te nobis cantabarut: Ecce veniet Dominus, & illuminabit oculos seruorum suorum. Ecce venisti, ô lumen meum, illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte: ne peccatum ad mortem oculos nostros aliqua delectatione claudat, & consensum illiciat, aut velut Isboseth dormientem [m] inueniens transfodiat. Venisti, ô lumen fidelium omnium, & ecce hodie de illuminatione veræ fidei, id est, lucernæ nostræ, dedisti nobis gaudere: da etiam de illuminatione tenebrarum nostrarum, quæ residuæ sunt, semper in Domino gaudere. Dedisti lumen veræ fidei, da & lumen veræ iustitiæ, da lumen diuinæ scientiæ, da etiam & diuinæ sapientiæ.

i Psal. 39.

K Psal. 18. c

Cæcitas cordis humani ad intelligenda peccata.
l Psal. 35. a

m 2 Reg. 4. b

4\. His profectò gradibus proficiendum, hac via proficiscendum tibi esse puto, ô anima fidelis, quò fallacia mundi huius tenebris exuta, peruenias ad patriam claritatis æternæ, vbi tenebræ tuæ erunt sicut clara meridies, & nox sicut dies illuminabitur. Tunc prorsus, *tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum* [n]: quando replebitur Maiestate diuina, iuxta eum scripti luminis omnis terra, & gloria eius in te videbitur. *Domus Iacob venite ambulemus in lumine Domini* [o]: vt veri filii lucis ambulemus de claritate in claritatem, tanquam prælucente Domini spiritu, vt per singulos gradus virtutum regnum claritatis vlterius inuadamus. Qui igitur iam per fidem sumus in lumine, ex ea & per eam in amplius & serenius lumen progrediamur: primò iustitiæ, dein scientiæ, demumque sapientiæ. Quod enim credimus per fidem, consequenter operandum vel promerendum est per iustitiam, pòst intelligendum per scientiam, ac postremò contemplandum per sapientiam. Prima namque omnium accensa est lucerna fidei, ad quam operemur in nocte huius sæculi. Inde scriptum est in laudem mulieris fortis, quæ de nocte surrexit, & de nocte ac die operans manibus suis, panem otiosa non comedit. *Non extinguetur*, inquit [p], *in nocte lucerna eius*, id est, non deficiet de tentatione fides eius. Ad hanc lucernam non fiunt opera tenebrarum, sed extinguitur cùm fiunt. *Qui enim malè agit, odit lucem* [q]. Ideoq; extinguit lucernam fidei, postponit memoriam Dei, non est timor Dei ante oculos eius, & de tenebris quas sibi fecit, arbitrorumq; absentia blāditur sibi, dicens [r]: Quis me videt? *Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me.* Quem vereor? *Delictorum meorum non memorabitur Altissimus, & non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius.* Bona verò opera, & si aliquando propter vanitatē declinandam in abscondito fiunt: ad lucem tamen internam, & æternam id est, sub iudicio fidei, & testimonio Dei fiunt, quia opera lucis sunt: lucernæ vtique ardentes in manibus operantium, & expectantium aduentum sponsi, qui educet quasi lumen iustitiam tuam, ad conspectum hominum & Angelorum: & sicut lux meridiana clara est, clarescere faciet opera tua, quia in Deo sunt facta, vt Deum in te, & te in Deo clarificent omnium iudicia.

n Isa. 60. a

o Isa. 2. b

Proficiendum continuò de lumine in lumen.

Lucerna fidei.

p Prou. 5. b
Non patitur opera tenebrarum.
q Ioan. 3. c

r Eccli. 23. c

Opera bona semper luci exposita.

5\. Quanta verò claritate iustitia resplendeat etiam in præsenti, quanta luce lætificet conscientiam iusti, familiariùs & suauiùs conscientiæ vestræ testimonium vos docebit. Sæpè autem & fides radiat: & iustitia coruscat, & adhuc tamen intellectus caligat: vt mysterium fidei quod velut inuolutum tenens veneratur, explicare nesciat: signatus sit ei liber scripturæ, quasi literas nesciat: sed nec ad discretionem boni & mali, veri & falsi, sensus exercitatos habeat. Et tales quidem multi in Ecclesia, quorum fides multa, abundans iustitia, scientia ferè nulla. Quòd tamen ad lumen iustitiæ accedere oporteat lumen scientiæ, docet sermo Prophetæ, qui cùm præmisisset [s]: *seminate vobis ad iustitiam*: vt ostenderet quas interim primitias colligamus, de hoc semine, subiunxit: *illuminate vobis lumen scientiæ.* Sic & Apostolus ait [t], *fructificantes in opere bono, & crescentes in scientia Dei.* Tu quoq; Dauid sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres [*], quomodo *super senes intellexisti? Quia mandata*, inquit [u], *quæsiui*: à mandatis prorsus intellexi, quia intellectus bonus omnibus facientibus timorē Domini. Nam & vnctio docens de omnibus, sciens nimirum quo ordine quidquid apud eum discendum sit, prius docet *bonitatem & disciplinam*, & postmodū *scientiam*: si tamen qui docendus est primò omnium crediderit, id est elementa exordii sermonum iustitiæ didicerit. Ideò ille discipulus vnctionis tam prudenter precem ordinabat, atque allegabat: *Bonitatem*, inquit [x], *& disciplinā & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.* Ac si diceret: Didici prima elementa, id est, fidē non fictam: iam quod sequitur, doce iustitiam, id est, bonitatem & disciplinam, vt sic demum proueham ad Sanctorum scientiam. Vocasti ad gratiam fidei, iam iustifica per bonitatem amoris, & disciplinam casti timoris: vt post magnifices munere scientiæ spiritualis. *Quos autem vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, illos & magnificauit* [y].

Iustitiæ & pietatis splendor in vita præsenti.

s Osee 10.
Lumen scientiæ ad lumen iustitiæ accedere debet.
t Col. 1. b
* al. omnes.
u Psal. 118. n

Vnctio spiritus docet Fidem, iustitiā, scientiam.
x Ibid. 1. *

Scientia Sanctorum.

y Rom. 8. f

6\. Sciendum sanè, quòd cùm sit hæc scientia Sancto-

rum, non tamen omnes Sancti docentur eam: sed illi duntaxat, in quibus nec industria gratiarum, nec gratia destituit industriam: sed vtrumque mutuo sibi suffragio cooperatur, vt & docibilis sit homo discipulus, & spiritus adsit doctor sedulus. Cùm autem varia charismata contineat, hæc scientia, Spiritus tamen moderator non in vnum facilè confert omnia, sed diuidit singulis prout vult, alii notitiam mysteriorum, alii intellectum Scripturarum, alii interpretationem sermonum, alii discretionem spirituum; alii illam quæ pernecessaria est, velut in gustu dignoscentiam, atque diiudicationem virtutum ac vitiorum, ne fallant vitia specie virtutum. *Non nocebunt*, inquit [a], *& non occident in vniuerso sancto monte meo: quia repleta est terra scientia Domini.*

Non omnes eam æquè participant.

a Isa. 11 b

7. Iam verò si quis post hæc & per hæc tria fidem, iustitiam, atque scientiam, proficiat ad sapientiam, id est, saporem & gustum æternorum, vt possit vacare & videre, videndoq; gustare quàm suauis Dominus: & quod oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis nô ascendit, ei per Spiritum reueletur: hunc omninò dixerim illuminatum magnificè & gloriosè, tanquam qui gloriam Domini reuelata facie speculetur, & super quê gloria Domini sæpiùs oritur. Huic vtique dicere habet non Propheta, sed Prophetarum Spiritus [a] *Surge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Fratres non omnes capiunt hoc verbum, sed qui potest capere capiat. Non condemnatur qui non capit: sed qui non cupit, vtique teporis arguitur. Qui autem capiet [illegible] quia hoc lumen sapientiæ feruens accendit oratio, sicut & lumen scientiæ, frequês lectio, si tamen cùm legis lucernam ardentem adhibueris, id est, iustitiam operum, piorumque experientiam sensuum. Tu autem Domine Pater luminum, qui lumen de te lumine vnicum tuum misisti illuminare tenebras mortalium, da nobis per viam luminum peruenire ad lumen æternum, vt placeamus coram te in lumine viuentium, qui viuis & regnas per omnia sæcula sæculorũ.

Sapientia vera est gustus & sapor æternorum.

a Isa. 60 a

DE EPIPHANIA DOMINI

SERMO IV.

1. SEcunda nobis hodie, fratres, natiuitas celebratur, quæ de illa prima natiuitate tanquam de causa effectus, consequenter nata videtur. Illa siquidem quam vix; hodie celebrauimus, natiuitas Christi est: ista enim hodie celebramus, natiuitas nostra est. In illa [illegible] Christus natus est, in ista Christianitas nata est. Cum enim tria sint quæ nos faciunt Christianos, Fides, Baptismus & Altaris participatio: hodierna dies fidem nobis nuntiauit, baptisma consecrauit; ac mensæ cœlestis miracula præformauit. Quomodo sanè prima gentium illuminatio fidem nobis initiauerit; quomodo Christus baptizatus baptisma nostrum consecrauerit; qualiter illa conuersio aquæ in vinum, mutationem rerum in conuiuio mensæ Dominicæ præostenderit, nequaquam iam opus est vt doceamus: sed illud arbitror operæ pretium, vt nosmetipsos commoneamus, ne fides in nobis à suis degeneret initiis; ne vacuetur in nobis gratia baptismatis; ne cedat nobis in iudicium participatio calicis Christi.

Tria nos faciunt Christianos, Fides, Baptismus & Altaris participatio.

2. Et ipsa quidem fides, qualis ab illis Magis primis videlicet authoribus suis, nobis hodie tradita sit, qualiter maximum fidei sacramentum mysticis insinuauerint munerum figuris, satis abundeque disseruere patres nostri: vt ex ea parte nullus iam alius labor quàm in labores eorum introire nobis resederit. Sed neque magnoperè postulat status, imò nunc temporis huius, vt de mysterio fidei disputetur: sed vt magis id modis omnibus elaboretur, vt sicut Apostolus ait [a], in conscientia pura, idem fidei mysterium habeatur. Ecce enim hodie si de mysterio fidei interrogas, omnes ferè inuenies Christianissimos, si conscientias discutias, paucos admodum inuenies verè Christianos. Totus ferè mundus *confitetur verbis se nosse Deum, factis autem negat* [b]: adeò vt & qui speciem pietatis videntur habere, virtutem eius sæpius inueniantur propemodum abnegarê. Quid

a 1. Tim. 3. c

NOTA. Multi nomine, pauci re Christiani.

b 1. Tit. 1.

putatis autem, fratres mei, quos in hoc significare voluerim, quos scilicet dicam pietatis habere speciem, sed abnegare virtutem? Si illos qui spatiosam viam sæculi ambulant, intelligitis: quid illi vel de sola præferunt pietatis specie, qui nomine solo Christiani, atque in vacuum assumentes nomen sanctum Christi, tota ac libera professione sectantur quæ huic inimica sunt nomini, qui omni specie conuersationis & modo vitæ, se protestantur inimicos crucis Christi? Hæccine est species pietatis quam in eis videmus; habitus & incessus meretricius, sermo scurrilis, oculus impudicus, venter qui pro Deo colitur, & omnis illa vitæ contumelia, quæ publicè & gloriabundè, velut in faciem pietati irrogatur? *Quæ enim in occulto ab ipsis fiunt, turpe est dicere* [c]. Fodiat parietem eorum, qui ad ipsos missus est prophetare: vt adhuc maiores abominationes videat, quas non erubescunt, aut verentur coram illa tremenda maiestate perpetrare. Quid enim mihi qui monachus videor, de his qui extra hoc monasterium sunt iudicare? Vtinam nec de his ipsis qui hic intus sunt, mihi esset iudicare: Ad meipsum namque conturbata est anima mea, dum scilicet vereor, ne hæc ipsa species pietatis, quam vtcumque vobiscum gero, grauiùs me incipiat accusare; si pietatem ipsam me conuicerit abnegasse.

Christiani nomine tenus quinam.

Mores & deprauatio sæculi.

c Eph. 5.

3. Omninò, fratres, verendum est mihi, an verò & vobis ipsis, vos videritis, ne ad nos præcipuè spectet ille sermo, qui per Apostolum prophetatus est, de temporibus nouissimis: vbi cùm malitiam hominum describeret tunc futurorum, qualis nunc manifestè legi potest in vita & moribus eorum, longum tandem sic conclusit malorum catalogum, *habentes*, inquit [d], *speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Quid enim ita speciem pietatis habet, sicut hæc quam prætendimus, humilitas tonsuræ & habitus, parsimonia cibi & potus, labor ferè continuus, & ordinatissimus per omnia viuendi modus? Cæterùm de virtute ipsa pietatis, quam hæc species exterior promittit, quàm propè nihil in me meique similibus valeat inueniri; pudor mihi esset confiteri, si non omnibus essemus manifesti. Quæ est enim virtus pietatis, nisi charitas non ficta, humilitas vera, patientia longanimis, obedientia non segnis? In his virtutibus earumque similibus, quantum vobis liceat gloriari, vestro fratres, relinquimus iudicio: de me siquidem ingenuè confiteor, quia nomina quidem earum scio saporem adhuc ignoro. Meritò itaque pudorem mihi parturit & timorem incutit habitus quê gero religionis, cui ferè nullum suffragatur testimonium virtutis. Nunquid enim tutò mihi possum vsurpare monachi nomen & honorem cuius non habeo meritum & virtutem? cum sicut ante nos dictũ est [*]; simulata sanctitas, duplicata sit iniquitas: & lupus sub ouina pelle deprehensus grauiore sit sentêtia percellendus. Propterea vos quoq; fratres, vt tutò gloriari possitis, in hac, qua corpora vestra decorata sunt, specie pietatis, ponite corda vestra in virtute eius, vt species in corporibus, virtus in cordibus, probatos vos exhibeant, iam Angelis quàm hominibus: sicque sicut scriptum est [e], *Omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.*

d 2. Tim. 3. a

Notent ista præcipuè viri Religiosi & hi qui se ita fieri, vt veræ & solidæ pietati studeant: [illegible] Larvam eius aut speciem tantum sectentur.

Humilis B Vir. de sermo cô [illegible] pe [illegible] stus in principio sermonis accusator est sui.

* Augusti. Simulata sanctitas, duplex iniquitas in psal 63. tom 8.

e Isa. 61. e

4. Hæc est Fratres, Christianæ fidei pietas vera, hoc est habere mysterium fidei in conscientia pura. Vt enim mysterium fidei, quod hodie nobis mystica commendauerunt Magorum munera, fideliter & dignè conseruemus immaculatũ in consciêtia pura: hodie itidê Christus baptizatus, non sibi sed nobis, *Aspersi* (sicut Apostolus ait [f]) *corda nostra à conscientia mala, & abluti corpora aqua munda.* Quàm felix, ô Fratres, anima illa, quæ sic lota in salutem, mox è vestigio secuta est Saluatorem, vt deinceps adhærens ei cum Apostolis, illam mereretur audire vocem [g]: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Cæterũ *qui baptizatur à mortuo, & iterũ tangit eũ, quid proficit lauatio illius* [h]? Ego postquã baptismo lotus sum, non vnum mortuũ, sed tot mortuos quot opera mortis tetigi: & iuxta Petrum Apostolum [i], contigit mihi illud veri prouerbii: *Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* Quid igi-

f Heb. 10 d

g Ioan. 13. b

h Eccli. 34 d

i 2. Pet. 2. d

turfaciam? Quibus vlterius aquis sordes tantas diluam? A Audio quia sicut vna fides, sic vnum Baptisma est, nec secundo baptismati locus est: quoniam quicunque baptizamur, in morte Christi baptizamur: qui sicut semel mortuus est, sic & semel baptizatus est: vt & nobis vnici modum & formam baptismatis præscriberet. Diffiderem forsitan vlterius posse mundari, nisi quia desperantem reducit in spem, inter alias Scripturæ consolationes, etiam fidele consilium Helisæi, etiam si totus instar Naaman Syri lepra sim perfusus, ac veterno incurabili possessus. *Vade*, inquit[k], *& lauare septies in Iordane, & mundaberis.* Si dixisset lauare ter, mundaberis, continuò intellexissem trinam mersionem qua mundantur baptizati, diceremque totum illud miraculum gratiam prophetare baptismatis, vt iam tunc Iordanis de virtute Dominici baptismi cœpisset ad salutem gentium operari. Nunc autem cum signanter dicat, lauare septies in Iordane, quid sibi vult septenarius iste, aut quis est Iordanis ille? Iordanis, vt aiunt, interpretatur descensus eorum. Quorum? Illorum vtique qui humiliantur ad pœnitentiam, qui nimirum quantò profundius descendunt per gradus humilitatis, tantò se penitius mergunt & plenius abluunt spiritalis alueo Iordanis. B

Post lotionem baptismi denuo inquinatis remedium vnicum est lauacrū pœnitentiæ.

k 4. Reg. 5.

Exemplum Naaman Syri pulchrè huc applicatur.

5. Ad meipsum, ô Deus, conturbata est anima mea, memor peccatorum meorum: propterea memor ero tui de terra Iordanis, quomodo scilicet in descensu humiliationis mundaueris Naaman leprosum. *Descendit*, inquit[l], *& lauit septies in Iordane, iuxta sermonem viri Dei, & mundatus est.* Descende & tu ô anima mea, de curru superbiæ in salubres aquas Iordanis, qui de fonte domus Dauid, toto iam profluit orbe in ablutionem peccatoris & menstruatæ. Hæc est nimirum humilitas pœnitendi, quæ de domo pariter & exemplo profluens Christi, toto iam prædicatur orbe, totiusque purgat crimina mundi. O vos Naaman Syri (non enim vnus, sed innumeri), ô inquam diuites, sed leprosi: superbi, sed ærumnosi, quare tam vehementer abhorretis lauari his medicinalibus aquis? Cur vobis ita viluit noster iste Iordanis præ fluuiis Damasci? Dicitis enim si fortè quærentibus aliquandò consilium salutis imitanda prædicetur humilitas & paupertas Christi[m], *Nunquid non meliores sunt fluuii Damasci, omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder?* Nunquid non est melius, & ad purgationem peccatorum efficacius, quotidie benefacere de C affluentia mundi, quàm semel omnia relinquendo pauperem fieri? Sed enim audi Naaman: Fluuium Damascenum absorbebit Leuiathan[n], & non mirabitur: nam de Iordane *si habeat fiduciam quòd influat in os eius*, spes eum frustrabitur. Neque enim grande reputat quantiscunque, præter humilitatem Christianam, virtutibus affluas: cùm etiam pauperes Christi deuorare se posse confidat, sed nihil in eis inimicus proficiat. Damascus secundùm nomen suum, ciuitas sanguinis est, & aquæ eius sanguine mixta sunt: quia opera etiam bona carnalium & sæcularium, vix à quocunque peccato pura sunt. Et quomodo id quod infectum est sanguine, sanguinem mundabit? qua ratione lepram, id quod leprosum est, curabit? At Iordanis noster ipse quidem purum profluit, nec te calumniari poterunt superbi, si totus in eo mersus fueris, ac velut consepultus humilitati Christi.

l Ibid. d

Humilitas pœnitentiæ Exēplo Naaman septies in Iordane loti commendata.

m Ibid.

n Iob 40.

Humilitatis defectu cæteræ virtutes nihil æstimantur.

Opera bona carnalium & sæcularium vix ob omni peccato pura.

6. Audi saltem, ô Naaman, domesticos tuos, humiles amicos, fideles consiliarios. Naaman recedebat indignans aduersum virum Dei, quem consuluerat: at illi D *Pater*, inquiunt[o], *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras.* Fidele prorsus verbum, rationis & sapientiæ plenum: quippe suggestio est rationalium hominis sensuum, quos sibi Deus testes retinuit aduersus hominem ipsum. *Pater*, inquiunt, *etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras.* Non credere namque Prophetæ, Dei est iniuria: non tentare omnia pro salute, odium est sui ipsius & inuidia. Quid enim grande esse potest in præcepto, vbi salus est in promisso? Quantò magis non debet videri grande vel difficile, discere ab Iesu, quia mitis est & humilis corde: cùm in eo pariter inueniatur & requies animæ, & præsens me-

o 4. Reg. 5. d

In causa salutis audienda aliorum consilia.

Odium sui ipsius est non omnia pro salute tentare.

Nil graue videri debet, vnde salus expectari potest.

dela spiritalis lepræ pignusque salutis æternæ? Tandem A vix ægreque obtinetur à superbo peccatore, vt descendat in Iordanem & lauet: si tamen septies lauat, totumque se plenius & sæpius mergat, non moratur effectus salutis fidem prophetico facere sermoni. Sed proh dolor, quanta est huius nostri miseria temporis, quia non solùm diuites, sed etiam pauperes leprosi, ita inueniuntur delicati, vt vix vsque ad talos salubribus mergi patiantur aquis: aut si semel lauerint, mox sibi plenissimè videantur mundati.

Ar Helisæus non ita sentit, sed signanter exprimit, *septies lauare, & mundaberis.* Sciebat nimirum humilitatem Christi, quæ nobis imitanda est, si perfectè volumus mundari, septemplicis esse virtutis; *Prima* virtus, quòd quum diues esset, pauper factus est. *Secunda*, quòd paupertati extremitatem adiiciens, in præsepi positus est. *Tertia*, quòd Matri subditus. *Quarta*, quòd serui manibus bodie inclinauit caput. *Quinta*, quòd discipulum furem tulit & proditorem. *Sexta*, quòd sic fuit mansuetus ante iniquum iudicem. *Septima*, quòd crucifixoribus tam clemens intercessor fuit apud Patrem. His vestigiis, licet satis à longè, gigantem sequeris, si paupertatem diligis; si inter pauperes extremitatem eligis: si mo- B nasterii subditus es disciplinæ: si minorem tibi pateris præesse: si falsos fratres æquanimiter tuleris: si mansuetudine vincas cùm iudicaris: si charitatem rependas illis, à quibus iniustè pateris. Hæc humilitas planè sine iniuria vnici baptismi rebaptizat: quia mortem Christi non iterat, sed mortificationem & sepulturam criminum instaurat: & quod in illo baptismo gestum est specie, hîc rursus impletur veritate. Hæc siquidem humilitas cœlos aperit; Spiritum adoptionis restituit: Pater agnoscit filium, quippe in innocentia & puritate pueri regenerati reformatum. Vnde benè de Naaman Scriptura meminit[p], quia *restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli*: significans, vt arbitror, quia eorum, qui sic se abluunt, non solùm corda recuperant innocentiam paruulorum: sed etiam corpora secundùm quendam modum puerilem sibi vendicant puritatem, mortificatione membrorum. Sic enim de quodam Sanctorum legitur †, quia in membris defuncti, se perennis quodammodo pueri gratia videbatur.

7.

Humilitas Christi septuplex.

Quomodò illam imitari liceat.

Humilitatis & baptismatis analogia.

p 4. Reg. 5. d

† de S. Martino apud Sulpitium.

8. C Ecce, Fratres, qui primi gratiam baptismatis tantis voluptatum sordibus amisimus, ecce verum Iordanem, descensum scilicet humilium, vbi piè rebaptizari licet, inuenimus. Hoc tantum est, vt non parcamus nobis de die in diem descendere profundiùs, & pleniùs mergi, Christoque penitus consepeliri. Ipsi gratias agamus, cuius humilitas & formam baptismi hodie dedicauit credentibus, & gratiam non disparem reseruauit pœnitentibus. Ipsi gloria per omnia sæcula sæculorum.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. Mariæ Virg.

SERMO I.

Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucæ 12.

1. SInt lumbi nostri præcincti, vt Purificationem Mariæ æmulemur: sint lucernæ ardentes in manibus, vt gaudium Simeonis lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis repræsentemus. Simus videlicet D casti corpore, & mundi corde: & Purificationem Mariæ expressimus. Simus ardentes deuotione, & lucentes opere, & cum Simeone Christum portamus in manibus. Maria tamen non tam purificata fuit, quàm mysterium Purificationis commendauit; implendo legalem; significando spiritalem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgoq; permansit: imò quæ ipso conceptu planè purificata fuit, si quid fortè minus antè puritatis habuisset? Quid, inquā, mundandum habuit conceptus ille, qui solus *potest facere mundum de immundo conceptum semine*[q]: qui fontem, quo immundus purificetur, edidit; fontem domus Dauid, qui hodieque patet, indefessèque scatet in ablutio-

B. Virg. purificationem impleuit legalem, vt cōmendaret spiritualem.

q Iob. 14. a

b *Zach.* 13. a

nem peccatoris, & menstruatæ b? Suscepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, vt simul & obedientissimæ humilitatis virtutem, & Euangelicæ purificationis insinuaret veritatem. Vbi nunc ille, qui tam fallaciter quàm contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quòd sanctus sit: nunquid sicut Sanctarum sanctissima, quæ Sanctum sanctorum peperit, Maria? Vtinam Fratres mei, vtinam nos illam haberemus humilitatem in peccatis nostris, quam verè habuerunt Sancti in virtutibus suis.

Humilis obedientia B. Virg. imitanda.

Sancti humiliores in virtutibus suis, quam nos in vitiis nostris.

2. Sed omittamus nunc istud, vt quod cœpimus prosequamur. Ac primò quidem de illa spirituali Purificatione, quam Maria offerens pro se & pro filio par turturũ, aut duos pullos columbarum, nobis commẽdauit, prosequeremur: nisi quòd Patres nostri, sicut vobis notissimum est, omnia ad liquidum prosecuti sunt: & quomodo turtur ad castitatem carnis, columba ad simplicitatẽ mentis pertineat, diligenter disseruerunt: nec illud quidem prætereuntes, quid sit sacrificium de vno turture, vel pullo columbino, quid holocaustum de altero. Hoc vnum tamen adiicimus quòd, quantò notiora nobis sunt mysteria, tantò districtiùs & iustius eorum à nobis exigentur opera quia *scienti bonum & non facienti, peccatum est illi* b: *& seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis* c.

b *Iac.* 4. d

c *Luc.* 12. f

3. Relinquentes igitur quod tractatum est sufficienter, illud potius tractemus, si placet, quid hęc pulcherrima Ecclesiæ consuetudo luminarium hodie gestandorum, aut factum repræsentet, aut faciendum demonstret. Quanquam ne id puto quidem vobis incognitum; etiam si nunquam sit auditum. Quis enim hodie cereum ardentem gestans in manibus, non statim illius senis recordetur, qui hodie Iesum accipiens in vlnas suas, Verbum in carne tanquam lumen in cera, ipsum esse lumen ad illuminationem gentium perhibebit? Erat profectò & ipse lucerna ardens & lucens, testimonium perhibẽs de lumine, qui ad hoc ipsum in Spiritu quo plenus erat, venit in templum, vt suscipiens misericordiam tuã Deus in medio templi tui, prædicaret ipsam esse misericordiã, & lumen populi tui. Verè tu senex serene lumen portabas, non modò manibus, sed & sensibus: qui sic eras illuminatus, vt cùm tantò antè futuram illuminationem gentium tam clarè videres, etiam tunc inter tenebras Iudaicæ infidelitatis, hodierna claritas fidei nostræ tibi coruscaret. Lætare iam senior iuste: vide iam quod præuidebas: discussæ sunt mundi tenebræ, ambulant Gentes in lumine tuo; plena est omnis terra gloria luminis illius, quod occultum in sinu fouebas, imò quo sensus tuos refouebas. O fomes amoris, ipse amor suauis & dulcis ad refocillandam animam. Prorsus suauis & dulcis, etiam cùm crucias & affligis: cruciatus feliciter delectans: sicut ignis salubriter refrigerans Ignis iste, Fratres, si in sinu absconditus fuerit, vestimenta non comburit: imò illum ignem extinguit, qui in sinu celatus, nõ modò vestimentum adurit, sed & quod vestitum est, depascit, id est. corpus & animam pariter consumit. *Deus* inquit d, *noster ignis consumens est*, sed ignem consumentem: nam animam refouet, demulcet mentem, spiritũ recreat, reparatque pereuntem. Huius ignis vim Simeõ non ignorabat, qui in sinu suo cum portare gaudebat, pectusque senile fotu illius calefaciebat. Quantò salubrius & suauius ignis iste senem nostrum calefecit, quã regem Dauid Abisag Sunamitis e? nisi fortè Abisag hic ignis idem fuit, sapientia scilicet, cuius amplexu non solùm recalescunt frigidi, sed etiam reuiuiscunt mortui.

Quid ceremonialis luminum hoc Festo vsitata significet.

Simeonis insignis senis elogium.

Ignis diuini amoris noxiũ in nob. ignẽ absumit.

d *Deut.* 4. d

e 3. *Reg.* 1. a

4. Amplectere igitur, ô beate senex, sapientiam Dei, & recalescant atque recanescant quasi de nouo sensus tui: astringe vberibus tuis misericordiam Dei, & erit senectus tua in misericordia vberi. *Inter vbera*, inquit f, *mea commorabitur*: etiam cùm reddam illum matri suæ, manebit apud me. Et cùm inter materna vbera continebitur, nihilominus inter vbera mea commorabitur, & vbera quoque mea inebriabit misericordia vberi: etsi non quantum vbera matris. Illa quippe sicut singulariter mater est summæ misericordiæ, ita excellenter habet vbera vberis misericordiæ. Gratulor & gratificor tibi gratia plena, quæ misericordiam genuisti, quam suscepi: Cereum præparasti, quem accepi. Tu ceram ministrasti suscepto lumini, Virgo virginum Virgini, dum incorrupta mater incorruptibile Verbum, incorrupta carne vestisti. Eia Fratres mei, ecce ardet cereus in manibus Simeonis: accendite & vos cereos vestros de illius mutatione luminis, lucernas dico quas Dominus iubet g esse in manibus vestris. Accedite ad eum, & illuminamini, vt non tam lucernas feratis quàm ipsi lucernæ sitis, lucentes intus & foris, vobis & proximis.

f *Cant.* 1. d

Christus cereo comparatus.

Ab eo lucernæ nostræ accendendæ.

g *Luc.* 12. e

5. Sit ergò lucerna in corde, sit in manu, sit in ore. Lucerna in corde, luceat vobis: lucerna in manu vel ore, luceat proximis: lucerna in corde, est pietas fidei: lucerna in manu, exemplum operis: lucerna in ore, sermo ędificationis. Non solùm autem coram hominibus lucere nos necesse est per operationem, & sermonem: sed & coram Angelis per orationem, coram Deo per intentionem. Lucerna nostra coram Angelis est pura deuotio, cùm in conspectu Angelorum psallimus sapienter, vel oramus ardenter: lucerna coram Deo, simplex intẽtio, vt ei soli placeamus cui nos probauimus. Et ne putemur in his quæ dicimus sensus nostri somnia secuti fuisse, probemus nos potius in omnibus adhæsisse testimoniis Scripturæ. Quòd enim Fides lucerna sit, testatur Salomon loquens de muliere forti h. *Non extinguetur in nocte lucerna eius*: quod vtique intelligimus, nõ deficiet in tentatione fides eius. Nam & de charitate, quæ nihil aliud est quàm fides operans per dilectionem, apud eũdem legimus Salomonem i: *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Quòd opus bonum lucerna sit, lux ipsa veritatis indicat, cùm ait k: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Et l *luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona.*

Variæ lucernę mysticæ;

In corde seu pietas fidei.

In manu seu exemplum operis.

In ore, id est sermo ædificat.

Lucet coram Angelis, id est pura deuotio.

Lucet coram Deo id est simplex intentio. Ex scripturæ illustrantur.

h *Prou.* 31. b

De lucerna Fidei

i *Cant.* 8. b

De lucerna boni operis

k *Luc.* 12. c

l *Mat.* 5. b

6. Quòd sermo ędificationis lucerna sit, Dauid dicit m: *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis.* Et Petrus Apostolus de sermone prophetico, *cui benefacietis*, inquit n, *attendentes, tanquam lucernæ lucenti in obscuro loco.* Declaratio quoque sermonum Dei illuminat, *& intellectum dat paruulis* o: siue cùm sermones Euãgelici declarant vmbram legis, siue cùm ipsi sermones tam Euangelii quàm legis declarantur expositionibus dilucidis, qui non intelligentibus paruulis videbantur obscuri: & in lumine dicimus, quod dictum erat nobis in tenebris. Ideo Philippus in figura cuiuslibet Ecclesiastici doctoris dictus est os lampadis, eò quòd de ore ipsius ad illuminationem audientium coruscaret ignitum eloquium Domini. Sermonem autem Dei intelligo, Fratres mei, quicquid Spiritus eius dignatione sua loquitur in vobis, omnem vtique sermonem qui bonus est ad ædificationem fidei, in prouocationem charitatis. *Si quis* ergo vestrûm *loquitur, quasi sermones Dei* p: vt etiam in priuatis colloquiis omnis sermo malus non procedat de ore vestro; sed si quis est ad ædificationem fidei, vt gratiam det audienti: vt qui audierit, dicat gratias agens tibi: Benedictus sermo oris tui, quia *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis* q. De oratione autem quòd & ipsa lucerna sit, maximè si diuinitus sit illuminata, ex eo colligimus quod Salomon ait r: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.* Lumen namque quod nobis orantibus, vel psallentibus desuper aperitur, spiraculum vitæ est, in quod suauiter respiramus. Huius lucernę videtur Iob recordari, cùm in mœrore tentationis recolens cum suspirio lætitiam præteritę consolationis, ait s: *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me, quando splendebat lucerna eius super caput meũ, & ad lumen eius ambulabam in tenebris?* Cęterum quòd lucerna hęc dicitur inuestigare omnia secreta ventris, id est mentis: non illud esse putãdum est, quòd Dominus comminatur se scrutaturum in

De lucerna ædificationis sermonis

m *Psal.* 118. o

n 2. *Pet.* 1. d

o *Psal.* 118. r

Sermo Euangelici prædicatoris ad illuminandũ idoneus sit oportet.

p 1. *Pet.* 4. d

q *Psal.* 118. n

De lucerna Orationis.

r *Prou.* 20. d

s *Iob.* 29. a

Sophon. 1. c. — lucernis[t]: cùm istud gratiæ sit illuminantis, illud iudicii exquirentis. Nam & aliter inuestigat secreta ventris potio medici, aliter gladius carnificis. Iam verò de intentione, quòd & ipsa dicatur lucerna, nemo est qui ambigat, si tamen Euangelium illud intelligat u: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.*

De lucerna intentionis. u Matth. 6. c

7. Vt igitur tot lucernas vobis, Fratres, illuminetis, accedite ad fontem luminis, & illuminamini, Iesum dico, qui lucet in manibus Simeonis: vt scilicet fidem illuminet; opus illustret; sermonem homini subministret, orationem inflammet; intentionem purget, vt siue opere, siue sermone vel oratione quæratis placere coram eo in lumine viuentium, qui scrutari habet Hierusalem in lucernis suis[x], & examinare etiam lumen nostrum. His omnibus accensis, ô filii lucis, iam non ambulabis in tenebris, nec timenda tibi erit sententia maledicti y, *Qui maledixerit patri, vel matri, extinguetur lucerna eius in tenebris*, idest, deficiet consolatio huius lucis, irruentibus vndique hinc exterioribus, inde interioribus tenebris. Tibi enim cui tot interius ardent lucernæ, cùm extincta fuerit lucerna huius vitæ, orietur lux inextinguibilis vitę, & quasi fulgor meridianus consurget tibi ad vesperum: *& cum te consumptum putaueris, orieris vt lucifer*[z], *& tenebræ tuæ erunt sicut meridies* [a]. Non tamen erit tibi sol amplius ad lucendum per diem, aut splendor lunæ illuminabit te: sed Dominus erit tibi in lucem sempiternam, quia Agnus lucerna est nouæ Hierusalem, cui benedictio & charitas in sæcula sęculorum. Amen.

x Sophon. 1. c
y Prou. 20 e
z Iob. 11. d
a Isa. 58. e

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. Mariæ Virg.

SERMO. II.

1. Sicut ad diem natiuitatis, id est, aduentus Dominici, pertinuit illa gratiarum actio & vox laudis: *benedictus qui venit in nomine Domini* [a], & ad diem apparitionis, id est, nostræ illuminationis illud quod sequitur, *Deus Dominus & illuxit nobis:* sic etiam quod subsequitur. *Constituite diem solennem in confrequentationibus* † *vsque ad cornu altaris;* non absurdè, vt arbitror, pertinere dicetur ad hunc diem, nobis vtique celebrem, frequentia solenni: diem scilicet Dominicæ præsentationis, quando à Matre solenniter ad Altare præsentatus est Patri. Nam & in eo quòd adiungitur: *Deus meus es tu & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te: confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem:* quid eam conuenienter accipimus quàm fidem & confessionem Simeonis & Annæ, *qua & ipsa hora superueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant consolationem Israel* b? Benè ergò citharista noster monebat læitari Hierusalem & conuentum facere in die tam solenni, *Constituite*, inquiens [c], *diem solennem in confrequentationibus, vsque ad cornu altaris.* Non mediocris aut parum solennis illa frequentia fuit, cùm inde venit Iesus & Maria cum turba parentum inducentium puerum, *vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo* d, inde occurrit Simeon & Anna cum turba expectantium consolationem Israel, quibus testificati sunt de eo.

e Psal. 117 d
* vulg. legit in condensis.
Ibidem.
b Luc. 2. f
c Psal. 117 d
d Luc. 2. d

2. Non crediderim ego de hac solennitate quæ tam pium, tam lætum conuentum habuit, illam fuisse Prophetæ querelam lacbrymabilem [e]: *Viæ Sion lugent, quia non est qui veniat ad solennitatem:* nisi fortè arguat paucos venisse de tanto populo qui erat in omni Iudæa & Hierusalem. Ad comparationem siquidem tantæ multitudinis pauci venerunt, & de ipsis paucis paucissimi, vt arbitror, eum receperunt, cùm præsentem viderent diu expectatum, sicut voce Patris per Malachiam fuerat repromissum. *Ecce*, inquit [f], *veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis.* O Iudæi adest ecce Dominator quē vos quæritis, cur offerentem se vobis non recipitis? Quæritis & non quæritis. Sed si quæritis, quærite: conuertimini & venite g. Quæritis qui redimat de manu hominum, non quæritis, qui redimat de manu dæmonum. Quæritis qui eruat de seruitute Romanorum, non quæritis qui eruat de captiuitate vitiorum. Si verè vtique liberatorem quęritis, quærite liberatorem animarum vestrarum, qui saluum faciat populum suum à peccatis eorum. Si quæritis sublimem, quærite prius humilem, quoniam, vt ait Daniel h *humillimum hominem constituet Deus super omne regnum.* Si quæritis dominatorem potentiæ, quærite prius doctorem iustitiæ, quia iustitia firmabitur thronus eius [i], & iustitia & iudicium præparatio sedes eius[k]. Quia enim perfectè non quæritis, ideò nec præsentem inuenitis, sicut de vobis ipse prædixit [l]. Quærent me mali, & non inuenient me, quia oderunt me: Quærent absentem, nec inuenient etiam præsentem, quia oderunt lucem mala eorum opera arguentem, cùm sapientia non nisi per dilectionem possit quæri, nedum inueniri. Simeon namque, quia pio & fideli quærebat desiderio, quæsitum inuenit, & inuentum agnouit sine alterius indicio, sine humano scilicet testimonio. Nam Spiritus est qui testificatur, quoniam CHRISTVS est veritas[m]: virtus vtique quæ de ipso procedit, vnctio docens de omnibus, quæ de illo singulariter secundum nomen suum vnctio, multiplicitet profluit.

e Thren. 1. a
f Mal. 3. a
g Esa. 21.
Iudæorū peruersitas Messiam desiderātium & præsentem repudiantium.
h Dan. 4. c
i Prou. 25. a
k Ps. 88. c
l Ioan. 7 c
Christus à quibus inueniatur quæsitus.
m 1. Ioan. 5. b

3. Quid autem putamus fratres mei, vnctus iste, qui vngit etiam quos non tangit, quomodo candidum & sanctum pectus senis nostri perunxerit, cùm suscipiens eum in vlnas suas, astringeret eum vberibus suis, & gestiret includere si posset in intimis cordis sui? Quid, inquam, putamus ille suauis & mitis, qualem insinuabat seipsum castissimo sinui pii senis, qualis illabebatur medullis, quàm delectabilem & salubrem, imò quàm omnino ineffabilem se implicabat ossibus, inspirabat sensibus? Prorsus liquescebat vt ita in vnctionem, quasi ad ignē resolutus ad amplectentis amorem: vt nimirum doceret vnctio quod dicit lectio, sed non discit nisi dilectio. Quomodo enim legis? *Vnguentum*, inquit n, *exinanitum* * *nomen tuum.* Hoc siquidem vnguentum exinanitur cū à quadam duritia sui resoluitur, non vt pereffluat substantia illius, sed vt fluant aromata illius, vt quasi nihil habens solidi sentiri possit, teneri non possit. Aut certè magis anima Senis liquescebat in amplexu huius vncti, vel vnguenti: vt diceret *anima mea liquefacta est*, vt dilectus meus infusus est mihi. Infusio itaque vnctionis, testimonium est vncti. Hæc Seni testabatur de pueto, Simeoni de Christo, tanquam spiritus veritatis & charitatis: veritate docens, charitate vngens, & accendens, & omnia interiora gelidi Senis ponens, quasi tūm vnguenta bulliunt. Motus bullientium vnguentorum, æstus desideriorum: sonus eorum, iubilus affectuum pariter dicentium, (si tamen aliquid exprimere valeorū), *Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te* o. *Lumen ad reuelationem gentium: & gloriam plebis tuæ Israel* p annuntians te. Confitebor inquam tibi, quoniam exaudisti me, quotidie cum lachrymis dicentem, *quando consolaberis me?* Exaudisti me & nunc demum Simeonem, id est, exauditum fecisti me: *quia factus es mihi in salutem* q. Iesus mihi factus ex semine Dauid secundum carnem, qui Dauid, & omnia fecisti secundum deitatem.

Christus vnctioni seu vnguento comparatur.
n Cant. 1. a
* vulg. effusum.
Simeonis anima quomodo hoc vnguento vncta & liquefacta.
o Isa. 55.
p Luc. 2. e
q Psal. 117. f

4. Omnibus quidem generaliter factus es in saluatorem, sed mihi specialiter factus es in salutem: pectus morbidum perungens, vitalemque resuscitans calorem, animam refocillans, & oculos illuminans. Defecerat enim anima mea in salutare tuum ô Domine, Pater Domini mei Iesu Christi, *defecerunt oculi mei in eloquium tuum* r, *dicentes, quando consolaberis me?* Factus eram *sicut vter in pruina*, frigidus corpore, aridus corde, spiritu marcidus, & totus desiderio languidus. Sed quia in verbum tuæ promissionis supersperaui, non visurum scilicet me mortem, nisi viderem Christum tuum, quod speraui iam video; quod desideraui teneo, quod concupiui cōplector. Video Deum Saluatorem meum in carne mea, & salua facta est anima mea. Viderunt oculi mei salutare Dei: & illuminati sunt interiores oculi mei qui languebant præ inopia. Omninò ad tactum huius pueri,

Simeonis senis renouatio.
r Psal. 118. l

huius hominis noui, renouata est vt Aquilæ iuuentus mea, sicut paulò ante mihi loquens pollicebat, *Introibo ad altare Dei*, vbi Maria Iesum offert patri, *ad Deum qui lætificat senectutem meam*, imo renouabit *iuuentutem meam*. a Psal. 42. a

5. Annæ viduæ commendatio. Nec minore fortassis gaudio exultabat cor Annæ in Domino: quę, vt arbitror, tantò maioris fuit meriti, quantò altioris propositi & sanctioris desiderii, quam illa Anna mater Samuelis: cùm illa cogitaret quæ mundi sunt, quomodo placeret viro, hæc quomodo Deo: illa de throno viri quæreret sobolē, hæc de sinu Patris peteret Saluatorem. Hæc igitur quodam præsagio gratiæ excellentis quæ in vita eius effloruit, qua etiam gratiam redemptoris agnoscere & prædicare meruit, gratiæ nomen accepit: exemplar veræ viduitatis, speculum sanctitatis, & viuum in emortuo corpore simulacrum totius victoris. Hæc finem Legis & initium Euangelii sentiens propinquare, ritus Iudaicos Christiana iam cœperat pietate mutare: ieiuniis potius & orationibus seruiens nocte ac die, quàm cibis & potibus & variis baptismatibus, iustitiis carnis non animę. Inde erat quòd benedictione filiorum, quæ in lege magni habebatur, contempta, nomen melius à filiis & filiabus elegerat, & iam per annos octoginta quatuor, lignum esse aridum, lignoque insidere arido, tanquam turtur amissa semel coniuge gaudebat.

6. Senex iustus & vidua onus par turturū. Ecce habes par turturum, senem iustum, & viduam annis: vtrunque castum, vtrunque desiderio redemptoris gemebundum: qui vtique semetipsos hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, Domino & pro Domino obtulerunt. Par turturum sanè dico non coniugum, sed coniunctorum, non copula matrimonii, sed sacratioris mysterii: pares nimirum fide, æquales castitate, similes deuotione, consortes prædicatione gratiæ: ambos prouectæ ætatis, ambos perfectæ sanctitatis, qui etiam ante Euangelium, euangelicæ puritatis ac pietatis in vtroque sexu primitias dedicauerunt. Hi duo vario decore virtutum adornauerunt thalamum tuum Sion ad suscipiendum Christum regem, non parietes templi tui, sed penetralia cordis sui: secreta cubiculi, vbi adorare Patrem in spiritu & veritate iubemur[t]; vbi & suscipitur, qui in manu factis se nequaquam habitare testatur[u]. In istis itaque suscepit Christum fidelis Sion, in istis gaudens & lætabunda occurrit Deo suo. Alias vix habet vbi reclinet caput suum: & secundum Esaiam[x]; *Aperiatus est, & non est qui occurrat*. Sufficit tamen istorum occursus ad omnem solennitatem & lætitiam, eò quòd consummatio abbreuiata inundet iustitiam, & consummata atque abundans iustitia paucorum, facilè compenset infidelitatem multorum.

t Ioan. 4. e
u Act. 7. f
x Esa. 36. c

7. Processio hodierna quam celebris. Mihi omnino celebris est iste conuentus, mihi solennis ista processio, omnique festiua gaudio, vbi hinc aduenit puer & puerpera, Iesus & Maria: inde occurrit Senex & Vidua, Simeon & Anna: hinc Dominus & Domina, inde seruus & ancilla: hinc mediator & mediatrix, inde tam fideles tamque deuoti ipsorum testes & ministri. In hoc denique conuentu *misericordia & veritas obuiauerunt sibi*: misericordia scilicet redemptionis in Iesu, veritas confessionis in senibus. In hoc occursu, *iustitia & pax osculatæ sunt*: dum iustitia piorum senum, & pax reconciliantis mundum inuicem in osculo affectuū & gaudio Spiritus consociatæ sunt. Rectè ergo quod hac nocte cantauimus, ad lætitiam huius diei pertinere credimus, saluo duntaxat alio profundiore intellectu[y]. *Lætare Hierusalem: & diem festum agite omnes qui diligitis eam*. Ac si diceretur: Lætata est Nazareth de annunciatione, Bethleem de natiuitate: Lætare & tu Hierusalem de purificatione, quoniam qui in Nazareth conceptus, & in Bethleem natus est, in Hierusalem est susceptus & prædicatus. *Et idem*, inquit, *festum agite*, siue cōuentum facite, *omnes qui diligitis eam*, scilicet Hierusalem, id est, festiua deuotione conuenite in templum, ad suscipiendum redemptorem, omnes qui expectatis redemptionem Israel.

y Esa. 66. c

8. Iam verò, Fratres, si moraliter, sicut mos vester est, ædificari vestra quærit sanctitas, quatuor illas illustres in hac processione consideret personas: quarum vita non solùm Ecclesias illustrat, sed & cœlos adornat: Iesum loquor & Mariam, Simeonem & Annam. Et vt ab inferioribus ad superiora progrediatur sermo; in Anna, quæ ieiuniis & obsecrationibus seruiebat nocte ac die, ieiunium nobis commendatur & oratio: in Simeone, qui tanto Iesum amplectitur gaudio, pietas & deuotio: in Maria, quæ cùm nihil deberet legi, in hac scilicet partus purificatione, legem nihilominus impleuit, humilitas & obedientia: in Domino autem Iesu, qui factus ex muliere, factus est etiam sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, charitas & misericordia. Nam castitatis sanctimonia, cuius laus, vt comperi, vestram semper puritatem delectat, in omnibus effulsit communiter, licet satis dissimiliter: cùm in senibus fuerit labore continentiæ, in puella munere gratiæ, in puero iure & proprietate naturæ: non pueritiæ recens ortæ, sed puritatis innatæ. In ipso non solùm huius virtutis, sed etiam omnium origo & perfectio; ab ipso singularum distributio; per ipsum earum conseruatio; apud ipsum remuneratio. Apud ipsum igitur ambiamus tam virginis Mariæ, quàm Simeonis & Annæ meritis suffragantibus, vt quod minus habemus virtutis largiatur, quod largitus fuerit mereatur: vt depositū ipsius, per tutelam ipsius integrum ei reconsignantes, remunerationem consequamur ipsius, Qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Quatuor illustres in hac processione personæ quid nos doceant.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. Mariæ Virg.

SERMO III.

Senex puerum portabat.

SEnex plenus dierum, puerum antiquum dierum. Longitudine dierum adimpleuerat Deus senem istū, vt ostenderet ei salutare suum in vultu nostro; sed adhuc aliorum longitudine dierum adimpleturus erat, vt ostēderet ei salutare suum in vultu suo. Plenus ergò dierum temporalium portabat antiquum dierum antiquorum, atque spei æternæ pignus fidelissimum tenebat in sinu repositum: quod videlicet dies suos, super dies regis adiiceret puer ille, iuuentutemque eius renouaret vt aquilæ. Quanquam senem quoque istum, sicut Abraham, cùm dicitur, *plenus dierum*, libentius accipiam plenum virtutum quàm temporum, cùm tempora statum nullum habeant, suoque accessu decedentia, hominem potius exhauriant quàm adimpleant. Sed neq; magnum est, imò magis malum est, multis vixisse diebus, si non senueris virtutibus: cùm puer centum annorum moriturus sit, & peccator centum annorum maledicēdus[a]. Ideo *si annis multis vixerit homo*, vt ait Salomon[b], *& in omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita*. Cæterum ècontrariò *senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt enim sensus hominis & ætas senectutis vita immaculata*[c]. Si hac vtique senectute Simeon non consenuisset, nunquam coronam senum, sapientiam Dei Christum portare meruisset. Si nāque scriptū est[d]: *Corona dignitatis senectus: quæ in viis iustitiæ reperitur*. Et quæ est illa senectus, quę in viis iustitiæ reperitur, quæ reperienti in coronam aptatur, nisi sapientia Dei Christus? Ipse namque meritò iustorum operum tribuit canos sensus sapientiæ, quam postmodum formabit iustis in coronam gloriæ. Sanctus itaque senex Simeon, vt sanctius senesceret adhuc, senectutem sapientium, siue sapientiam senum factam puerum, in viis iustitiæ, cùm scilicet in spiritu venit in templum reperit, & comperit in veritate: quia senectus erat in lactente, sapientia in infante, virtus in infirmitate; verbum in carne. O infantia, ô senectus! quàm benè vobis pariter conuenit in huius pueri sensibus & moribus, quo vtrique nihil innocentius, sed nihil sapientius: nihil iucūdius, sed nihil maturius, nihil mitius, sed nihil iustius.

Senectus non annorum sed morū commendabilis.

a Esa. 65. d
b Eccle. 11. e
c Sap. 4. b
d Prou. 16. d

Vobis, ô filii hominum, vobis iam tunc ipso suo silentio loquebatur Dei sermo, vt videlicet malitia sitis paruuli: sensibus autem perfecti. Alii siquidem ex vo- A

Simplicitatis & prudentiæ temperamentum à Christo discendum.

bis columba seducta, non habens cor, simplicitatem non salientes prudentiâ, relinquuntur fatui: alii sapientes sunt vt faciant mala benè autem facere nesciunt: & prudentiam non dulcorantes bonitate, efficiuntur acerbi. Prorsus congruum & gratum vtrisque temperamentum atque condimentum puer iste antiquus dierum, in pueritia præferens ingenitam sibi innocentiam, & de antiquitate dierum referens primogenitam omnium sapientiam. Si quis se imperfectum sensibus aut inconditam intelligit moribus, veniat in templum cum Simeone, & puerum quem mater affert Maria, accipiat in manibus; id est, verbum Dei, quod mater offert Ecclesia, complectatur affectibus. Ipsum vtique repositum in sinu sensus ædificabit, mores dulcorabit, totum statum mentis & ordinem vitæ grata & salubri suauitate temperabit. Non solùm autem mater Ecclesia in audiendo, sed multò magis mater gratia in orando, puerum tibi dabit amplectendum, si modò frequens & deuotus orator venias in templum, vt dicas quotidie Deo[d]. *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.* Quem enim Ecclesia prædicans offert auribus, gratia illuminans infert cordibus, eò vtique præsentiorem & suauiorem, quo nudam veritatem puris tradidit sensibus. B

Ecclesia prædicans Verbũ offert auribus, gratia illuminans infert cordibus.

d Psal. 5 b

Veritatem quippe quæ est Christus, Maria vestitam carne, Ecclesia vestitam sermone, gratia nudam tradit amplectendam Spiritus infusione: quanquam hoc ipsum diuerso modo fiat, pro captu scilicet suscipientis animæ, siue pro arbitratu dispensantis misericordiæ. Licet enim ipsam summæ veritatis faciem non facilè videamus, magnusque habeatur, cui vel per speculum, & in ænigmate eam intueri datur: quiddam tamen ipsius, cùm Spiritus nobis illabitur, veluti nudum sentimus, sensusque noster in amorem ipsius veluti ad nudum confricatur. Tunc prorsus ex sententia dicere possumus, & cantare lætabundi[e]: *Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.* Beatus qui vt dignius & crebrius eam suscipiat, congruum ei locum in cordis penetralibus parat. Beata Sion illa, quæ thalamum suum diligenter ac decenter adornat, vt eum digno ac placito Christum regem honore suscipiat. C

e Psal. 47. b

3. O sancta Sion, anima speculans æterna, considera quæ sit illa maiestas suscipienda; cogita qua cura ac diligentia te illi præparare locum oporteat. Si quis dixerit, & ad hæc quis idoneus? quis esse potest magnificentiæ & gloriæ tanti regis congruus ornatus? Iustitia, inquit, Dauid, paupertatem quispiam causetur, *In pace factus est locus eius*[f], *Et iustitia & iudicium præparatio sedis eius*[g]. Simeon vtique quia huiusmodi palliis thalamum adornauit, ideò Christum cum multa suscipere gratia dignus fuit. Vis videre quia in pace inuenerat locum Domino, quia sedem præparauerat ei in iustitia & iudicio? *Homo*, inquit[h], *erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus.* In pace erat domus Simeonis, qui habitabat in Hierusalem: id est, in visione & amore pacis, de qua scilicet Hierusalem audierat Dauid promittentem[i], *Non commouebitur in æternum qui habitat in Hierusalem.* Et vt noueris, quia pacis habitator & amator erat, pacemque imperturbabilem illius stabilis & æternæ Hierusalem præ omnibus requirebat, cùm pacem Dei & hominum Iesum, qui pacem super pacem dare veniebat, sinu recepit: hæc prima vox de pectore senis iamdudum pacem meditantis erupit[x]; *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace.* Postquam viderunt oculi mei salutare tuum, qui est pax nostra faciens vtraque vnum, non solùm Iudæum & Gentilem, sed etiam Deum & hominem; & in homine spiritum & carnem: iam hoc solùm superest desideriis serui tui, vt *in pace in id ipsum dormiam & requiescam*[l], & pax Dei quæ exuperat omnem sensum, me totum in illius summæ & simplicis vnitatis absorbeat consensum. Venit pax quam sustinui, requiescat in pace, qui pacem quæsiuit, & quæ pacis sunt sectari semper D

Quis optimus modus seu ornatus suscipiendi Regem cœlorum.

f Psal. 75. a

g Ps. 88. c

h Luce. 2. c

i Psal. 124. a

x Luc. 2. d

Christus pax nostra faciens vtraque vnũ.

Ps. 4. b

studuit. Sic quippe Esaias ait[m]: *Veniat pax, requiescat in cubili suo, quia ambulauit in directione sua.* In pace vtique Simeon strauerat cubile suum, qui omnibus aliis curis eiectis solùm in corde meditabatur Iesum, vbi & reclinauit susceptum. In directione quoque sua ambulauerat, qui iustus & timoratus erat, & expectans consolationem Israel, aduentanti quotidie desideriis occurrebat. A

m Esa. 57.

4. In eo igitur quod iustus dicitur & timoratus, iustitiã & iudicium intellige, quo sedes Dei præparatur. Et iustitia quidem suo nomine demonstratur: iudicium verò timoris nomine, vel timor nomine iudicii ideo rectè accipi posse putatur, quia scilicet timor non solùm nascitur de futuri consideratione iudicii, sed etiam operatur nunc in nobis quandam illius formam & executionem iudicii. Qui enim prohibemur[n] iudicare ante tempus de proximis, iubemur de nobis[o]: vt dum nosmetipsos diiudicamus, à Domino non iudicemur. Porrò timor iste sanctior est, cùm iustitiam sequitur, quàm cùm præcedit: quia qui præcedens ad iustitiam initiat, sequẽs eandem consummat & conseruat: dum scilicet de iustitia præsumere non sinit, sed omnia opera sua hominem vereri facit, vt post iudicium sui adhuc de subtiliore iudicio suspectus sit, dicatque sibi[p]: *Qui iudicat me Dominus est*, qui cùm acceperit tempus, etiam iustitias iudicabit. Qui sine timore isto est, non poterit iustificari, vt scriptura testatur[q]: quia quantumcunque se iustis exerciter operibus, alieni comedunt robur eius, dum suam volens iustitiam constituere, iustitiæ Dei non est subiectus. B

n 1. Cor. 4. a

o 1. Cor. 11. g

Timor iustitiæ comes.

p 1. Cor. 4. a

q Eccli. 1. e

5. Vigilanter itaque Euangelium perfectam commendans Simeonis iustitiam, non ait, timoratus & iustus, ne timorem qui est initium iustitiæ intelligeremus: sed ait *iustus & timoratus*, vt timorem qui iustitiæ per omnes gradus comes indiuiduus ipsam promouet & tuetur, ipsius exemplo disceremus. Nam neque illud putauerim ociosum, quod non timentem dixit, sed *timoratum*: non nouum, non horarium, aut perfunctorium volens intelligi timorem illum, sed qui vnque versus esset in habitum, qui altius hominis imbibisset affectum, possideret sensum, modestia & grauitate sermonem ornaret & vultum, circumspectione moderaretur actum, totum denique interioris & exterioris hominis componeret statum. Neque enim vanis animum consolationibus resoluebat, qui consolationem Israel expectabat. Quod & ipsum ad suæ cumulum adiecerat iustitiæ, vt sollicitus non pro sua tantùm, sed etiam pro populi consolatione, longa suspensus maneret expectatione. C

Simeonis præclara virtus.

6. Denique vt manifestius audias quàm precioso ac vero nitore virtutum non fuco colorum adornauerat thalamum suum illa Sion, id est Simeon, *Spiritus sanctus*, inquit, *erat in eo.* Quid huic ornatui Sion illa terrena comparare poterat, in omni illa multifaria thalami, id est, templi sui ambitione & gloria? Si faciem templi coronis ornasset aureis, quid aurum nisi lutum etiam sine comparatione virtutis? Puto quia nec Salomon in omni gloria sua ornatus est sicut Simeon: cùm ille sapientiam qua florebat in senectute perdiderit, iste susceperit. Te tamẽ, ô infidelis Sion, thalamus tuus arguit, quòd cùm satis tibi prædictum esset[r], *Ecce veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis*: adorna thalamum tuum Sion, *induere vestimentis gloriæ tuæ ciuitas Sancti*, tu tamen nihil prorsus ad quotidianum cultum templi in aduentu ipsius addidisti, non vela, non coronas, non lucernas plures, aut victimas, non alios Psalmos, aut cantica, omnino inhonoratũ, insalutatum remisisti, qui te salutare venerat. Ideo vtique tuus ille thalamus, domus gloriæ tuæ deserta tibi relinquetur, imò non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Tibi enim Domine templum augustius, amplius & perfectius, scilicet Ecclesiam magnam à solis ortu vsque ad occasum fides, ædificabit gentium[s], *& secundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ*, vnde etiam hodie laudes audiuimus, gloriam iusti, voces scilicet laudantium & dicentium[t], *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio* D

Simeon ornatior quam Salomon.

r Malach. 3. a

s Psal. 47. b

t Ibid.

templi tui, id est, in communione sancti populi tui. O fratres, suscepistis misericordiam Dei & vos, imò abundantius vos, videte ne in vacuum susceperitis, ne gratiã ingratitudine vacuetis. Gaudeat ergo vestra deuotio: quem Simeon hodie portauit in sinu suo, vos omni die glorificate & portate in corpore vestro. Iesum Christum Dominum nostrum, cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

DE PVRIFICATIONE B. Mariæ.

Sermo IV.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ. Luc. 2.

1. SCriptura redemptionis nostræ narrans mysteria, sic refert quæ pro nobis historialiter sunt gesta, vt significet quæ moraliter à nobis sunt gerenda. Cùm enim hodie beatæ Purificatio Mariæ recolitur, manifestè de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem verò tanti non moueat auctoritas exempli, cùm videamus scilicet, quia illa sanctarum sanctissima quæ nihil purgãdum habuit, purgationis tamen legalis implere mandatum non tenuit? O mater immaculata, mater intacta, nonne tuæ tibi conscia es puritatis? quia scilicet integritatem tuam, nec conceptus, nec partus violauit, sed sacrauit? Quare ergo tanquam muliebre aliquid in concipiendo vel pariendo sis passa, sic mundationis, quæ muliebri prouisa est infirmitati, quæris remedia? Sic, inquit, decet nos omnes implere iustitiam[a], vt quæ summæ mater electa sum iustitiæ, speculum quoque sim totius & exemplar iustitiæ. Noui ego superbiam filiorum Euæ, quæ promptior est ad excusandum, quàm ad expurgandum commissa. Necessarium arbitror, vt vitiis originis antiquæ statim in initiis omnia nouæ generationis occursant exempla. Mater præuaricationis peccauit & excusauit procaciter, mater redemptionis non peccet, & satisfaciat humiliter: vt filii hominum qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem nouitatis trahant humilitatem purgandi.

Purificatio Mariæ nostræ nos admonet purificationis.

a Matt. 3. d

Mater Christi humilitate purgare voluit quod Eua superbiendo deliquit.

2. O filii hominum tempus purgationis aduenit, quando mater summæ puritatis, de cuius purgatione dies festus est nobis, pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis quod debeamus purgari. Satius est, ô fratres & iucundius fonte purgari quàm igne. Prorsus qui fonte non fuerint modo purgati, igne habent purgari, si tamẽ purgari meruerint: quando scilicet iudex ipse *quasi ignis conflans sedebit, conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui* b. Nunc Christus aqua diluens, tunc ignis consumens. Modò fons patens in ablutionem peccatoris & menstruatæ, tunc flamma sæuiens & ignis vorans vsque ad medullas animæ. De ardore siquidem irati fontis ille purgatorius ignis exardescet in conspectu eius, & inflammabit in circuitu inimicos eius. *Ascendit*, inquit c, *fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit.* Inde cadent super eos carbones pœnaliter purgatorii, quibus modò non adhibentur carbones salubriter desolatorii: qualem illum fuisse reor carbonem sublatum de altari, qui Prophetæ labia purgauit d. An verò & illi carbones huiusmodi queant intelligi, de quibus cuidam dicitur: *Ecce dati sunt tibi carbones, & sedebis super eos, hi erunt tibi in adiutorium:* vobis relinquo diiudicandum. Illud autem non dubius assero, quia ignis ille quem Dominus Iesus misit in terram, si vehementer (sicut est volũtas mittentis)[e] in nobis arserit, ignis ille purgatorius qui in iudicio purgabit filios Leui, non ligna, non fœnum, non stipulam consumenda reperiet in nobis. Vterque quidem ignis purgatorius, sed satis differenti modo. Iste siquidem purificat vngendo, ille vrendo. Hic refrigerium roris, ibi spiritus iudicii & spiritus ardoris, quo abluet Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Hierusalem lauabit de medio eius.

Duplex purgatio fontis & ignis.

b Malac. 3. a

Christus nunc aqua est diluens, post ignis consumens.

c Psal. 17. a

d Esa. 6. c

e Luc. 12. f

Ignis duplex homines purificans, alter vngens, alter vrens.

3. Est quidem & in hoc ipso multa Domini clementia erga filias Sion: sed longe clementius & mitius purificata est illa quam beatam prædicant filiæ Sion, Cui scilicet dictum est f: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hæc nempe supernæ virtutis obumbratio, vera fuit purificatio Mariæ, non ista quæ quadam mystica dispensatione tantùm specietenus hodie celebrata est. Hæc planè fuit tota ác vera sanctificatio Matris & Filii, sicut & Angelus exposuit ei. *Ideo*, inquit g, *& quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Antea namque purificanda erat natura mortalis, vt Deum conciperet, non posteaquam concepisset: cùm concepisse Sanctum sanctorum summa sanctificatio sit; & eà quę Mater ipsius sanctitatis effecta sit, nihil sanctius esse possit. Cùm ergo filię Sion quæ mollius & dissolutius viuunt, & ardorem forsitan experiuntur carnis, meritò purificandæ sint spiritu iudicii & spiritu ardoris: Virgo perpetua, ac singularis quæ sola Spiritus obumbratione Deum concepit, solo purificata est spiritu gratię & refrigerio roris. Omnium sanè purgationum quibus conditio reparatur mortalis hæc beatæ purificatio Virginis mitissima atque felicissima fuit: nam illa filiasũ Sion quæ purgatorio fiet igne iudicii, sicut nouissima sic & seuerissima omnium erit. Nec ista itaque potest esse nobis nisi admirationi, nec illa nisi formidini: quippe qui nec ad istam possumus aspirare, & in illam si sapimus semper formidamus incidere. Omninò si sapimus, semper clamabimus, plus emendatione morum, quàm strepitu verborum h, *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

f Luc. 1. d

g Ibidem.

Purificatio Virg. Deiparæ quanto dignior & felicior purific. filiarum Sion.

Prior nemini imitabilis, altera omnibus formidabilis.

h Psal. 6. a

4. Necessariè igitur nobis & misericorditer inter vtrumque genus purgationis illud summum ad quod non attingimus, & illud vltimum quod metuimus alia purgationum genera pietas prouidit diuina, sicut tempus & locum pœnitentiæ, sic plurima salutis indulgens remedia. Quæ licet multa ac varia sint, sub quatuor tamen generibus videntur omnia ferè posse comprehendi, ne scilicet indigesta multitudine rerum memoriam confundamus auditoris. Hæc igitur quatuor esse arbitror quibus opportunè & commodè his diebus purgationis nostrę purgari possumus: scilicet contritionem cordis, afflictionem corporis, opera pietatis & fidei, patientiam tribulationis. Ad hunc siquidem modum quatuor inuenies, quibus mundum generaliter purificat Christus, purgationem peccatorum faciens: *aquam* scilicet & *sanguinem spiritum* & *ignem*. Hic est, inquit Ioannes i, *qui venit per aquam & sanguinem. Hic est qui baptizat in spiritu sancto, & igni. Aqua* baptizauit, pedesque discipulorum lauit, dedicans baptismum quoque lachrymarum, quę de contritione profluunt cordis. *Sanguinem* fudit: vt & nos mortificatione corporis participantes eius passioni, lauemus stolas nostras in sanguine Agni. *Spiritum* dedit: vt charitas Dei ac proximi diffusa in cordibus nostris per Spiritum, multitudinem in nobis operiat peccatorum. Quę si minus perfecta est, vt tot & tanta non sufficiat operire, admouet *ignem* conflator ille, qui purgat filios Leui, & quicquid residuum est rubiginis, ignis excoquit, seu præsentis, seu futuræ tribulationis, vt tandem decantare possint[k], *Transiuimus per ignem & aquã, & eduxisti nos in refrigerium.* Sic nempe & mundus iste prius baptizatus aqua diluuii, postea purgatus igne iudicii, in nouum transibit statum incorruptionis.

Purgationis nostræ quatuor genera.

Christus quatuor modis purificat.

i 1. Ioan. 5. b

Aqua.

Sanguine.

Spiritu.

Igne, id est, tribulatione.

k Psal. 65. c

5. Denique vt teneris atque delicatis geramus aliquatenus morem, si lachrymas non habent, si labores horrent, si nesciunt ferre tribulationem, nunquid & illud excusabunt, quod Salomon commendat, *per misericordiam* inquiens l, *& fidem purgantur peccata?* Quid misericordia suauius? quid fide iucundius? Hæc oleum est membris, illa lumen oculis. Hęc vngit affectus, illa sensus illuminat dirigitque gressus, vt ad lumen eius ambules in tenebris, vt inuisibilia contempleris, & futuram tuam beatitudinem iam animo præsumptam mediteris. Benè autem dicitur, per *misericordiam & fidem* purgari peccata: quia misericordia de proprio impendens, redimit debita; fides autem etiam gratis sine operibus indulgentiam impetrat. De misericordia nempe dicit Propheta[m], *Iniquitates tuas redime misericordiis pauperum:* & Dominus prophetat tuo[n], *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* De fide autem ait Apostolus:

l Prou. 15. d

Misericordia & fide purgãtur peccata.

m Dan. 4. e

n Luc. 11. e

Fide mundans corda eorum. Et Dominus *Apostolorum*: *Vade*, inquit[o], *fides tua te saluum fecit.* Quanquam in hac Salomonis sententia, possit intelligi non fides qua credimus, sed qua credibiles nos exhibemus, dum fidem Deo & hominibus seruamus: vt quod hic dicitur, *Per misericordiam & fidem purgantur peccata.* & paulò post, *Misericordia & veritate redimitur iniquitas.* eadem sit in diuersitate verborum repetita sententia. Rectè igitur misericordia & veritas seu fides sociata sunt: cùm in omnibus viis nostris nisi misericordia & veritas obuient sibi, plus augeri quàm purgari peccata sit verendum: Vt enim de aliis actionibus interim taceam, & de misericordiis pauperum loquar, quas abundantius nunc fieri temporis huius postulat necessitas, quid in ipsis etiā quibus peccata purganda sunt peccati committitur, si misericordia fide, vel fides misericordia destituatur?

o Mat. 10. e

6. Audiant ergo quibus dispensatio credita est: audiant quibus credita non est: isti scilicet ne sic velint esse fideles, vt misericordiam deserant: illi, ne sic velint esse misericordes, vt fidem lædant. Sunt enim aliqui qui plus volunt esse fideles quàm oportet, & sunt aliqui qui plus volunt esse misericordes quàm eis liceat. Qui ergo cōtra fidem indebitam vsurpant misericordiam, audiant Salomonem dicentem[p]; *Multi homines misericordes vocantur, fidelem autem virum quis inueniet?* Qui autem velut propter fidem negligunt debitam misericordiam, audiant plus quàm Salomonem dicentem[q]: *Quod superest date eleemosynam:* vt saltem abundantia vestra aliorum suppleat inopiam. Multum prorsus pepercit infirmæ & pusillæ nostræ fidei; qui bona communia non ex æquo fratribus partiri, sed ex eo quod superest propriæ necessitati, iussit eleemosynam eis impertiri. Vt enim taceamus de iure naturæ, quæ quicquid parens omnium terra generat omnibus commune terrigenis adiudicat: illis saltem quibus indifferens est germanitas adoptionis, & communis sors hæreditatis, quomodo communis non erit vsus panis quem pater administrat cœlestis? Esto tamen, sit istud ius ordinatæ charitatis quod moderatio Euangelii suas cuique necessitates primùm excepit: quis ille est qui rectè metiatur necessitates proprias; qui inter necessarium & superfluum æquo iudicio discernat? Attendamus nobis, Fratres, ne de mortibus pauperum fratrum nostrorum incipiamus iudicari, si superfluè retinemus aut insumimus nobis vndè vita eorum valeat sustentari. Et quoniam hodierna purificatio purissimæ ac pauperrimæ Virginis, de nostra nos purificatione loqui commonuit, in hoc maximè nostrā constare puritatem nouerimus, si quicquid superfluum est nobis amputemus: vt non solum sanctitate castitatis, sed etiam simplicitate paupertatis aliquatenus æmulemur pauperem Matrem pauperis Christi, cui regnum & imperium, & nunc & per omnia secula seculorum. Amen.

Vtile monitū de præstandis eleemosynis.

p Prou. 20. a

q Luc. 11. e

Ex superfluo necessitatis propriæ, dandæ eleemosynæ.

NOTA
Sed quis æquus arbiter seu æstimator necessitatis propriæ;

DE PVRIFICATIONE VIRG. Mariæ.

Sermo V.

Adorna thalamum tuum Sion, & suscipe regem Christum: quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quem genuit adorauit.

Hic sermo aliâ habebatur inter Opera S. Bernardi. Ita etiā Bernal. in suffraganeis dict. t.

AD nos, Fratres, ad nos loquitur Spiritus sanctus, qui sumus Sion, qui sumus speculantes, qui die ac nocte leuamus oculos nostros ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Adornemus igitur thalamum nostrum, & suscipiamus regem Christum. Ecce, Fratres, Christus in propria veniens, & à suis repulsus, non habet vbi caput reclinet. Præ foribus nostris inter materna brachia vagiens, per Spiritum sanctum quærit hospitium, dicens: *Adorna thalamum tuum Sion.* Emundemus igitur thalamum nostrum, prius expellendo quæ oculos Christi intrando offendere possunt; & sic demum adornemus ea inferendo quibus delectatur & gaudet. Quæ sunt (ait forsitan aliquis vestrum) quæ oculos Christi offendere possunt? Cui dicimus: Nihil ita oculos eius offendit, sicut superbia, quæ Angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiso: quæ est initium omnis peccati[a]: quam hortatur nos Spiritus sanctus vitare dicens[b]: *Quid superbis terra & cinis!* Et alibi[c]: *Omnis caro fœnum, exiccatum est fœnum, & flos eius decidit.* Videamus nunc quid superbia fecit. Angelum de cœlo, & hominem expulit de paradiso. Meritò hæc oculos Christi offendit, quæ pulcherrimum opus eius in cœlo & in paradiso fœdauit, quæ fecit de Angelo diabolum, & de homine nuper creato iusto, perfidum. Quæ sicut & peccatorum primum & maximum, sic est omnium regina & mater vitiorum.

Nihil ita Deū offendit sicut superbia.
a Eccli. 10. b
b Ibidem.
c Esa. 40. b

Videndum est igitur & sollicitè considerandum, vt eam mens nostra cum tota prole sua excludat, vt thalamus noster emundatus & ornatus Christum regem qui foris * pulsat, suscipiat. Cum tota, inquam, prole sua, septem scilicet principalibus vitiis. Quæ sunt hæc? Inanis gloria, inuidia, ira, tristitia, auaritia, ventris ingluuies, luxuria. Hæc sunt filiæ superbiæ, quæ matrem suam sequuntur: quæ hospitium quodcunque intrauerint, fœtidum reddunt. Sed quæ nobis cum istis communio? Quis consensus templo Dei cum idolis? Nulla nobis (Deo agimus gratias) cum eis societas, quas exuentes veterem hominem cum actibus suis, gladio veræ confessionis & pœnitentiæ enecauimus. Nihil igitur in nobis vltra possit superbia, quæ de Archangelo diabolum, & de primo homine fecit impium, & Creatori suo rebellem. Nihil habeat in nobis vana gloria, qui à die cōuersionis nostræ, in cruce Domini nostri Iesu Christi cœpimus gloriari cum Apostolo dicentes[d]: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Gloria itaque nostra sit crux Christi quam portamus, & testimonium conscientiæ per crucem Christi purgatæ. De qua Apostolus ait[e]: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* In qua conscientia gloriari de donis Dei, est Deo gratias agere. Ad quod nos hortatur Apostolus dicens[f]: *Qui gloriatur, in Domino glorietur:* id est in Domino de puritate conscientiæ suæ glorietur. *Non enim qui seipsum commendat,* &c. Cæterum qui in se gloriatur, & qui sibi placet, stulto homini placet. Qui in alio homine gloriatur, aut laudem in mente ab ore alterius expectat, mercedem operum recipit, ac oleo peccatoris vngit caput suum, audiatque prophetam sibi dicentem[g]: *Maledictus homo, qui ponit spem suam in homine.* Et in die iudicii cum dixerint, *Domine Domine aperi nobis,* aiet[h]: *Amē dico vobis nescio vos.* Hæc vana gloria filia est superbiæ, quæ in quocunque fuerit, inobedientem facit.

2.
* al. foris.
Superbiæ proles.
Religiosi quā à superbia debeant esse alieni.
d Gal. 6. e
e 2. Cor. 1. b
f 1. Cor. 1. d
Non gloriandum in seipso aut in homine.
g Hier. 17. a
h Mat. 25. a

3. Rursum post conuersionem, nihil vltra in nobis habeat inuidia, per quam mors intrauit in orbem terrarū[i]. Diabolus enim inuidit homini ascensum vndè corruerat, & propter hoc tentauit, & in anima occidit. Hæc est illa quæ non magnos, sed paruos semper torquet, dicente sancto Iob[k]: *Paruulum occidit inuidia.* In eo enim quòd aliquis alicui inuidet minorem se ostendit ei cui inuidet. Sic diabolus inuidit primo homini, sic Esau Iacob, & Cain Abel. Hæc inuidia paruulum occidit; quia nisi inferior esset, de bono alterius non doleret. Hac peste nullus moritur, nisi qui terrena hæc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Vndè si qua desiderat, illi inuidet qui penitus ea accepit, vel illi partem habendo quantitatem ei restringit. Hunc paruulum occidit inuidia, quia dum non potest adipisci quod alii inuidet, in odium (inuidiæ filiam) cadit.

Inuidia religiosos dedecet.
i Sap. 2. d
k Iob 5. a
Non nisi pusillorum est.
Ex terrenis appetentium.

4. Rursum, Fratres, post conuersionem nostram ira non habeat in nobis locum, quia, vt ait Dominus in Euangelio, gradatim ducit ad gehennæ puteum, dicens[l]: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit racha,* hoc est, vicem indignationis per iram emiserit, *reus erit concilio,* in quo tractatur qua pœna sit mulctandus. *Qui dixerit fatue,* hoc est tale quid fecerit aut verbo aut verbere, vt inter fratres despiciatur, *reus erit gehennæ ignis,* nisi resipuerit. Hæc est ira quæ stultorum oculos extinguit, sapientium oculos nonnunquā turbat dicēte Psalmista[m]

Ira à religiosis exulet.
l Matt. 5. c
m Psal. 6. b

Tor-

n Iob. 5. a
Ira duplex: altera ex vitio; altera ex virtute seu zelo rectitudinis.
o Psal. 4. a
p Ephes. 4. c
q Eccles. 7. a

Turbatus est præ ira oculus meus. Et de ira stulti Iob ait n: *Virum stultum interficit iracundia.* Ecce duas iras videmus, quarum altera nonnunquam turbat oculum, altera semper extinguit. Altera venit ex impatientia, altera ex zelo rectitudinis. Altera venit ex vitio, altera ex virtute. De altera quæ venit ex virtute Psalmista ait o: *Irascimini, & nolite peccare.* Quasi dicat: Crudeles estote in vitium, mites in fratrem, considerantes vosmetipsos, ne & vos tentemini. De altera quæ venit ex vitio, ait Apostolus p: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, id est, Christus qui est sol iustitiæ, mentem vestram irascentem non deserat, qui cum ira nunquam habitat. Irâ, quæ venit ex zelo rectitudinis, debemus irasci prius nostris erratibus, & post erratibus proximorum: quæ melior est risu, quia per tristitiam vultus, corrigitur proximus q. Quæ debet tamen subesse rationi, ne sit immoderata, sed in vltione peccati tempus & modum consideret. Hæc sapientes interdum turbat. Ira per vitium stultos occidit, dum in rixas & in contumeliam linguam relaxat.

5.
Tristitia vitiosa.
Tristitia virtuosa.
r Psal. 119. a
s 2. Cor. 6. b
t Ioan. 16. c

Rursum Fratres, post conuersionem nostram muniendus est thalamus cordis nostri, ne tristitia sediens introeat, illam dico quæ mortem operatur, quæ de amissione rerum temporalium venit. Hæc est illa quæ prauas cogitationes generat, murmurosum monachum reddit, quæ fastidium parit, & tenentem aratrum Dei cum vxore Loth retrò respicere compellit. Sine dolore namque non potest amittere, quod cum inordinato amore possedit. Hanc itaque tristitiam quæ mortem operatur excludamus; & intromittamus eam quæ venit de memoria peccatorum, & de peregrinatione nostra, dicamusque cum Psalmista r: *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Hæc est tristitia quæ vitam operatur, de qua ait Apostolus s: *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* Hæc est illa de qua Dominus ad discipulos dicit t: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Altera parit mortem, parit animi rancorem.

6.
Auaritia religiosis detestanda.
u Coloss. 3. a
Auaritia est idololatria.
Auaritia seu ambitio prælationis.
x Psal. 118. e

Rursum, Fratres, post conuersionem muniamus thalamum nostrum, ne auaritia, quæ est radix omnium malorum, rediens introeat, nosque ab vnius Dei cultura abstrahat, idolorum cultores faciat. De qua inter cætera sic ait Apostolus ad discipulos suos u: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, quæ est idolorum seruitus.* Ecce auaritiam idololatriæ comparat: & meritò: quia sicut vni Deo idololatra nititur auferre gloriam, ne solus habeat nomen deitatis: ita auarus in Dei res se extendit, vt solus vsurpet quæ Deus omnipotens in vsum plurimorũ fecit. Vtraq; Deo inimica, quia negat Deo, quæ sunt eius. Est & auaritia non solum amor congreganda pecuniæ aut conseruandæ, sed ambitio prælationis, cùm nititur homo homini præesse. Hæc, vt verum dicam etiam pauperes (qui semel pro Christo reliquerunt sua) in tantum vexat, vt cõtra ius & fas, & propositum suum, non tantùm velint, sed etiã studeant fratrib. & conseruis præesse. Quod si Abbas aut Prior eorum voto non consenserit, irascuntur, obloquũtur, eosq; aut inuidos, aut sibi maleuolos (qui se nõ prouehunt) clamant. Hæc est auaritia quæ memoriam mandatorum Dei turbat, dicente Psalmista Domino x: *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam*, quæ proditionis est mater quæ Iudam Dei discipulum primum ad mandatorum Dei obliuionem, de obliuione ad proditionem, de proditione traxit ad laqueum.

7.
Gula religiosis cauenda.
y Exod. 16. a Num. 11. a & 14. a
z Esa. 22. d

Rursum, Fratres, post conuersionem nostram muniamus thalamum cordis, ne gula rediens introeat, quæ & Adam innocentiæ veste, & Esau priuauit primogeniti dignitate. Hæc est illa pestis quæ patres nostros in deserto ingratos beneficiis Dei fecit, quæ compulit eos murmurare contra Deum, & dicere y: *Vtinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus allia, cæpe, & pepones.* Hæc est illa funesta pestis quæ eos ad blasphemiam duxit, quasi non esset alia vita post istã, cùm dicebãt z: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, id est in futuro. Quasi dicerent: Hoc

a 1. Cor. 6. a
b Exod. 32. b

solum habemus quod comedimus, nihil in futuro post hanc vitam nos habituros speramus. Hanc pestem cum homine perituram pronunciat Apostolus dicens a: *Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & hanc destruet.* Hæc pestis tripertita est: quia aut ante horam canonicã, aut aliud quàm licet, aut plus quàm necesse est facit comedere: & carnis curam in concupiscentiis nititur facere. De qua nascitur inepta lætitia, sicut de populo Israel dicitur: b *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*

8.
Luxuria religiosis abominabilis.
c Matth. 12. d
d Osee 7. a
e Psal. 20. b
f Luca 13.

Rursum, Fratres, post cõuersionem nostram muniamus thalamũ cordis nostri, ne luxuria rediẽs introitum inueniat: quæ pestilentia rediens est prior quàm antẽ fuerat. Nunquã enim sola redit, sed sicut Dominus ait in Euãgelio c, *Assumit septem spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Hæc est pestis illa quæ corpus Christi dimembrat, quæ de mẽbris Christi facit mẽbra diaboli. Nã qui adhæret alicui personæ causa libidinis explendæ, vnum corpus fit cum illa personna, & fit mẽbrũ diaboli: cuius & illa mẽbrum est per coniunctionẽ malorũ operum. Hæc est illa pestis quæ ignẽ infernalẽ in corpus humanũ accendit, vt vegetum sit & robustum ad libidinem explendã: & quæ igni illi inextinguibili materiã semper apponit, & vires ministrat, vt de suo semper habeat vndè sine fine ardeat. De his duobus ignibus luxuriæ & gehennæ habemus auctoritatẽ scripturæ. De igne luxuriæ ait d: *Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.* De igne gehennæ ait e: *Pones eos vt clibanũ ignis in tẽpore vultus tui*, hoc est iudicii, vt intus ardeant (sicut clibanus accensus) in cõscientia: *Dominus in ira sua cõturbabit eos*, dicens f: *Discedite à me operarii iniquitatis.* Et deuorabit eos ignis extremus infernalis, quẽ accenderũt propter luxuriæ fœda opera. Sit ergo, Fratres, summa cura & summum studium his qui in talibus sunt, de talibus euadere & fugere.

9.
De Thalamo Sion adornãdo.
Primus ornatus, Timor.
g Prou. 28. b
h Psal. 2. c
Hic generat humilitatem.
i Luca 1. e
k Matth. 5. a

Nobis verò qui per gratiam Dei euasimus, & veterẽ exuimus hominem, qui sumus Sion, sit summum studiũ thalamum nostrum munire & adornare, & Christum regem suscipere, sicut hæc Scriptura præcipit quam recitauimus, *Adorna thalamum tuum Sion.* Quid est adornare thalamum tuum? Virtutes congregare, quibus & pauimentũ, & parietes quasi cortinis & floribus tota domus adornetur. Primus ornatus thalami nostri, qui sumus Sion, sit Timor, qui est initium sapientiæ, id est, primus gradus per quẽ ascẽditur ad sapiẽtiã. De quo timore ait Scriptura g: *Beatus homo qui semper est pauidus.* Et Psalmista ait h: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore*: vt timor auferat securitatem noxiam, & exultatio moriferã tristitiam. Hic timor generat humilitatẽ, quę est pretiosissim⁹ ornatus thalami Siõ, quæ magis placuit Christo cùm in thalamũ virgineũ ingrederetur, dicente beata Maria i: *Qui respexit humilitatẽ ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatã me dicẽt omnes generationes.* Hæc, inquã, humilitas est ornatus Siõ, id est pauperũ Christi, de quibus ipse dicit: k *Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnũ cælorum.* Ecce quomodo timor Domini primus gradus ascensionis, & primus ornatus thalami Sion, alios etiam ornatus generat, humilitatẽ scilicet, & voluntariã paupertatẽ. Adorna ergo thalamũ tuũ Sion, timore Domini.

10.
Secundus ornatus, Pietas.
l Eccli. 30. d
m Esa. 66.
Hæc generans mansuetudinem.
n Matth. 5. a

Secundus ornatus thalami Sion, & secundus gradus ad sapientiam, est pietas: de qua dicit scriptura l: *Miserere animæ tuæ placẽs Deo.* Et alibi m, *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum?* Hæc miseretur in se peccantibus; fraterna onera portat, magis eligit quælibet temporalia bona perdere, quàm cum fratre lite contendere. Quæ profectò pietas aliud nihil est nisi Deum colere, & per cultum Dei Deo placere. Hæc in nobis generat mansuetudinem, optimum ornatum thalami Sion, quæ filios Dei nos facit, dicente Domino n: *Beati mites, quoniam filii Dei vocabuntur.* Ecce quomodo pietas secundus ornatus thalami Sion, & secundus gradus ascensionis, alium ornatum de se generat mansuetudinem, quæ filios Dei efficit. Adorna igitur thalamum tuum Sion, pietate.

qui bonum habet, quod in se non habet: & in illo habeat, quod in se non videt. Neque enim credere debemus quòd soli sacerdoti supradictæ virtutes sint necessariæ, quasi solus consecret & sacrificet corpus Christi. Non solus sacrificat, non solus consecrat, sed totus conuentus fidelium qui astat, cum illo consecrat, cum illo sacrificat. Nec solus lignifaber facit domum, sed alius virgas, alius ligna, alius trabes, &c. comportat. Debent itaque astantes habere de suo, sicut & sacerdos, fidem firmam, orationem puram, deuotionem piam. Sciendumque quòd sine firma fide nemo astantium esse debet. Cæteras verò virtutes, quas supra diximus, & si omnes non habent, diligant illum qui habet quod in se non inueniunt, & in illo habent quod in se nondum vident. Sicut Petrus in Ioanne virginitatis habet meritum: sic Ioannes in Petro martyrii habet præmium.

Fideles sacrificio adsistentes, etiam suo modo concurrunt ad consecrationem sacramenti.

17. Sciendum quoque, quòd corpori Christi, quem Maria hodie præsentauit in templo, quem Simeon in vlnis suis suscepit, tria debemus; dignitatem, reuerentiam, & fructum. Dignitatem: vt eum Dei filium, Deum de Deo, omnipotentem, creatorem omnium, iudicem viuorum & mortuorum credamus. Dignitatem: vt credamus nos statim postquam de corpore exierimus, ab eo sicut à iudice percepturos sicut gessimus, siue bonum siue malum. Ille namque quē Maria in templo præsentauit, quem Simeon suscepit, quem in manibus consecrantes ante Deum leuamus, benedicimus, manducamus, vobis porrigimus manducandum: ille familiaris noster, iudex erit noster. Caueamus ergò ab eo separari per iudicium post mortem, cui ita sumus familiares in vita. Dicamus itaque ei in corde cùm eum tractamus, dicamus cùm eum consecramus: Domine ad te veniemus post mortem, ante tuum tribunal iudicandi astabimus. Qui nobis ita familiaris esse dignaris in vita, quòd à nobis tractaris, consecraris, manducaris: noli nobis alienus esse in morte, sed parce nobis in die mala. Confundantur dæmones qui nos tunc persequentur, destrue fortitudinem illorum in virtute tua: quia non est qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus & familiaris noster. Hæc est dignitas quam ei debemus.

Christi corpori tria debemus.

Dignitatem.

18. Debemus ei & reuerentiam: inuestigate scilicet nosmetipsos: & si inuenimus cor pollutum fœdis cogitationibus aut mala voluntate, ob eius contactu vt ab igne & nos & alios arceamus. Ignis enim consumens est i, ad quem indignus non debet accedere, ne interius consumatur, & in reprobū sensum tradatur. Exeat ergo extra castra, sicut Moyses præcepit[k], qui nocturno pollutus est somno, hoc est qui per negligentiam istius obscuræ vitæ (quæ tota vt somnus pertransit) peruenit vsque ad pollutas cogitationes. Exeat extra castra, hoc est dum in illo statu est, iudicet se indignum societate fidelium communicantium hoc sacro corpore, lauetque vestimenta sua per sanctam confessionem & post solis occasum, hoc est post tentationis calorem & ardorem iam mortuum, lætus redeat, & cum aliis fidelibus communicet. Hæc est reuerentia quam debemus corpori Christi, quem virgo Maria hodierna die in templo præsentauit, quem Simeon lætus inter brachia suscepit.

Reuerentiā.

i Deut. 4. d

k Deut. 23.

16. Debemus etiam fructum scire, intelligere scilicet quem fructum accipimus, si eum dignè comedimus. Audite fratres non me, sed Apostolum dicentem: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Calix, id est communicatio calicis, facit nos habere quandam communionem cum Christo. *Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis est Domini?* Ac si dicat, panis quem frangimus, facit nos vnum corpus sub Christo capite: quoniam sicut vnus panis ex multis granis conficitur, qui postea in corpus Christi & per fidem & per sancta verba, quæ Christus suos docuit, conuertitur: sic diuersi participantes hoc corpore in vnitate fidei, spei, & charitatis, vnum corpus cum Christo sunt, ad Christum statim post mortem venturi, & cum Christo sicut cum capite suo sine fine regnaturi: quem virgo concepit, virgo peperit, virgo in templo hodierna die præsentauit, Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Fructum.

l 1. Cor. 10.

NOTA Lector. Sermo præcedens hactenus operibus S. BERNARDI insertus solatus, ibidem quoque GVERRICO nostro tribuitur: sed stilus multum dissimilis facit, vt alium potius suspicer authorem. GVERRICI sane stilus pressior & neruosior est, modus quoque tractandi plus succi & vigoris habet: vt qui BERNARDVM ferè imitatur, at tantum non assequitur.

Confirmat suspitionem meam MS. quod his iam tum notatis primum nactus sum è Carthusia Coloniensi, vbi præcedens sermo non reperitur.

DE PVRIFICATIONE B. VIRG. MARIÆ SERMO VI.

Postquam impleti sunt dies purgationis: tulerunt Iesum in Hierusalem.

1. O Quam felix est, de quo dici potest: Impleti sunt dies purgationis eius: vt iam nihil aliud ei supersit, nisi vt ferant eum in Hierusalem supernam; & sistant eū Domino. Talis nimirum erat Simeon ille noster senex, tam desiderabilis, quàm plenus desideriis, cuius cum iā olim, vt arbitror, essent impleti dies purgationis, hodie impleti sunt etiam dies expectationis: vt iam secundum verbū Domini, nihil aliud ei restaret postquam vidisset Christum Domini, Christum pacem Dei & hominum, nisi vt dimitteretur in pace, & dormiret in pace in idipsum: hoc est, vt ferrent eum in Hierusalem pacis æternæ, & sisterent eum ad contemplandam pacem, quæ exuperat omnem sensum. O Simeon vir desideriorum, impletum est in bonis desiderium tuum! O beate senex, renouata est vt aquilæ iuuentus tua! Introisti iam ad altare Dei illud supernum, æternum totum aureum, ad Deum qui lætificat iuuentutem tuam æterna visione sui, cuius lætificauit senectutem hodierna visione Christi sui. Ad altare illud inuisibile iam ipse præsentatus es Patri; cui ad altare hoc visibile filium hodie præsentasti. Ibi filium ipsum quem hodie tuo sinu gestasti, æterno iam & indissolubili tibi conseris amplexu.

Simeonis impleti dies purgationis & expectationis.

2. Repletum est igitur in bonis beati senis desiderium, cuius tota erat expectatio & desiderium, expectatio gentium & desideratus earum. Renouata est vt aquilæ iuuentus eius, quoniam in senectute bona impleti sunt dies purgationis eius. Alioquin nequaquam illius capax nouitatis esse posset; nisi sedulò vetustatem his diebus expurgasset. Fratres expurgate vetus fermentum, dum tempus habetis ad expurgandum: vt cùm impleti fuerint dies vestræ purgationis, inueniamini & vos capaces illius gaudii quo plena est iam anima Simeonis. Et quidem dies qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus nolimus implemus: sed væ nobis si dies implentur, & purgatio minimè impletur: vt postea necesse sit illo nos igne repurgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita excogitari potest. Sed quis ille tam perfectus, tam sanctus, qui cùm hinc exierit, nihil illi debeat igni, qui sic ad purum omnem in se scoriam excoxerit peccati, vt gloriari possit castum se habere cor, vt dicere possit, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Pauci quidem sunt electi, sed inter illos paucos paucissimi sunt (vt arbitror) ita perfecti, vt purgationem illam impleuerint, de qua Sapiens dicit[a]: *De negligentia purga te cum paucis.* Omnino si de negligentia nos purgaremus, de paucis essemus. Nunc autem quoniam non modò minima, sed & maxima negligimus, longè à paucis de terra diuisi sumus, & de nobis dicit ille qui paucitatem sanctorum multitudini præfert negligentium, *inter multos erant mecum*[b].

Purgationem sui negligentes in hac vita, igni purgatorio seruantur purgandi.

Pauci illam euadunt.

a Eccl. 7. d

Accusatio temporis & negligentiæ nostræ.

Et quid hodie tam proprium simul & commune his quos religionis fouet vmbra, sicut negligentia, vt de meipso loquar, quotiens derident hostes sabbata mea? Quotiens dormitat anima mea præ tædio, diemque ferè totum ac si tempus reuocabile esset, inertia consumo? Et vtinam sic dormitaret anima mea, vt apertis & vigilantibus oculis, ipse mihi misero non fingerem somnia vana & illusoria. At nunc in peruersum mutata sententia, ego vigilo, & cor meum dormit, somnoque tam graui, vt vix aliquando valeat expergisci ad tonitruum supernæ illius increpationis[c], *Vsquequo piger dormis? Quando consurges è somno tuo? Paululum dormies*,

b Psal. 54. c 3.

NOTA.

c Prov. 6. a & 10. b

paululum dormitabis, paululum conferes manus vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Illud sanè miserrimum est, quod hodie non putatur iactura sed lucrum, si dies qui nobis ad purgationem dati sunt, elabantur nobis dormiendo, prætereant & pereant negligendo. Gentilis †, vt aiunt, cùm sederet ad mensam, venissetque in mentem nihil strenuum, aut memorabile se egisse die illo: cum gemitu graui & dolore mensam repulit, exclamans; *ô amici diem perdidi.* Nos hodie dicere videmur, diem lucrifeci, si sine opere totus per inertiam possit elabi. Sic nullus ferè est, qui tempori precium ponat *, qui cogitet apud se, quantum valeat ad comparandam æternitatem dies vna. Putasne est aliquis in nobis qui quotidianam dierum suorum à semetipso rationem exigat; qui cuiusque diei dispendia vel emolumenta diligenter sibi describat: vt si deprehenderit se hodie negligenter egisse, vindicet in seipsum et de cætero cautius agat? Beatus ille seruus quem, cùm venerit dies extremus, inuenerit ita facientem.

† Titus Fl. Vespas. Imper. v. Sueton in Tito. Temporis incuria & iactura deploratur. * Idem iisdem pene verbis queritur Seneca. Epist. 1.

4. Hoc nempe esset de negligentia cum paucis purgari, si rectè & vtiliter implerentur dies purgationis, vt aliquando posset accessus ad sancta salubriter obtineri. **B** Alioquin quandiu manserit quis in sanguine purificationis suæ, sanciuit æterna iustitia (sicut scriptum est in lege Mosi d: vt omne sanctum non tangat, nec ingrediatur sanctuarium, *donec impleantur dies purgationis eius.* Viderint ergo qua fronte ingrediantur sanctuarium, qua conscientia non solum tangant sancta, sed etiam tractent & sumant Sanctum sanctorum; qui scilicet nondum liberati de sanguinibus, nullum tamen suæ purificationis studium gerunt. An non audiunt protestantem & dicentem e: *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt?* Quid enim si mundus sum à sanguine alieno, & conculcari me Dominus videt in sanguine proprio, sicut de Hierusalem loquitur per Ezechielem f. Quid inquam mihi proderit, si veloces non sunt pedes mei ad effundendum sanguinem proximorum; & veloces sunt affectus mei ad acquiescendum carni & sanguini, de quibus dicit Apostolus g. *Quia caro & sanguis regnum Dei non possidebunt? Maledictus*, inquit Hieremias h, *qui prohibet gladium suum à sanguine*: id est, qui **C** vitia carnis & sanguinis sibi parcit abscindere. Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ i, ne cum sanguine purificationis meæ sanctuarium ingrediens, aut sancta contingens, reus inueniar Corporis & Sanguinis tui, indignè manducans & bibens. Veruntamen gratias tibi Deus Deus salutis meæ, qui in hoc ipsum preciosum tuum fudisti sanguinem, vt immunditiam nostri purificares sanguinis, tactumque peccatricis sanguinem fluentis, sed salutem desiderantis non abhorreres, sciens nimirum quòd nullus potest facere mundum de immundo conceptum semine nisi tu, qui solus es: nec sanis, sed malè habentibus, melius tamen habere cupientibus, medicus opus est. Tangere itaque Sanctum sanctorum, sicut illis quos delectat in sanguine suo versari iudicium est mortis: sic illis qui desiderant purificari, remedium est salutis, iuxta prophetiam Simeonis k. Quia *hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum.*

d Leuit. 12. b — Purgatio præmittenda Sacris mysteriis. — e Esa. 1. d — f Ezech. 16. a — g 1. Cor. 15. a — h Hier. 48. — i Psal. 50. c — k Luc. 2. e

5. Fratres, & vos quidem in sanguine fuistis, sed abluti estis, sed purificati estis. nisi quia sicut iustus cõfitetur l. **D** *si loti fueritis velut aquis niuis, sordibus vos statim intinget*, non solùm conditio corrupta, sed etiam voluntas infirma; vt semper nouis sordibus opus sit purificatione noua. Illa verò mirabilis & miserabilis est in hominibus sui negligentia, vt cum nemo sit qui se purificatione non indigere præsumat: vix tamen est aliquis qui tempus ad hoc indultum, quasi purgatissimus sit, non negligat. Fratres, *breues dies hominis sunt* m, sed tamen valdè preciosi sunt, imò quò breuiores, eò preciosiores; quia dies sunt purificationis, eum statim postmodum futuri sint dies retributionis. Beati qui in diebus istis lauant stolas suas, & candidas eas faciunt in sanguine A- **A** gni: ne postea vestimentum eorum, si mixtum fuerit sanguine, sit in combustionem & cibus ignis n. Nec solum timor vrget supplicii, sed etiam spes inuitat præmii: vt omni cura & instantia nostræ modò studeamus purificationi; vt quod hodie figuratè voluit in seipso filius Dei quadam dispensatoria specie, completum quandoque gaudeamus in nobis ipsa rerum veritate. Quid illud? *Postquam*, inquit o, *impleti sunt dies purgationis, tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino.* Et nos vtique si tempora purgationis legitimè fuerint à nobis impleta, tollent in supernam Hierusalem ministeria Angelorum, vt illic assistentes vultui Dei, oblatio eius simus accepta & immaculata. Ibi demum purificabimur ex toto: sicut à peccato, sic etiam à pœna peccati. Ibi nostræ purificationis ipsa erit consummatio quæ & remuneratio: cum scilicet diuinus ignis totos nos assumet in holocaustum Domino.

l Iob. 9. d — m Iob 14. e Tempus nostrum breue sed preciosum. — n Esa. 9. a — o Luc. 2. e Oblatio nostra in supernam Ierusalem.

6. Porro hunc ipsum beatissimæ purificationis inexplicabilem modum, nec modò quidem cessat æmulari deuotio sanctorum, quantum tamen corruptela corporum, & solicitudo terrenæ inhabitationis permittunt: dum scilicet mente excedentes in illam Hierusalem, **B** verum orationis locum, illic in conspectu Domini quasi turturem & columbam pro seipsis ac de seipsis offerunt: corde videlicet & carne exultantes in Deum viuum; quia scilicet *columba inuenit sibi domum & turtur nidum, altaria tua Domine virtutum* p. Ego tamen arbitror quod ad meritum non sit inferius, & fortassis ad purgationem efficacius, si illud quod per speculum & in ænigmate raiò & raris experiri datur, id est, vt in Hierusalem sistantur Domino, nos per fidem iugiter actitemus: proponentes scilicet Dominum in conspectu nostro semper, & oculos eius & iudicia super nos peruigili fide, irremissoque semper timore cogitantes. Fides ista, fratres, sit in vobis, & eritis de paucis: timor iste sit in vobis, & de negligentia purgabitis vos cum paucis; quia timor iste nihil facilè negligit. Denique ab initio huius fidei pertransibitis sicut sponsus sponsæ pollicetur, euntes de virtute in virtutem, à claritate in claritatem tanquam à Domini spiritu q: proficientes de visione quæ est per fidem, ad illam quæ est per speculum & imaginem: ac postremò de illa quæ est in imagine speciei, ad eam quæ erit in ipsa veritate faciei, seu facie veritatis. **C** Si enim iugiter præsentiam Domini licet velatam intendatis per fidem, aliquando etiam reuelata facie gloriam eius speculabimini, licet per speculum & imaginem. Cum autem impletis diebus purgationis venerit quod perfectum est, assistetis Domino in Hierusalem, habitantes cum vultu eius, ac sine fine contuentes eum facie ad faciem. cui benedictio, & claritas in secula seculorum Amen.

Quomodò illam æmulentur iusti in hac vita sistentes sese Domino. — p Psal. 83. b — q 2. Cor. 3. d

IN QVADRAGESIMA
SERMO I.

Benedictus Deus Pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

1. MVltæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus a. Duplex autem genus tribulationum patimur: quia non solum duplici natura subsistimus, carne scilicet ac spiritu, sed etiam duplici qualitate viuimus: partim scilicet carnaliter, partim spiritaliter. In mundo eramus toti carnales, in cœlo erimus **D** toti spiritales: nunc autem ex parte carnales, & ex parte spiritales. Prout autem proficimus in spiritu, aut magis efficimur spiritales & minus carnales, aut magis remanemus carnales, & minus spiritales. Propterea duplex modo consurgit tribulatio: quia quod in nobis carnale est, contristat aduersitas; quod spiritale, iniquitas. Si nihil in nobis esset carnale, nulla nos contristaret imò nulla esset aduersitas: si nihil spiritale, non nos nostra contristaret, sed magis delectaret iniquitas: sicut de quibusdam dicitur b, *Lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Illa ergo nostra de aduersitate tristitia, carnalis & secundum seculum est: hæc autem de iniquitate, spiritalis & se-

a Psal. 33. d Tribulationis duplex genus secundum carnem & secundum Spiritum. — b Prou. 2. d Tristitia duplex carnalis & spiritalis.

cundum Deum. Illa mortem operatur, si desit consolatio: hæc salutem operatur, si non desit consolatio. Multum tamen interest in aduersitate exteriori, cuiusmodi sit consolatio tristium: quia consolationi diuitum, comminatio diuina Væ intentat æternum c: Quia nimirum plerumque qui humiliari poterant ex aduersitate, grauius superbiunt de prosperitate; proditque ex adipe iniquitas eorum: imò & audacter prouocant Deum, cùm ipse dederit omnia in manibus eorum.

c Luc. 6. d
Prosperitas occasio superbiæ.

2. Prosperitate quomodo vtendum.

Nos autem & cùm abundat illa consolatio temporalis oportet esse gratiores & humiliores; & cùm deficit, de æterna redemptione certiores & lætiores. Cùm tamen suppetit siue salus corporum, siue tranquillitas temporum, aut copia rerum, ea moderatione vtenda ac dispensanda est, vt sit non occasio peccati, sed adiutorium virtutis, ac potius de bonis bona faciamus, quàm de bonis mali simus. Illa namque consolatione qua se diffundit voluptas, vel extollit vanitas, renuat consolari anima mea, magisque eligat cum Moyse d & viris Israeliticis affligi, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Siue autem consolemur exterius, siue tribulemur, benedictus Deus, qui consolationem internam & æternam dedit in cordibus nostris: id est, gaudium spei quæ suadet nos etiam gloriari in tribulationibus nostris: pollicens, quia *si compatimur, & conregnabimus* e. Illam sanè tribulationem quam interius de iniquitate nostra patimur, tantò molestiorem portamus, quantò periculosiorem experimur: quia nimirum quotidie de vita periclitamur, vt veraciter confiteamur f, *nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea.* Gratias tibi Domine Iesu, quia si grauia sunt pericula, facilia sunt remedia: quia *si dicebam motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me* g: & quod semel in Petro figurasti corporaliter h, in filiis Petri quotidie adimples spiritualiter. Iussisti nos venire ad te super aquas, id est, hoc mare magnum & spaciosum manibus: Ecce virtute tua ambulamus, sed pondere nostro grauamur, & plerumque irruente spiritu procellarum impellimur, vt etiam mergi incipiamus, id est penè iam tamque tentatori consentiamus. Sed si celeriter confiteamur pedem motum, id est, titubasse animum, & fideliter inuocemus auxilium, tu misericorditer porrigis manum, firmasque & dirigis gressum.

d Hebr. 11. d
e 2. Tim. 2. b
f Psal. 93. c
g Ibid.
h Matt. 14. d

3. Super hoc quotidie iustus decantat i. *Impulsus sum, vt caderem*, sed non cecidi, *quia Dominus suscepit me.* Sed *cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam* k: id est cùm peccauerit non condemnabitur, quia aduocatũ habet Iesum, eò quòd & si septies in die cadit, septies resurgit. Non delectatur iacere vbi cadit, & in luto volutari, sed ocius exurgẽs excutit se de puluere, & sordes diluit satisfactione. Per hoc namque iustus fit, quod semper in initio sermonis accusator est sui l, memor consilii diuini, quo dictum est ei m: *Dic iniquitates tuas, vt iustificeris.* Ita fit vt dum seipsum iudicat, & Deum de se vindicat, illum quem iudicem metuebat iustum, reus aduocatum habeat. *Iustus enim Dominus & iustitias dilexit* n: nec potest iniustas causas suscipere aut tueri: qui cùm acceperit tempus etiam iustitias iudicabit. Et tamen qui iudicem se minatur futurum superbè de iustitia præsumentium, aduocatum se pollicetur humiliter peccata confitentium: quoniam apud illum in cuius conspectu non iustificabitur omnis homo, nullatenus causam testificari nostram melius possumus, quàm si nosmetipsos accusantes & punientes, iustitiam ipsius in nos transferamus, & partes iudicis aduersus reos exequamur.

i Psal. 117. b
k Psal. 36. c
Casus prorsum non est ad interitum.
l Prou. 18. c
m Esa. 43. d iuxta LXX. Et ita passim legunt SS PP. Ambros. August. Cyrill. Chrys. Leo
n Psal. 10. b
Christus iudex superborum, aduocatus humilium

4. Sed & si in aliquo veniali vel per ignorantiam fallimus, vel per infirmitatem vincimur, vt Iebusæum nostrum nequaquam exterminare præualeamus, sed semper sub oculis nostris in terra nobiscum habitare patiamur; in hac quoque imperfectione nostra consolatur nos sermo propheticus, qui nos in se transfigurans ait o: *Inspissitudinibus semper & saluabimur. Imperfectum meum,* inquit corpus Christi p, *viderunt misericordes oculi tui & in libro tuo omnes scribentur*, id est scripti inuenientur, tam perfecti quàm imperfecti. Pollicetur siquidem Dominus se perfecturum imperfectionem nostram, loquens per Ioelem prophetam a: *Et mundabo*, inquit, *sanguinem eorum quem non mundaueram.* Hinc Esaias cum præmisisset de perfectione futuræ cœlestis Hierusalem s: *& erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Hierusalem, sanctus vocabitur omnis qui scriptus est in vita in Hierusalem*, quod in infirmis non nisi purgatione diuina perficienda sit sanctitas illa subiunxit dicens t: *Si abluerit Dominus sordem filiarum Sion, & sanguinem lauerit de medio Hierusalem.* Consolatur quidem me lauatio quæ promittitur; sed terret modus qui subditur. *Spiritu*, inquit u, *iudicii, & spiritu ardoris.* Ignis *enim opus cuiusque probabit* x. *Si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus fiet* merito fundamenti, *sic tamen quasi per ignem.*

o Esa. 64. b
p Psal. 138. c
a Ioel. 3. c
s Esa. 4. a
t Ibidem.
u Ibid.
x 1. Cor. 3. c

5. Quantò melius nunc arderemus delectabili amore, quàm tunc illo pœnali ardore? Quantò suauius nunc igne amoris purgaremur, vt mundanum in nobis non relinqueretur quod mundi incendio obnoxium inueniretur: sed sicut tribus pueris y ventus roris fieret nobis fornax Babylonis. Alioquin si tepidè & negligenter viuentes, ligna, fœnum, stipulam nobis coaceruamus, & tantam ignium materiam hinc nobiscum portamus, cùm examen illius purgatorii tales intrauerimus, quis poterit de nobis habitare cum igne deuorante? aut quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis z? quando omne etiam vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis a. Scio quidem, quia si satis arderẽ igne charitatis, de me quoque diceretur b: *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Nũc autem si purgari non mereor igne dilectionis, vtinam vel purgarer alicuius igne passionis: fieretque mihi quod propheta imprecatur sibi c: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis.* Vtinam *qui cœpit ipse me conterat, soluat manum suam, & succidat me: & hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat* d. Veruntamen nosti Domine infirmitatem figmenti mei. Quæ est enim fortitudo mea, vt sustineam, aut quis finis meus, vt patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est e. Hoc primum quidem peto, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me f. Sed quoniam audio abs te g, *Ego quos amo arguo & castigo*, & beatus homo qui corripitur à Domino h: corripe me Domine in misericordia, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me i, & dicatur de me k, *Detraxisti eum ab emundatione.* Intuere infirmitatem meam, & secundum illam manum tuam moderare, ne vehementia verberis frangat patientiam cordis: sed magis tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio spem. Sed væ mihi si quotidie vror, & non emundor: vt & de me dici contingat l: *Multo labore sudatum est & non exiuit de ea nimia rubigo eius neque per ignem. Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis: sed nec mundaberis prius, donec quiescere faciam indignationem meam in te.*

Purgatorium: Igne amoris nunc præstat purgari quã postea igne purgatorii.
y Dan. 3. c
z Esa. 33. b
a Ibid. 9. a
b Luc. 7. g
Purgatio in præsenti vita optanda.
c Habac. 3. d
d Iob 6. b
e Ibid.
f Psal. 6. a
g Apoc. 3. d
h Iob. 5. c
i Ierem. 10. d
k Psal. 88. g
l Ezech. 24. c

6. Quàm vereor ne id cadat in nos, qui districtione vitæ velut quodam purgatorio igne quotidie coquimur, & nunquam ab iniquitate nostra, sicut oportet, mundamur: & forsitan non mundabimur, donec sedeat iudex ipse quasi ignis conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui m. Veruntamen quantulumcunque proficiat nunc iste ignis, malo tamen interim mihi hunc adhiberi, quàm ad illum penitus differri. Nam si ad inuicem comparentur, iste quidem medicina est misericordiæ, ille vltio irati. Ita sentiebat, qui dicebat n: *Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.* Scio quidem quia tunc etiam cum conturbata fuerit anima mea Domine, in ira misericordiæ memor eris. Scio quia etiam in luctu & pœnis consolaberis me spe melioris, & inimicæ potestati cui emendan-

Purgatorium religiosorum ipsa arctioris vitæ disciplina.
m Malach. 3. a
n Psal. 6. a

dus ad tempus traditus essem, verbis Prophetæ respondere dicens o: *Ne læteris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quia peccaui ei, donec iudicet causam meam. Educet me in lucem, videbo iustitiam eius: & aspiciet me inimica mea & operietur confusione.* Et dicam in illa die p: *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus, & consolatus es me.* Veruntamen cur timebo in die mala? Cur non magis in die bona bonis fruor, & diem malam præcaueo? Nonne ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis q? Cur non audiam modo consilium Sapientis r, *Quodcunque potest manus tua instanter operare: quia non est consilium nec ratio, nec sapientia apud inferos quò tu properas:* & illud Apostoli s: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes?* Cœperamus quidem à consolationibus, sed ad terrores deuenimus: quia tunc nimirum consolatio vtilis erit, si terrori mixta fuerit: tunc ingrediemur in veritate tua Domine, si ita lætatur cor nostrum, vt timeat nomen tuum. Alioquin si omnino vos securos faceremus, diceretur & de nobis t: *Popule meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & vestigia gressuum tuorum dissipant.* Tunc autem verè beati erimus, si miseriam nostram rectè agnoscamus & piè doleamus: tunc securi in morte erimus, si semper pauidi suspectique viuamus.

o Michee 7 b
p Esa. 12 a
q 2. Cor. 6 a
r Eccles. 9 c
s Galat. 6 c
Consolatio vtilis quæ miscetur terrori.
t Esa. 3 c
Timor in vita, securitas in morte.

DE PARABOLA FILII PRODIGI, Luc. 15.

SERMO II. Quadragesimalis.

1.
Pœnitentia quantum valeat apud Deum.

O Felix humilitas pœnitentium; ô beata spes confitentium: quàm potens es apud omnipotentem, quàm facilè vincis inuincibilem, quàm citò tremendum iudicem conuertis in piissimum patrem! Prodigus iste filius cuius hodie in magnam ædificationem nostram audiuimus peregrinationem ærumnosam, pœnitentiam lachrymosam, susceptionem gloriosam, prodigus, inquam, iste tam grauiter reus, nondum confessus erat, sed tantùm confiteri deliberauerat: nondum satisfecerat, sed tantùm ad satisfaciendum animum inclinauerat: & de solo ferè proposito conceptæ humilitatis veniam statim obtinuit, quæ tanto tempore tantis expetitur votis, impetratur lachrymis, ambitur obsequiis. Latronem in cruce sola confessio absoluit, istum sola voluntas confitendi. *Dixi*, inquit a, *confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Vbique misericordia præuenit. Præuenerat voluntatem confessionis, ipsam inspirando, præuenit & vocem confessionis, quod confitendum erat indulgendo. *Cum adhuc*, inquit b, *longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est: & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Quantum hæc verba sonare videntur, tardius videbatur patri, filio veniam dedisse, quàm illi accepisse. Sic festinabat absoluere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciaret misericordem compassio miseri, quàm ipsum miserum passio sui. Neque hoc dicimus, quò in natura incommutabili humanos ponamus affectus, sed vt in amorem illius summæ bonitatis affectus noster dulcescat: dum ipsam plus nos amare, quàm ipsi nos amemus, ex similitudine discimus humana.

a Psal. 31. a
b Luc. 15 e
Plus nos amat Deus quam ipsi nos amemus.

2.
Vide autem quomodo vbi abundauit delictum, superabundet gratia. Reus vix poterat sperare veniam, iudex imò iam non iudex, sed aduocatus, accumulat gratiam. *Citò*, inquit c, *proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu eius, & calciamenta in pedes, & adducite vitulum saginatum, & occidite & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat & reuixit.* Verum, vt hæc omnia prætereamus, scilicet *stolam primam*, id est, sanctificationem spiritus, qua baptizatus induitur, & pœnitens reinduitur: *annulum fidei* quo subarratur: *calciamenta*, quibus ad calcanda serpentum venena munitur, vel ad euangelizandum præparatur: *vitulum saginatum*, qui ei in altari immolatur, festiua illa *gaudia*, quæ pro recepto indicta filio toto celebrantur cœlo: vt hæc inquam omnia taceamus, & doctioribus tractanda seruemus; amplexus ille & osculum paternæ pietatis, quid non habet gratiæ & dulcedinis? quid non felicissimi gaudii? quid non sanctissimæ voluptatis? *cecidit*, inquit d, *super collum eius, & osculatus est eum.* Cùm sic super eum affectabat, quid agebat amplectens & osculans, nisi illum sibi vel seipsum illi insinuabat, se illi inspirabat, vt adhærendo sibi vnus secum fieret spiritus, sicut adhærendo meretricibus vnum cum eis corpus fuerat effectus? Parum erat illi summæ misericordiæ viscera suæ miserationis non claudere miseris: in ipsa sua eos viscera trahit, suisque inserit membris. Non poterat nos sibi arctius astringere, non poterat nos magis intimos habere, quam vt incorporaret sibi, & sicut charitate sic virtute ineffabili, non solùm assumpto corpori, sed etiam ipsi counitet spiritui. Quòd si tanta est gratia pœnitentium, quæ erit gloria regnantium? Si ista sunt solatia miserorum, quæ erunt gaudia beatorum? Et qui hoc prærogat in via, quid seruat in patria? Vtique quod in cor hominis non ascendit: vt ei similes simus, & sit Deus omnia in omnibus.

c Luc. 15 e
Stola prima quid.
Annulus.
Calciamenta.
Vitulus saginatus.
Amor Parentis filium amplectentis & osculantis expenditur.
d Ibid.
Diuinæ charitatis & misericordiæ vis.

3.
Iam verò tu beate peccator, sed licet non ideò beatus quia peccasti, sed quia pœnitens de peccato: quid tibi, rogo, animi erat inter amplexus patris & oscula, cùm propè desperatum refouebat, cùm cor mundum tibi innouans, lætitiam salutaris sui tibi refundebat? Et quomodo, inquit, sermo explicabit, quod mens non capit? Inenarrabiles gemitus, & inexplicabiles sunt affectus, quos de incomprehensibili velut impregnatus parturit animus. Angustum est eis cor humanum, vnde & scissum effundit seipsum: & ardorem quem concipit, sed non capit, quibus potest modis, lachrymis, gemitibus, suspiriis, euaporat ac digerit. Norunt hæc melius qui gustauerunt sæpius & vberius. Nunc quoque, inquam, cùm dimissus post illos amplexus & oscula, te & teipsum recogitas, cùm causam tuam qualis fuerit, qualiterue ab eo iudicata sit retractas: & illinc abundantiam delicti tui, hinc superabundantiam gratiæ pensas: quid tibi obsecro parit cogitatio tua? Quidni, inquit, intolerabilis in meditatione mea exardescat ignis: illinc dolore & pudore, hinc gaudio & amore? Non me hominem putarem sed lapidem, si ita duri cordis existerem, vt meipsum non dolerem vel erubescerem: vel ita nequam & ingrati, vt non totus in gaudium vel amorem illius patris liquefierem.

Affectus peccatoris pœnitentis, & iam dum redeuntis in gratiam.

4.
Custodi igitur, ô felix peccator, custodi sollicitè ac vigilanter hunc spiritum tuum, hunc iustissimum humilitatis ac pietatis affectum: quo semper ita de te sentias in humilitate, de Domino in bonitate. Nihil illo maius in donis Spiritus sancti, nihil pretiosius in thesauris Dei, nihil sanctius inter omnia charismata, nihil salubrius inter omnia sacramenta. Custodi, inquam, si vis ipse custodiri, humilitatem illius sensus & vocis, qua Patri confiteris & dicis e: *Pater iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Nihil ita Patrem promeretur sicut huius vocis affectus; nec melius te filium facies dignum, quàm si semper confitearis indignum. Hæc humilitas non solùm peccatores iustificat, sed etiam iustos consummat, iustitiamque eis accumulat: si videlicet se seruos fateantur inutiles, etiam cum quæ præcepta sunt, fecerint omnia. Peccatum tuum coram te sit semper, & iuxta consilium Sapientis f, etiam *de propitiato peccato noli esse absque metu.* Incerta & occulta sunt iudicia Dei, non temerè præsumendum est de illis, cùm nil inde certius teneamus, quàm quòd in conspectu Dei non iustificabitur omnis viuens, nisi in quantum se iudicat peccatorem. Alioquin quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ g. Blandè te misericordia suscepit, piè refouit: time iudicium, ne gratia quæ

Humilitatis nihil maius inter dona spiritus sancti.
e Luc. 15. a
Humilitas iustos consummans.
f Eccl. 5. b
Iudicia Dei incerta.
g Esa. 64. b

Humilitatis custodia.

data est humili, auferatur superbienti. Elegisti abiectus esse in domo patris tui; contentus eras fieri quasi vnus ex mercenariis: sta in sententia, vt etiamsi promotus es, adhuc ad maiora proueharis. Extremum locum semper occupa, aut certè desidera: seruitutem tibi mercenarii, non libertatem filii tibi vendica. Deuotione quidem filii patrem cole, conscius quid ipse de te meruerit: sed humilitate & labore mercenarii contentus esto, conscius quid ipse merueris. Nunquam tibi displiceat humilitas, per quam placere cœpisti, & sine qua displicere incipies, quantiscunque pollere virtutibus, quantumcunque patri officiosus deseruire videaris.

Humilitatis excellentia. Basis caeterarum virtutum.

Humilitas siquidem omnium virtutum est maxima, cùm tamen virtutem se esse nesciat. Ipsa ferè omnium radix, & seminarium, & fomes, & incentiuum, & ipsa cumulus & fastigium, custodia & disciplina. Ab ipsa incipiunt, per ipsam proficiunt, in ipsa consummantur, per ipsam conseruantur. Cumque omnibus vi virtutes sint tribuat, si qua earum defuerit, vel minus perfecta fuerit, ipsa alterius defectu proficiens, dispendium illius de se compensat.

IN SOLENNITATE BEATI Benedicti.

SERMO I.

Eccli. 14. c

Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.

1\. QVàm congruè verba hæc in laudem beati Benedicti cantata sint, facilè quiuis vestrum intelligit, cui tamen vita & doctrina ipsius non ignota sit. Quàm commodè verò ad vitæ nostræ doctrinam trahi possint, ipsa per se verborum facies ostendit: quæ scilicet illa quibus nihil est vtilius in vita, sapientiam, iustitiam, timorem Dei, cum præmio etiam beatitudinis commendat. *Beatus*, inquit, *vir, qui in sapientia morabitur.* Prorsus hæc est

Morandum in sapientia.

beatitudo, hæc sapientia, si moreris in sapientia, vt perseueranter eam teneas: non enim statim qui inuenerit, sed qui tenuerit eam beatus. Dicit quidem Scriptura [a]: *Beatus qui inuenerit sapientiam*: sed non ibi quieuit, imò addidit, *& qui affluit sapientia*: ne videlicet solum inuenisse statim putaretur ad beatitudinem sufficere, nisi cùm inueneris, cum ea & in ea demoreris, & contubernio atque conuictu ipsius delecteris; nec discedas à magisterio eius donec meditando iustitiam, cogitando circumspectionem Dei, affluere prudentia possit.

a Prou. 3. b

Saloman sapientiam inuenit, sed nō tenuit.

Nam & Salomon sapientiam inuenit, sed quia prudentia minus affluxit, nec satis prudenter sibi circumspexit, dum videlicet non cautè sibi prouidit à mulieribus alienis, non modò sapientiam perdidit, sed vsque ad vltimam idololatriæ insipientiam proruit [b]. Sapientes quoque huius mundi, qui inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspexerunt, sapientiam inuenisse visi sunt, sed quia nec ipsi prudentia affluxerunt, & cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt [c] stulti & ipsi facti sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum vsque ad reprobum sensum, & ignominiam turpitudinum.

b 3. Reg. 11.

c Rom. 1. c

2\. Alios itaque sicut istorum exemplo liquet, repellit à sapientia quam inuenerant, superbia cordis: alios sicut in Salomone patet, abstrahit illecebra carnis: Alii autem leuitate & inconstantia mentis, leui perturbatione offensi eam relinquunt; qui scilicet ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt [d]. Quare autem recedunt? Quia radices non habent, quibus teneantur. Quomodo autem radicari poterunt, nisi morentur? Quæ vnquam planta, radicatur, nisi loco cui affixa fuerit immoretur? Sic iustus plantatus in domo Domini, nec radicari, nec fundari in charitate poterit, nisi mora & stabilitate loci. Si autem radicatus non fuerit nec florere, nec fructum qui maneat afferre poterit: & si florere visus fuerit alicuius spei tenuo, dicetur de illo [e]: *Ante messem totus floruit, & immatura perfectio germinauit.* Et secundum alium prophetam [f] *si feceris fructum, alieni comedent eum.* Vis autem scire quàm sit necessaria stabilitas loci, vt in sapientia moreris: vt radicari & fructificari possis mora temporis? Interroga patrem tuum beatum Benedictum, & annunciabit tibi, quia claustrum monasterii, & stabilitas in congregatione locus idoneus sit ad ferendum omnium ferè fructus virtutum, quarum longum ibidem texit catalogum.

Repulsa sapientiæ varia.

d Luc. 8. b

Inconstantia animi inimica sapientiæ.

e Isai. 18. c

f Osee 8. b

Stabilitas loci quantum conferat ad virtutis & sapientiæ profectum.

A

Quid enim de instabili Salomon ait? [g] *Sicut auis transmigrans de nido suo, sic vir qui relinquit locum suum.* Inuenerat turtur nidum vbi poneret pullos suos, cœperat eum calefacere, & ab eo calefieri, venerant vsque ad partum pulli, & ecce auolat, opusque cœptum imperfectum relinquit. Quare, vnde, vel quò auolet ipse viderit, vel quando tot dispendia, quæ interim patitur compensabit, vel qua ratione primam fidem irritam factam excusabit? Ego enim non putarem esse consilii, pro spe incerta, certa subire dispendia: & si profectus quorumdam me iubeat interim à præcipitatione cohibere sententiam.

g Prou. 27. a

Contra vagabundos, inquietos & instabiles agit.

3\. Enimuero multum dissimilis est causa eorum qui amore sapientiæ inquieti fiunt, & eorum de quibus loqui cœperam, qui leui & friuola permoti causa à sapientia resiliunt. Sicut enim per patientiam disciplinis sapientiæ quis immoratur, vt discat sapientiam: sic *qui facile perdunt sustinentiam, non demorabuntur*, vt scriptum est [h], *proiicere illam.*

B

h Eccli. 6. c

Quid autem eos offendat, præmisit scriptura cùm ait: *Quasi lapidis virtus, probatio erit in illis.* Offenderunt in lapidem offensionis, & petram scandali, cuius probata virtus corripiebat & erudiebat insipientes, probabatque mentes: cùm ipsi virtutem sapientiæ duritiam lapidis interpretarentur, duraque omnia, disciplinam, vultum, sermonem causarentur. *Durus est*, inquiunt, *hic sermo.* Esto. Sermo durus est, numquid non verus est? Lapis durus est, nunquid non preciosus est? Quare autem veritas dura est tibi, nisi propter duritiam cordis tui? Si cor tibi pietate mollesceret, plus tibi soliditas veritatis, quàm vanitas mendacii, vel oleum adulationis placeret.

Ioan. 6. f

Dura videtur veritas, sed ob duritiam cordis.

Durus est, aiebant, hic sermo, quia quasi lapidis virtus erat illis probatio sapientiæ, ideoque non sunt demorati eam proiicere & retro abire. Nec ob aliud pretiosum & electum à Deo lapidem reprobauerunt, nisi quia durum putauerunt. Et erat quidem Petra Christus, sed virtute non duritia. Erat Petra, sed quæ conuerti posset, imò & conuersa est in stagna vel fontes aquarum, vbi mollia & humilia quibus influeret, inuenit corda fidelium.

Petra Christus non duritia, sed virtute.

C

Nam & isti qui tam citò offensi quadam specie duritiæ retrò abierunt, si permansissent cum Apostolis, bibissent forsitan & ipsi cum eis de consequenti eos Petra, bibissent flumina aquæ viuæ de petra percussa in cruce fluentis largissimè, ita vt hodieque bibat populus & iumenta: imò suxissent etiam mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

4\. Prorsus tu beatus es Simon Bariona, tibi iam reuelabat Pater pietatem mysterii, latentem vt videbatur sub duritia sermonis, qui interrogatis duodecim, an & ipsi vellent abire, constanter respondisti [i], *Domine verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?* Planè beatus qui cum sapientia morari, & cum domesticis eius ad mensam ipsius pane interim sacramenti nutriri delegisti; donec de fide proficientem ad intellectum pane vitæ & intellectus te cibaret, & aqua sapientiæ salutaris potaret.

i Ioan. 6. b

Petrus Christo adhærens laudatur.

Beati & vos fratres mei, qui in disciplinam sapientiæ, & Christianæ scholam philosophiæ nomina dedistis, sed si perseueranter in sapientia moremini: vt cùm durior sermo ipsius visus fuerit, durior scilicet præcipientis, aut durius corripientis: non sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo, sed constanter dicatis cum Apostolo: *Verba vitæ æternæ habes, ad quem ibimus?*

Religiosi itidem perseuerantes.

D

Fingis quidem laborem in præcepto [k], duritiam in sermone sed scimus, quia *magna est multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te* [l], perficies sperantibus in te. Ego autem semper sperabo, etiam si occideris me. Imò tunc amplius sperabo, cùm flagellaueris, secueris, vsseris, occideris quicquid viuebat in me: vt non ego, sed Christus viuat in me. Omnino non discedimus à te, quia viuificabis nos etiam occidens, sanabis percutiens. Verè beatus qui cum sapientia moratur, hac constantia & fide longanimiter

k Psal. 93.

l Psal. 30.

patiens, & fideliter obediens vſque ad mortem, nec *deſe-*
rens locum ſuum, quotieſcunque ſpiritus poteſtatem habentis A
aſcenderit ſuper eum, ſciens quia curatio diſciplina faciet ceſſa-
m Eccle. 10. a *re maxima peccata* m.

5. Sanè ad hanc ſapientiam morandi in ſapientia, illud
Ad morandū in ſapientia quæ pertineāt. præcipuè pertinere arbitror, vt inquietudo vel quælibet
leuis moleſtia non facilè quodcunque opus ſapientiæ no-
bis excutiat: verbi gratia, ſolennem pſalmodiam, oratio-
Circa pſalmodiam. nem, lectionem diuinam, penſum operis diurni, aut ſilen-
tii diſciplinam. Quia enim ſapientia in exitu canitur, *gau-*
n Pſal. 70. d *debunt*, ait Sanctus n, *labia mea cùm cantauero tibi*, dum
etiam ad literam, exitus matutini & veſpere delectabis.
Orationem; De oratione quoque certum & ipſi quotidie capitis expe-
rimentum, quòd melior eſt finis orationis quàm principi-
um: vt fidele probetis Dominicum illud toties inculca-
tum, tot exemplis commendatum, da orationis perſeue-
Lectionem ſeu ſtudium: rantia, conſilium. Iam legere & negligese, vel antequam
cœperis librum, de manibus proiicere, quem fructum
putas tibi poterit parere? Si ſcripturæ immoratus non fue-
ris, vt aſſiduitate ſtudii ei fias familiaris, quando putas
o Matth. 13 b ſe tibi reuelabit? *Qui habet*, inquit o, amorem verbi, *da-*
bitur ei intellectus, *& abundabit: qui verò non habet, &* B
Opus manuū. *quod habet* per naturam, *auferetur ab eo* propter negli-
gentiam. De opere autem manuum nonne & de iſto ſatis
comperiſtis, quia ſicut denarius operariis, ſic conſolatio
Silentium, ſæpius ſeruatur in fine operis? De ſilentio quippe nota eſt
q Eſa. 30. e promiſſio prophetica q, quia in ſilentio & ſpe erit, inquit,
fortitudo veſtra. Si enim colas iuſtitiam in ſilentio, & ſi-
r Thren. 3. a cut Hieremias bonum eſſe ait r, *præſtoleris cum ſilentio ſa-*
lutare Domini, in medio ſilentio ſecretus tibi illabetur à re-
galibus ſedibus omnipotens ſermo, & aquæ Syloe quæ
vadunt cum ſilentio conuallem quieti ac placidi pectoris
grato rigabunt profluuio hoc non ſemel ſed ſæpius experie-
s Eſa. 32. d ſis ſi modò ſilentium tuum cultus iuſtitiæ ſit s, id eſt ſi in
* in Themate Serm. iuſtitia mediteris: vt perſeueres in Scriptura quam propo-
ſui *, & in ſenſu cogites circunſpectionem Dei.

6. Hæc meditare, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus
fiat. Si enim iniquitatem mediteris in cubili tuo, malitias
ſcilicet quas maligni immittunt, aut phantaſias quas cor
tuum parturis, aut inanes philoſophias, ſeu fallaces theo-
ſias, quæ ſunt velut ægri ſomnia, nonne magis iniuſtitiæ
quàm iuſtitiæ cultus erit ſilentium tuum? Si ergo vis in
ſapientia morari, ſtude in iuſtitia meditari. *Concupiſti*, in- C
t Eccl. 1 d quit t, *ſapientiam, conſerua iuſtitiam, & Dominus præbe-*
bit illam tibi. Si autem quaſi violentè irruunt cogitationes
noxiæ, pone tibi virilem & fidelem cuſtodiam, quæ om-
Timor Dei fidus vbique cuſtos. ni cuſtodia ſeruet cor tuum: Dico autem Timorem Dei
qui nihil negligit, qui nullum indiſcuſſum intrare permit-
u Ioſ. 5. d tit, ſæpius interrogans etiam Angelum lucis u: *Noſter es,*
an aduerſariorum? Vndique etiam ſibi circunſpicit, tan-
quam omni hora cogitans circunſpectionem Dei, quem ſi-
ne intermiſſione intueri ac iudicare corda filiorum homi-
x Ezech. 54. num attendit. Pulchrè autem dictum eſt x, *in ſenſu cogita-*
bit: quia prorſus ſine ſenſu eſt & à corde exceſſit, qui ti-
morem Dei cogitare negligit, qui pondus tantæ maieſtatis
ac iudicii ſibi incumbentis non ſentit.

7. Signanter quoque circunſpicere Deus dicitur, qui omnia
Deus omnia circunſpicit. tam præterita quàm futura habet præſentia, vt nec iſta
reſpiciat, nec illa proſpiciat: ſed ſimiliter, quia ſimpli-
citer cuncta circunſpiciat: ſitque illa æternitas velut pun-
ctum, omnium media temporalium, cuius immobili ſim-
plicitati ſemper æqualiter præſens eſt circuitus & tota tem-
Timor Dei oculum omnia vidētem nob. ſemper ponit ob oculos. porum. Hunc oculum æternum, ſine intermiſſione viden-
tem, & iudicantem omnia, ſemper cogitat, ſuaque ſe D
cogitatione ſollicitat timor Domini, qui reuocat à ma-
lis, non ſolùm operibus, ſed & cogitationibus: erudiens
nos, vt iuſtitiam potius meditemur; continens, vt cum
ſapientia moremur. Ita enim ſenſim fit, vt qui primo coër-
cetur timore iudicii & pœnæ, poſtea paſcatur amore ac
meditatione iuſtitiæ, demumque requieſcat ac delectetur
in conuictu & amplexu ſapientiæ. Hæc non modò foras
mittit timorem diffundendo charitatem, ſed etiam pellit
ab animo tædium & angorem, infundendo ſuauitatem,
ſicut quidam contubernium habens ipſius, de ea loque-
y Sap. 8 c batur y: *Intrans in domum meam, conquieſcam cum illa, non*
enim habet amaritudinem conuerſatio illius, nec tædium con- A
uictus illius, ſed lætitiam & gaudium. Horum participes nos
faciat, qui particeps noſtri fieri dignatus eſt Dei ſapientia
Chriſtus Ieſus, qui viuit & regnat, per omnia ſecula ſecu-
lorum.

IN FESTO S. BENEDICTI

SERMO II.

Benedictus vir qui confidit in Domino. Ierem 17. a

1. SAnctus pater noſter gratia Benedictus & nomine, cu-
ius memoria in benedictione eſt, ipſe profectò fuit be-
nedictus vir qui confiſus eſt in Domino. Quem enim Do-
minus præuenit in benedictionibus dulcedinis vt in Domi-
no confideret, tam benedicit omni benedictione ſpiritua-
li in cœleſtibus in Chriſto, quia in Domino confiſus eſt.
Nec ſolùm in cœleſtibus benedictionem omnium Ange-
lorum, ſed etiam in terreſtribus benedictionem omnium
gentium dedit illi Dominus. Vbi enim gentium non be-
B nedicitur hodie benedictus Domini Benedictus? Planè
benedictio Domini ſuper caput iuſti a, quem tot benedictio- a Prou 10 a
nibus cœli & terræ gratia Dei cumulauit. Non tamen ſi-
cut Eſau b in pinguedine terræ, & in rore cœli benedictio b Gen. 27. f
eius, ſed in pinguedine ſpiritus, & in rore cœli qui per
Prophetam loquitur c, *Ero quaſi ros*: & cui dicitur d, *Ros* c Oſee. 14 e
lucis ros tuus: in Chriſto vtique benedictio patris, cui pater d Eſa. 26 d
imprecatus eſt e: *Qui benedixerit tibi benedictionibus re-* e Gen. 27. e
pleatur. Meritò proinde benedictus in Domino vir qui Qui in Domino fidit in eo ſeipſum figit.
confidit in Domino, quia qui in Domino fidit, in eo ſeip-
ſum figit. Vbi autem arbor radicem figit, inde ſuccum vi-
tæ atque humorem pinguedinis bibit. Planè ad humorem
radicem miſit, qui, vt verbis vtar Benedicti magiſtri, ſpem
ſuam Deo commiſit, ac de ipſo fonte ſummi boni aquas
vitę totius benedictionis & gratiæ bibit.

Per hanc nempe piam & fidelem fiduciam remittun- 2.
tur peccata, ſanitatum corporalium, ſed magis ſpiritua- Fiduciæ in Deum effectus varii.
lium obtinentur remedia; propulſantur pericula; terro-
res contemnuntur; vincitur mundus; omnia denique poſ-
ſibilia credenti redduntur. Illi quippe qui in peccatis erat,
C *Confide* ait, *fili, remittuntur tibi peccata tua* f. Illis quibus f Matth. 9. a
donabatur ſanitas corporum vel animarum, *Secundum fi-*
dem tuam fiat tibi g, &, *Fides tua te ſaluum fecit* h. Illis g ibid. c
qui periculo terrebantur naufragandi, *Habete*, inquit i, h ibid. d
fidem Dei, & k, *quid timidi eſtis modicæ fidei?* Illis quos i Marc. 11 a
armabat aduerſus ſæuitiam mundi furoreſque diaboli, K Matth. 8. e
Confidite ait l, *ego vici mundum*. Et vtique *hæc eſt victoria* l Ioan. 16. d
quæ vincit mundum, fides noſtra m: ſi modò non ſit tepida, m 1. Ioan. 5. a
non trepida, ſed ſit fiducia, id eſt, fides non ficta, ſeu
ſpes non infirma. Non ſolùm autem mundus per eam vin-
citur, ſed & cœlum poſſidetur: ſuper æternitatem homo
ſtabilitur, & in Deo ipſo per charitatem radicatur & fun-
datur. Qui enim confidunt in Domino, ſunt ſicut mons
Sion n: non commouebitur in æternum, qui fundatus eſt n Pſal 124. a
ſuper æternum. Tam enim perire non poteſt, quàm nec
ille, cui adhærens vnus cum ipſo ſpiritus eſt. *Quis enim*
ſperauit in Domino & confuſus eſt: permanſit in mandatis
illius, & derelictus eſt o? Si dixerit infidelis, ille derelictus o Eccl. 2 b
erat qui in cruce clamabat p, *Deus Deus meus, vt quid me* p Matth. 27.
dereliquiſti? puto quia non vſquequaque dereliquit, in quo
erat mundum reconcilians ſibi. O quanta conſolatio, ſic de-
D ſolari; quanta dilectio, ſic derelinqui; vt vnico Patris vni-
cè dilecto merearis vel in paſſionibus conſociari.

Aperi Domine oculos huius pueri, rudem loquor & 3.
nouitium, qui cùm tribuletur putat ſe derelictum. No- Tribulatio nō eſt indicium derelictionis.
uum hoc omninò & inſolitum, ſi iuſtum quempiam vi-
derem derelictum, cùm Eccleſia dicat q, *Iunior fui, ete-* q Pſal. 36 c
nim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum. Aperi, inquam,
ô Domine oculos pueri tui, vt videat, quia plures nobiſ- Deo nos protegente nulla nos lædit aduerſitas, ſiue malignitas
cum ſunt quàm cum aduerſariis. Siquidem Dominus
virtutum nobiſcum, & cum eo omnis virtus & militia
cœli, imò fauor omnis creaturæ, ſeruientis nutui & arbi-
trio Creatoris ſui. *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos?* s Rom. 8. f

z 1. Pet. 3. c
Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fuerimus? A Poterit inimicus ille sæuire, sed hoc erit seruire. Poterit vrere, tundere, dissecare, sed hoc erit coronas fabricare. Diligam te Domine fortitudo mea, per quem mihi vermiculo succumbit omnis fortitudo contraria, & illuditur ab Angelis tuis in ministerium nostrum missis antiqui draconis astutia, vt volens nocere, prosit. Diligam te Domine propugnator potens, gubernator prudens, consolator clemens, remunerator affluens. Securus in eum proiicio omnem sollicitudinem meam: cuius nec potentia vinci, nec sapientia falli, nec beneuolentia potest fatigari, quo minus expleat omnem indigentiam meam. Quàm satius, quàm securius est ipsum esse sollicitum, quàm meipsum pro me! quàm bonum est confidere in Domino, quàm in homine! quàm vere maledictus qui confidit in homine, carnem ponit brachium

s Ierem. 17. a
suum, & recedit à Domino cor eius s! Et quidem egenus & pauper ego sum: sed si Dominus sollicitus est mei, diues sum, beatus sum; cui nimirum omnia cooperantur in bonum u.

u Psal. 9. b
Sperent igitur *in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis sperantes in te Domine*: sedeatque populus tuus sicut scriptum est x,

x Esa. 32. d
in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta, in securitate sempiterna. B Omninò pulchra pax & securitas sempiterna, habitare in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorari. Prorsus requies opulenta, sedere feriatum sub vite vera, ficu, & oliua: & post saturitatem variorum fructuum, seipsum mulcere carmine amatorio, ac dicere y.

y Cant. 2. a
Sub umbra illius quem desiderabam, sedi: & fructus illius dulcis gutturi meo. Planè dulcis gutturi fructus, de cuius gustu tam dulcis erumpit ructus.

4. Hæc sunt ergo tabernacula fiduciæ, in quibus verus Israel habitat confidenter, pascit & cubat, & non est qui exterreat: & sicut Sapientia promittit z,

z Prou. 1. d
Fiduciæ & Timoris indiuidua copula

requiescet absque terrore, abundantia perfruetur, malorum timore sublato. Et benè *timore malorum sublato*, non timore Domini, ne fiducia ista & securitate quam commendamus, negligentiam putes generari, cùm non in alio quàm in timore Domini sit fiducia fortitudinis. Timor quippe dum cauet offensam, custodit gratiam; locumque seruat fiduciæ, quamdiu tibi conscius non es Dominum offendisse. Inde fit vt non nisi castè timeas eum: præter eum nullatenus timeas alienum. Sola ergo conscientia bona C fiduciam istam præsumit, suadet corda nostra esse in conspectu iudicis æterni.

Amoris comes est fiducia.

Quis enim benè sibi de illo promittat, à quo se minimè diligi intelligat? Qui autem diligit, nunquam diffidit; sciens quia is quem corda non fallunt, diligentes se diligit, etiam cùm arguit & corripit. Siquidem eruditis corde in sapientia, non aufert, sed auget fiduciam patris disciplina, scientes scriptum a:

a Iob. 5. e
b Apoc. 3. b

Beatus qui corripitur à Domino: & b, *Ego quos amo, arguo & castigo.* Cum igitur exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo c:

c Psal. 2. c

quos scilicet amoris proprii conscientia consolatur, quia cùm iratus fuerit misericordiæ recordabitur d, & cùm dixerint e:

d Esa. 12. a
e Hab. 3. a
f Ibid.

Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, statim subsequentur f, *conuersus est furor tuus & consolatus es me*: eò quòd non nisi in breui exarserit ira eius, quam tam citò placauerit confessio reatus.

5. Meritò igitur benedictum virum qui confidit in Domino, ligno comparat Hieremias g, quod transplantatur super aquas:

g Ierem. 17. b
Securitas hominum in Deo confidentis.

quod quia ad humorem amoris mittit radices cordis, non timebit cùm venerit æstus iræ & tribu- D lationis: sed & in tempore siccitatis cùm multo tempore cœlum clausum fuerit, nec ros nec pluuia gratiæ super eum descenderit, non erit tamen sollicitum, quasi Deus eum proiecerit. Sentit quippe se plantatum fide, radicatum charitate super aquas vitæ, quæ secundum Ezechielem h,

h Ezech. 47. b

de sanctuario egredientes viuificant omnia, & habent in vtraque ripa omne lignum pomiferum, cuius folium non defluit, nec fructus deficit. Cur igitur lignum illud benedictum aut timeret æstum, aut de siccitate esset sollicitum, cui aqua viua, i. e. Spiritus sancti gratia vitalem in occulto succum spei & charitatis subministrare

A non desinit: vnde & folium sit viride, id est, verbum plenum gratiæ & veritatis; & ipsum non desinat aliquandò facere fructum quodcunque opus pietatis? Et grata quidem illa verna temperies, pacis & lætitiæ: desiderabilis illa pluuia voluntaria quam segregauit Deus hæreditati suæ: sed si ita necesse est, adurat omnia æstus tribulationis, veniant iterum quæcunque prophetauit Hieremias i de sermonibus siccitatis spiritualis, non tamen timebit, quem fiducia Domini radicauit super aquam refectionis, id est gratiam Spiritus sancti: quæ & si manifestè non pluat, vt sensibiliter influat, occultè tamen interius viuificat & fœcundat: quamdiu videlicet fidem propositi conseruat, ad perseuerandum confortat, verbumque irreprehensibile & opus stabile subministrat.

i Ierem. 17.

In huiusmodi vestra, Fratres, sit consolatio, quoties alias consolationes non modo carnales, sed & spiritales subtraxerit vobis, non negligentia vestra, sed dispensatio diuina. Et fortasse quidem illa quam diximus occulta gratia Spiritus irriguum est inferius, quo nimirum Axa non vult esse contenta k, nisi adiiciatur ei & irriguum superius: vt scilicet de excelso effundatur Spiritus, rorent cœli desuper, & nubes angelicæ pluant iustis iustificans Dei verbum, loquens ad cor Hierusalem. 6.

k Iosue 15. d

B Et benè illud irriguum inferius, quod quasi ad radices fluens nutrit humilitatem: hoc autem superius, quod se desuper effundens, spe & exultatione attollit mentem.

Irriguum superius & inferius tropologicè.

Si ergo & vos, Fratres, ad illud suspirans superius irriguum, laudabile quidem desiderium: si tamen nondum attingitis, mittite radices interim ad humorem, salubre remedium. Qui igitur non præualet capere lætitiam contemplatiuæ, meditetur iustitiam vitæ actiuæ: inde radices affectionum impinguet, dulcoret mores, omnemque vitæ statum informet: quatenus in ipso nec marcescat aut defluat folium, id est, verbum leuiter aut inutiliter prolatum, nec aliquando vita desinat facere fructum.

Contemplatiuæ incapax, quid facere debeat.

Benedictum lignum cuius folium ad medicinam, fructus ad vitam: id est cuius sermo gratiam parit audienti, & opus vitam facienti.

7. Ad hoc profectò vos, Fratres mei, quos carnalis generatio vel consuetudo secularis plantauerat in terra ruinosa, in terra salsuginis, diuina generatio vel mutatio dexteræ Excelsi transplantauit super aquas refectionis, C vt quibus prius propter sterilitatem parabant securis & ignis, nunc plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri floreatis & fructum faciatis, & fructus vester maneat. Annon aquæ refectionis Scripturæ Spiritus sancti, in quibus meditamur die ac nocte? Annon aquæ refectionis, lachrymæ compunctionis, quæ nobis factæ sunt panes die ac nocte? Annon aquæ refectionis, sacramenta & subsidia nostræ salutis, quibus pascimur & potamur in Altari? In his siquidem omnibus quasi quibusdam riuulis fons sapientiæ qui oritur in medio paradisi, deriuatur foris, & in plateis aquas suas diuidit.

Aquæ refectionis quænam Vuiset- ligiosis.

Ego, inquit Sapientia l, *quasi aquæductus exiui de paradiso, Dixi, rigabo hortum meum plantationum, inebriabo partus mei fructum.*

l Eccli. 24. d

Ecce vt colligere potestis ex ipsius ore Sapientiæ parientis & plantantis, hortus plantationum, est congregatio filiorum. *Nunquid enim ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus* m? Ipse parit, cùm ingenerat voluntatem bonam, plantat cùm instituit vitam, rigat cùm sensibus infundit gratiam, colit cùm moribus adhibet disciplinam:

m Esa. 66. c

audite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate n.

n Eccli. 39. d

D Mittite radices ad humorem vitæ, id est, ad amorem terræ viuentium, non huius, in qua omnia senescunt & putrescunt. Non potest arbor facere fructum qui permaneat, nisi sursum in cœlestibus radicem figat: vt quæ sursum sunt, non quæ super terram quærat & sapiat. Quod enim Physici dicunt hominem esse arborem inuersam, eò quòd nerui corpori radicem & initium in vertice habeant, ego illo potius sensu interpretor, quod radicem amoris & desiderii figere debeat in cœlo, in summo vertice rerum capite nostro Iesu Christo. Qui illuc radices miseritis, & de illo fonte æterno, succum vitæ & gratiæ

Homo arbor inuersa: quo sensu: tum Physicè tum moraliter.

ingiter biberit, non timebit cùm venerit æstus iudicii: sed afferens & offerens fructum quem fecit plurimum, id remunerationis accipiet, vt floreat in æternum ante Dominum, cui est honor & gloria per omnia secula seculorum. A

DE S. BENEDICTO
SERMO III.
Dilectus à Deo & hominibus.

Eccli. 45. a

1. PAucis expressit bonum ac beatum virum, qualẽ nimirum constat dilectum Domini fuisse Benedictum. Paucis, inquam, comprehendit summam perfectionis, plenitudinem gratiæ & virtutis; simulque beatitudinem vitæ perennis, & consolationem præsentis. Quid enim deesse potest ad æternam fœlicitatem illi, qui à Deo diligitur? quid ad præsentem consolationem illi, qui ab hominibus diligitur? Illi nempe qui à Deo diligitur, & si aliquid deesse videtur, non ob aliud deest, nisi vt nihil ei desit: & suo, vt putatur, defectu perfectior fit. Nam virtus in infirmitate perficitur. *Paule*, ait Dominus [a], *sufficit tibi gratia mea*. Cui gratia Dei sufficit, sine damno graui, imò cum lucro non mediocri aliquid gratiæ deficit: quandoquidem ipse defectus & infirmitas virtutem perficit; & imminutio cuiusdam gratiæ, summam omnium gratiam Dei ampliorem ei & stabiliorem efficit. Longè fac Domine à seruis tuis gratiam illam quæcunque sit, quæ adimere aut imminuere gratiam tui possit: vndè videlicet aliquis gloriosior in oculis suis, odiosior fiat in oculis tuis. Non est illa gratia, sed ira: illia planè quibus iratus es dari digna; quibus propter dolos posuisti talia, deiiciens eos dum alleuantur, & elidens validè, dum super ventum ponuntur. Vt igitur illa sola gratia, sine qua nullus à te diligitur, salua nobis maneat, omnem aliam gratiam tua nobis gratia subtrahat, aut certè gratiam vtendi simul conferat: quatenus habentes gratiam per quam seruiamus placentes cum metu & reuerentia, de gratia muneris, gratiam promereamur remuneratoris: & quanto quis fuerit gratiosior, tantò tibi fiat gratior.

Dilectis à Deo nihil deest.

a 2. Cor. 12. e

B

NOTA: Dona Dei quibus homo nõ fit melior, aut gratior DEO, timenda.

Gratia illa quæ gratiæ gratum facienti contraria est, potius ut cauenda.

2. Sanè mirabili arte, sed mirabiliori charitate prudens clementia clemensque prudentia Dei, saluti consuluit humanæ: vt cùm cunctos diligat, non tamen facilè de dilectione sua certos, aut securos esse sinat: nec ob aliud magnam multitudinem dulcedinis suæ timentibus se abscondat, nisi vt dum semper custodit humiles, semper habeat amabiles. Sunt enim iusti & sapientes, & opera eorum in manu Dei; & *tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta* [b]. Moderator nempe omnium sic eis dispensat gratiam munerum & operum, vt ex quibusdam quæ concedit, consolationem quòd digni sint amore tribuat: ex quibusdam quæ subtrahit, suspitionem ac metum quòd odio digni sint iniiciat. Consolatur, cùm diluculo visitat: terret, cùm subitò probat. Nunc mortificat, nunc viuificat: nunc deducit ad inferos, nunc reducit. Nunc pauperem facit & ditat: nunc humiliat & subleuat [c]. Et in tanta vicissitudinum varietate tantò certius salutem nostram operatur: quantò nos incertiores de ea, cum maiore metu ac tremore ei cooperamur. Ait quidem Paulus [d], *Certus sum quia nihil me separabit à charitate Dei*. Sed verè Paulus hic erat, non ego aut tu, quibus omnia in futurum seruari expedit incerta. Paulus, inquam, hic erat qui hoc dicebat: cui nimirum & illud dicere competebat [e], *Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus*, qui scilicet ita totus in quendam diuinum conuersus erat affectum, vt adhærens Domino vnus cum ipso esset spiritus. Vide tamen hunc ipsum Paulum qui ita modò certus erat aliàs trepidum ac sollicitum & castigantem corpus suum ne fortè cùm aliis prædicauerit, ipse reprobus efficiatur [f]: vide etiam colaphizari à Satana, ne fortè extollatur [g]. In ipso itaque Paulo iam tibi est videre quomodo omnis certitudo, quæ ad horam confortatur & conualescit de spiritus consolatione, item infirmatur & euanescit superueniente tentatione. Ego igitur miser & ipsa indignus vita, qua consolatione, qua fiducia me dignum esse amore præsumam, cui omnia & interiora & exteriora manifestum odium denunciant? cuius vita, non tentatio, non militia est aduersus peccatum, sed vlterior a seruitus peccati: qui tam mente quàm carne seruio legi peccati? qui cum prudentia carnis & amicitia mundi, quæ ambæ inimicæ sunt Deo, fœdus miserum pepigisse videor: planè fœdus cum morte, pactum cum inferno? Scio tamen, scio qui dixit [h]: *Delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum cum inferno nõ stabit*: quia nimirum inimicis Dei nil amicum esse poterit, & non mortem, aut infernum, sed omnem quoque creaturam ad vltionem inimicorum zelus armauit. Quam beatus in die illo quicunque erit ille dilectus à Deo, quàm laudabiles quibus tunc laus erit à Deo, quibus dicet euidẽti rerum argumento [i], *Vos amici mei estis eò quòd feceritis quæ præcepi vobis.*

Deus cùm cunctos diligat, non tamen facile de dilectione sua certos esse sinit.

C

b Eccl. 9. a

NOTA. Cur homo de suo apud Deũ statu incertus & dubius.

c 1. Reg. 2. b

d Rom. 8. g

D

e Gal. 2. d

Paulus quomodo certus, & nihilominus trepidus.

f 1. Cor. 9. d

g 2. Cor. 12. b

Securitas nostra ad horam nascens de spiritus consolatione, euanescit superueniente tentatione.

A

h Esa. 28. d

i Ioan. 15. b

3. Et hæc quidem prima virtus, istud optimum gratiæ munus, præcipuus vitæ fructus: quia beatitudinis certissimum pignus, Dei scilicet amicitiam promereri; quo propitio poterit homini aliquis inimicari; sed nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei [k]. Iam verò si post hanc & per hanc summam omnium causamq; bonorum, gratiam etiam illam promerearis, vt dilectus à Deo, etiam dilectus sis ab hominibus: quæ consolatio est illa in miseriis huius vitæ? quæ requies? quod gaudium? quæ deliciæ? præsertim si diceris fauore gratiæ humanæ non euanescere, sed exardescere ad diligendum Deum amplius, propter quem diligaris ab hominibus. Alioquin nempe si aliunde oriatur, vel aliò referatur, quid est fauor humanus, nisi ventus vrens, aura corrumpẽs vel pestilens, latrunculus spolians, homicida insidians, coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò? Vir quippe vanus erigitur in superbiam, & vanitate sensus sui velut equo præcipiti fertur in ruinam. Huiusmodi nimirum serpens vulnerat & subuertit vestigia: dum veluti blandiens capiti, tenera illius facit laudari primordia. Haud secus, nisi fallor, contingit homini qui antequam diligere sciat, diligi nimiè affectat: & antequam vel sibi ipsi amicus esse didicerit, amicos sibi omnes conciliare quærit: facit diuitias non cum iudicio: in medio dierum suorum derelinquet eas, & in nouissimo suo erit insipiens, cùm omnes amici eius spreuerint eum, pro quibus spreuit ipse Deum. Tunc fiet sermo qui scriptus est [l]: *Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Deus spreuit eos.*

Amicitiam Dei mereri, præcipuus vitæ fructus.

B

k Psal. 88. d

Fauor & amor hominũ quatenus probandus.

Si in Deum non tendit, nihil eo pestilentius.

C

l Psal. 52. b

4. Primò itaque omnium illa quæ prima & finis est omnium quærenda est dilectio Dei, cuius merito digni simus etiam ab hominibus diligi: & cuius studio docti simus, dilectione hominum qualiter nos oporteat vti. Cùm autem rem in tuto locaueris; ita scilicet firmato affectu mentis, vt non nisi in Deo, & propter Deum diligi velis, tunc omninò volo, vt dulcedo morum tuorũ, humilitas obsequiorum, honestas studiorum, ad omnẽ te commendet conscientiam hominum, vt vltrò rapiant affectus omnium, testimonio prædicent omnium: quatenus ipsa religio quæ te commendat, iusta vicissitudine per te commendabilis fiat. Sic in te quoque filio adoptiuo, Vnigeniti complebitur oratio [m]: *Pater clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te.* dum videntes claritatem operum tuorum glorificabunt Patrem tuum. Neque id dicimus quòd inter dilectionem Dei, & dilectionem proximi sit aliquis ordo temporis, quamuis sit ordo affectionis. Statim quippe ab initio & illam oportet obseruare, & istam non negligere: quando nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo verè potest diligi: quamuis ordinata affectio ignorare non possit, quæ de duabus dilectionibus præponderet alteri, quæ debeat alteri formam & modum præscribere, finemque præfigere. Sed hoc dicimus quod aliud est amari, aliud amari studere. Quod profectò studium sicut periculosè assumitur ab illis, qui plus vanitate quàm charitate blandi sunt: sic periculosè negligitur ab his, qui plus superbiã quàm sapientiã austeri sunt. Quam ob rem beatum dixerunt, qui inter vtrumque

Per amorem Dei quærendus amor hominum.

m Ioan. 17. a

D

Amari est aliud & aliud studere amari.

vicium, illius scilicet vanæ amicabilitatis, & superbæ seueritatis, mediam tenere potuit regalem viam veritatis. A id est, vt vera charitate plenus, nec per vanitatem hoc studium sectetur, nec per rumorem dedignetur.

5. Amor etiam dum non quæritur, parit amorem.

Illa tamen est vis & natura veri amoris, vt etiam cùm non affectat, tamen efficiat se teamari: quoniam veritas etiam sine alieno suffragio facilè se ad omnem conscientiam commendat, nisi dira malignæ mentis obsistat nequitia, quæ parata est sinistrè interpretari omnia. Ad hunc tamen sanctum amorem conciliandum, quidam proprium donum habent ex Deo, qui exhilarans facies eorum in oleo perfudit eos quodam placore ac nitore gratioso, omnia tam facta quàm dicta ipsorum gratificans in oculis omnium: cùm multi qui forsitan non minus imò & amplius amant, non facilè eandem gratiam inueniant. Ad omnes autem pertinet, *vt prouidentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus* n: nec conscientiam negligant amore famæ, nec famam fiducia conscientiæ. Nam & de ipsa conscientia quomodo tibi blandiri potes, nisi sine querela sis inter fratres, imò nisi te fratrem inter fratres in omni conuersatione tua demonstres? Putas enim satis esse si non scandalizas? B Imo scandalizas, si non ædificas: si non testimonium habens bonum intus & foris, quantum ad gradum tuum attinet, Deum vbique glorificas. Sanè malis, quibus non placet nisi malum, quibus Iustus grauis est etiam ad videndum, si illis placere te non fiunt, non tua negligentia, cùm omnes etiam inimicos diligas, sed ipsorum nequitia qui retribuunt mala pro bonis, odium pro dilectione tua: consolatur te qui ait o, *Beati eritis cùm vos oderint homines*: & ille qui ait p: Quia talibus si placeret, Christi seruus non esset.

Amabilem se gratiosum esse peculiare Dei donum est.

n Rom. 12. d

Conscientia non est negligenda amore famæ, nec fama fiducia conscientiæ.

Scandalizat proximum, qui non ædificat, cum debet.

o Luce 6. c

p Gal. 1. b

6. Correptio odiosa, etiam bonis.

Verum illud miserabile est malum, omnique lachrymarum flumine plangendum, quod quidem sæpius experiuntur, non modò prælati, sed etiam subditi, qui fratres suos æmulantur Dei æmulatione: quòd scilicet & boni, licet non ex ea parte qua sunt boni, bonos inueniuntur odisse. Oderunt corripientem in porta q, & inimici hominis domestici eius r, ita vt etiam Paulus ingemiscat s, quòd filiis & amicis inimicus factus sit, vera dicens. Ergo & ipse expertus est quod Comicus ait, *Veritas odium parit*: imò & illud quod sponsa memorat t: *Filii matris meæ pugnauerunt contra me*, cùm ego pugnarem C pro eorum salute. O victrix regina, ô triumphatrix magnifica, pugna, ne cedas, ne discedas, aut lassescas. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum u. *Sapientia vincit malitiam* x, quanto magis infirmitatem aut imprudentiam! Neque contradictionem carnalium, malitiam interpretari potest charitas spiritualium: sed magis ignorantiam aut infirmitatem qua præueniti sunt. Quanquam nec ipsis Apostolis contumelia visa sit, quòd mali à Domino sunt appellati.

q Amos 5 b
r Mich. 7. b
s Gala. 4. b
Terent. Veritas odiũ parit.
t Cant. 1. b

u Rom. 12 d
x Sap. 7. a

7. Quare autem hæc ita loquor, Fratres mei, dilecti Deo & mihi? Nunquid quia malum huiusmodi suspicer in aliquo vestrum, contra quod mihi vel fratribus meis sit pugnandum? Nunquid enim aliquis inuenitur in vobis, non dico rebellis, sed vel durus & intractabilis? Loquor hæc non quia ita in vobis sit, sed ne aliquando sit, ne fortè aliquando cuipiam aliqua infirmitas subripiat*, vt quamcunque correptionem charitatis, nisi cum charitate suscipiat. Sic fiet, vt tam is qui corripit quàm ille qui corripitur dilectus sit à Deo & hominibus, & memoria vtriusque in benedictione sit: quod meritis beati Benedicti patris nostri præstare dignetur ille singulariter D benedictus Dei Patris Iesus Christus, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

al. subrepat

IN FESTO S. BENEDICTI
SERMO IV.

Eccli. 45. a

In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum.

1. HÆc quidem de Moyse scripta sunt, sed hodie beato Benedicto non incongruè quantum arbitror aptata sunt. Qui cum omnino plenus fuerit Spiritu Sanctorum, multo magis de spiritu Moysi credendus est habuisse non minimũ. Si enim Dominus de spiritu Moysi tulit, & posuit super omnem illam suffraganeam turbam A seniorum, qui in partem ministerii sunt asciti a, quantò magis super istum qui plenitudinem totius ministerii, tantò verius quantò spiritualius impleuit? Ille dux fuit exeuntium de Ægypto, iste renunciantium seculo: Legislator ille, legislator & iste: Ille tantum minister literæ occidentis, iste spiritus viuificantis: Ille ad duritiam cordis Iudæorum dedit eis iustificationes non bonas, præter pauca moralia: iste solam puritatem Euangelicam simplicemque morum tradidit disciplinam: Ille tam multa scribit intellectu difficilia, factu impossibilia, vel inutilia: iste rectissimam vitæ scribit regulam, sermone luculentam, discretione præcipuam. Denique dux ille filiorum Israel, quos de Ægypto eduxit, in requiem promissam non induxit: dux noster recta via, orientis tramite, tanquam signifer exercitus Monachorum hodie præcessit nos in regnum cœlorum. Itaque non erit absurdum, si credatur illius adæquasse meritũ, cuius inuenitur etiam superasse ministerium. Nec incongruè videbitur ad ipsum esse translatum, quod de illo scriptum legitur, *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum Dominus*: præsertim, cùm harum præcipuè virtutum B fidei scilicet & lenitatis nobis ipse magister sit, qui nequaquam aliter vixit quàm docuit.

a Num. 11. c

Comparatio S. Benedicti cum Moyse.

2. Quid enim præclarius illius fide, qui in ætate puerili mundum sibi arridentem irridens, tam mundi quàm corporis sui florem quasi iam aridum calcauit, magis appetens pro Deo mala mundi perpeti, quàm in eo temporaliter prosperari? Quid similius illi fidei Moysi, quam Apostolus commendans ait b, *Fide Moyses grandis factus negauit se filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem?* Quid autem sanctius lenitate patris nostri, qui nec malitia falsorum fratrum vitæ ipsius insidiantium, & pro vino venenum propinantium potuit exasperari? Moysen quidem Scriptura prædicat mitissimum fuisse super omnes homines qui morabantur in terra c: nunquid tamen exacerbatum spiritum eius negat? Nunquid non iratum & valde iratum aduersus æmulos memorat d? Huius autem magistri nostri mansuetudinem non solùm erga maledicos, sed etiam erga maleficos, mirabilem me legisse memini, iracundiam non memini. Quanquam nec in ipso, sicut nec in Moyse, præconio sanctæ C lenitatis præiudicet, si iustus zelo contra peccantes ferueat, sine quo lenitas tepor, aut timiditas est. Quomodo namque lenitas illa sanctum quempiam faceret, quæ in Heli, qui aliàs sanctus erat, damnata est e? Fratres *habete pacem inter vos*, mandat ille Magister pacificus, & lenis f: prius tamen præmittit, *habete salem in vobis*: sciens nimirum, pacis lenitatem vitiorum esse nutricem, nisi prius asperitas zeli mordacem eis insperserit salem: sicut & carnes vermescere facit clementia temporis, nisi desiccauerit eas feruor salis. Habete itaque pacem inter vos, sed quæ sale condita sit sapientiæ, sectamini lenitatem, sed quæ ferueat fide.

S. Benedictus mundum contemnit.

b Hebr. 11. e

Fert patienter iniurias

c Num. 12. a

d Num. 16. d

Lenitas sine zelo tepor aut tepiditas.

e 1. Re. 1.
f Marc 9. g

Lenitas nutrix vitiorum.

3. In fide & lenitate vos quoque sancti eritis: nec iam lenitas suspecta erit, si fides præcesserit: tantum fides non ficta, sed vera sit: fides non mortua, sed viua & viuida sit. Non modò viua vel viuida, sed & constans & intrepida fides erat Moysi: de quo Paulus scribit g: *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animositatem regis.* Animosi sunt reges, sed animosior est fides: quippe quæ potentiam eorum nullam esse videt, ac per hoc omnem persequentium insaniam secura quasi superior irridet: promptior & fortior ad perferendum, quàm illorum furor ad persequendum. Duo sanè commendare mihi videtur Apostolus in illa memorabili fide Moysi, cui occasione lectionis hodiernæ comparandam diximus fidem sancti Patris nostri Benedicti, scilicet quòd idem Moyses qui fidei exemplum factus est, huius mundi contempsit prospera, nec timuit aduersa. Prospera contempsit, maiores diuitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi: aduersa non timuit, non veritus scilicet animositatem regis. Ad vtrumque verò causam Apostolus subiunxit, vt scilicet id poneret, vt discamus vnde fides

g Heb. 11. e
Fides nullam potentiam metuit.

Fides prospera & aduersa vincit.

nostra infirmetur in nobis. *Maiores diuitias reputabat thesauris Ægyptiorum improperium Christi, aspiciebat* A *enim*, inquit h, *in remunerationem*. Non est veritus animositatem regis, *inuisibilem enim*, inquit, *tanquam videns sustinuit*. Nimirum inde fit vt nihil reputentur temporalia, si præ oculis habeantur æterna: inde fit vt facilè potestas contemnatur humana, si tanquam semper imminens potestas timeatur diuina. Vtrumque verò sola fides agit, cuius tam viuidi, tam perspicaces sunt oculi, vt & in ea quæ futura sunt prospectum viuaciter porrigat; & in ea quæ licet præsentia sint, occulta sunt tamen, intuitum perspicaciter figat. Fidei siquidem quam æternus Spiritus illuminat, nec mora temporis, nec moles corporis præiudicare potest, quin & tempus præcedat, præsumendo quod futurum est, & corpus excedat intuendo quod spiritus est. Gemina siquidem est fidei virtus, contemplantis non ea quæ videntur, sed quæ non videntur; sicut gemina est ratio eorum quæ non videntur. Aut enim ideo non videntur, quia præsentia non sunt: aut ideò, quia & si præsentia sunt, spiritualia sunt. Præsentia non sunt, bona futura quæ promittuntur: præsens est, sed occultus est, quia spiritus est, Deus ipse qui promittit vel minatur. Porro fides quia est *substantia sperandarum* B *rerum* l, bona futura quæ speras, quasi præsentia præsumit, & iam quasi subsistere in corde credentis facit. Item quia est *argumentum non apparentium*, Deum & si non appareat, præsentem tamen esse sibi coarguit, probat & conuincit. Illi qui dicebat k, *Qui cor resuscitauit & consedere fecit in cœlestibus in Christo*, fides erat substantia rerum sperandarum: illi, qui inuisibilem tanquam videns sustinebat l, argumentum erat non apparentium. Qui enim dicebat m, *Spe salui facti sumus*, nonne quod sperabat & per patientiam expectabat, iam per fidem in corde suo subsistere demonstrabat? Et qui proponebat Dominum in conspectu suo semper n, nonne persuasum tenebat argumento fidei, eum præsentem esse, qui non apparebat?

h Ibid.

Temporalia facilè contemnit qui præ oculis habet æterna.

Fidei lyncei oculi.

Gemina fidei vis, videre scilicet futura, & spiritualia.

l Heb. 11, a

Fidei definitio.

k Ephes. 2. b

l Hebr. 11. e

m Rom. 8. d

n Psal. 15 b

4\. Huic fidei prorsus aptissimè congruit quod Scriptura dicit o: *Iustus ex fide viuit*. Hæc enim iustum facit, iustumque custodit: & vt viuat in æternum, interim spei gaudio pascit. Quid enim sic hominem à peccato reuocat & seruat, sicut fides quæ inuisibilem tanquam videns sustinet & obseruat? Quid ita spe gaudentem facit, sicut C fides quæ semper in remunerationem aspicit? Nos enim, fratres, quare negligentes sumus, nisi quia præsentiam iudicis nostri minus vigilanter intendimus? Aut quare tristitia penè absorbemur, nisi quia remunerationem promissam minus fideliter cogitamus? Hæc siquidem duo mala sunt, negligentia scilicet & tristitia, quibus miserabiliter infidelitas nostra laborat: quia videlicet aut negligimus mandata, aut si necessitate timoris à negligentia coërcemur, nequaquam hilariter operamur; nec sicut fides postulat, spe remunerationis in labore consolamur. *Credere*, inquit p, *oportet accedentes ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator est*. Si non dissimulemus *quia est*, habemus custodiam timoris: si non dissimulemus, quia *inquirentibus se remunerator est*, habemus consolationem spei. Vbi custodia timoris, nullus locus negligentiæ: vbi consolatio spei, nullus locus tristitiæ. Sicut autem de fide qua Deus esse creditur, timor salutis nascitur: ita cum minimè creditur aut dissimulatur, omnibus malis frena laxantur. Quare enim *corrupti & abominabiles facti sunt in iniquitatibus*? nisi quia *dixit* ille generalis *insipiens in corde suo, non est* D *Deus* q: quot certè si nescire Deum non permittitur, *non est timor Dei ante oculos eius*, sed dolosè agit in conspectu eius, dissimulans quod nouit inuitus, *vt inueniatur iniquitas eius ad odium* r. Meritò prorsus dolosus ad odium, qui ignorantiam Dei non habet, sed odium. Quomodo enim non odit Deum cuius declinat aspectum, contemnit imperium, vellet non esse iudicium? Ignorans quidem ignorabitur, odiens autem & odietur. Ille reprobabitur veritate iudicii, in illum vindicabitur seueritate odii.

o Habac. 2. & Rom. 1. b

Præsentia Dei cogitata quam vtilis homini.

Negligentia & tristitia nostra ex defectu fidei.

p Hebr. 11. e

q Ps. 13. a

Dei præsentis & inspectoris obliuio omnium scelerum caussa.

r Psal. 35. a

5\. Adeò, fratres, periculosior est fides ficta, fides dolosa, quæ seipsam dissimulat, quàm fides nulla. Fides nulla, A per insipientiam dicit in corde suo, *non est Deus*: fides ficta per nequitiam *dolosè agit in conspectu eius*, & se scire Deum vel sciri à Deo dissimulat: dum sciens & prudens, imò imprudens & impudens sub oculis eius peccat. Nescio tamen quomodo possit dici fides, quæ fictos & dolosos potius facit quàm fideles. Scio quidem quia confessione fidei plena est terra, sed tamen audio Prophetã plangentem s, *Quia periit fides de terra*. Putas enim Filius hominis si nunc veniret, inueniret fidem super terram t? Nunquid fidem reputaret hac fidem fictam negligentium & contemnentium, qua leuius damnat cæcitatem infidelium, qua meliorem iudicat credulitatem dæmonum? Dæmones credunt & contremiscunt u, homines credunt nec contremiscunt. Dæmones quem credunt verentur: homines dum quem credunt, nec timent, nec verentur, grauius de cõtemptu iudicantur. Non fallamur ergo, Fratres, generali nomine fidei, quasi quæcunque fides ad iustitiam debeat reputari, sed meminerimus Doctor gentium in fide & veritate, qualem diffinierit fidẽ, qua Deo est placendum: *Fides*, inquiens x, *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*. Hæc est B fides quæ per dilectionem operatur, vt suadente conscientia meritorum, de fide spes nascatur, fidesque supponatur velut subiectum & fundamentum, cui superædificentur bona æterna, quæ speranda sunt. *Sine ista fide impossibile est placere Deo*: & cum ista impossibile est displicere Deo. *Oculi tui Domine respiciunt fidem*, dixit ille y, qui iugiter in conspectu tuo stabat per fidem. Omnino iustè & meritò. Prorsus debita vicissitudo vt oculi tui Domine respiciant fidem, quia oculi mei semper ad Dominum fidelem.

Fides ficta peior & periculosior quam nulla.

s Ierem. 7. f

t Luc. 18. b

Infideles leuius punientur quam fideles, non iuxta fidem viuentes.

u Iac. 2. c

Fides nõ omnis reputatur ad iustitiam.

x Hebr. 11. a

Ibidem.

y Ierem. 5. a

Nos autem, Fratres, si tanquam sine fide simus, Deum post dorsum nostrum ponimus, vt dissimulantes timorem eius in vanitates potius respiciamus, quo meritò nos respiciendos putamus? Imo respiciemur, sed quo vultu? *Vultus Domini super facientes mala* z: sed quàm iratus, quàm terribilis, quàm importabilis tunc demum scietur quando fugient qui oderunt eum à facie eius? Et à facie tua Domine quò fugient, nisi in tenebras exteriores, in illud chaos & abyssũ ignis & caliginis? *Tunc* enim *dicent montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos* a: leuius æstimantes absorberi voragine inferni, quàm sustinere C faciem Dei irati. Enimuerò tunc stabũt iusti in magna constantia: tunc fides quæ modo sollicita stat in conspectu Domini, ad videndam voluntatem ipsius, secura stabit ad videndam gloriam eius. *Vigilate*, Fratres, *state in fide* b. Quem fides timore sollicitat, non potest dormitare per negligentiam: quem fides in spe radicat, non potest titubare per diffidentiam. Omnia autem vestra in charitate fiant, vt fidei lenitas iungatur, quatenus de vnoquoque vestrum dicatur c, *In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum Dominus*: quod ipse præstet Sanctus sanctorum, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

6\.

z Psal. 33. c

a Luc. 23. d

Vultus Dei irati quàm probis terribilis.

b 1. Cor. 16. c

c Eccl. 45. a

IN ANNVNCIATIONE DOMINICA
SERMO I.

1\. Opportunè nobis in his diebus Quadragesimalis obseruantiæ, solennitas interuenit Dominicæ Annunciationis: vt qui fatigantur afflictione corporali, gaudio recreari valeant spirituali: & quos humiliauit pœnitentiæ luctus, annuntiatio illius qui tollit peccata mundi, consoletur. Sic quippe scriptum habes a: *Mæror in corde viri* D *humiliabit eum, & sermone bono lætificabitur*. Prorsus sermo bonus, sermo fidelis & omni acceptione dignus. Euangelium nostræ salutis: quòd Angelus missus à Deo, hodierna die Mariæ euangelizauit, ac lætum de Incarnatione Verbi, dies diei, Angelus Virgini verbum eructauit. Sermo ille dum Filium promittit Virgini, veniam pollicetur reis, redemptionem captiuis, adapertionem clausis, vitamque sepultis. Sermo ille dum Filii regnum prædicat, iustorum quoque gloriam annunciat: terret inferos, lætificat cælos: & sicut cognitione mysteriorum, sic etiam nouitate gaudiorum perfectionem auxisse videtur Angelorum. Quem ergo non lætificet ille sermo

Opportunitas festi huius tẽpore quadr.

a Prou. 12. d

Lætitia nuncii hodie de cælo allati.

bonus in afflictione sua; quem non consoletur verbum illud in humilitate sua? *Memor esto*, inquit David[b] *verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti; hæc enim me consolata est in humilitate mea.* Verbum tantùm promissionis acceperat, sed nullo adhuc indicio sese effectus prodebat. Affligebat eum dilatio voti, sed consolabatur certitudo spei ex fide promittentis.

b Psal. 118. g

A

2\. Si ergo David sola spe salutis huius quæ nobis seruabatur, animum pascebat; quod gaudium, quæ deliciæ, rei ipsius exhibitio nobis esse debuerat? O felicitas temporum istorum! O infelicitas temporum istorum! An non felicitas temporum, in quibus tanta plenitudo gratiæ & omnium bonorum? An non infelicitas temporum, in quibus tanta ingratitudo redemptorum? Ecce enim venit plenitudo temporis, in quo mittit Deus Filium suũ, vt fiat Filius hominis, hominumq; Saluator: & ecce magnitudo teporis, vt Saluatorem suum fastidiat homo peccator. Annunciatur salus perditis, & contemnunt: promittitur vita desperatis, & negligunt: venit Deus ad homines, & non assurgunt. Assurgit, qui aliqua deuotione se erigit, vt det gloriam gratiæ DEI: assurgit, qui saltem cum gaudio suscipit verbum propriæ salutis. Scio autem scio, quis est qui lætificatur illo sermone bono. Ille proculdubio quem prius humiliauit prius mœror in corde suo mœror de peregrinatione & exilio, mœror de vinculis mortis & periculis inferni; qui mœrens quotidie plangit, quod præoccupauerint eum laquei mortis, & pericula inferni inuenerint. Huic nimirum iucundus aduenit hodiernus ille nuncius de cœlo, hic gratulabundus excipit sermonem de Dei Filio: huic, inquam, lugenti & mœrenti quòd tantis sit malis præuentus & circumuentus, non sine gaudio liberator annunciatur: qui oleum gaudii daturus est pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris; qui videlicet finem dabit miseriis, & sine fine beatitudinem dabit miseris. Beati ergò qui lugent quoniam ipsi consolabuntur: beati quos humiliauit prius mœror in corde suo, quoniam lætificabuntur sermone bono. Bonus planè sermo & consolatorius omnipotens sermo tuus Domine, qui hodie à regalibus sedibus venit in vterum Virginis, vbi etiam sedem sibi regalem extruxit, in qua cùm etiam nunc sedeat, quasi rex circunstante exercitu Angelorum in cœlis, est tamen mœrentium consolator in terris.

Temporis filios ingens & felicitas, & infelicitas.

Ingratitudo hominum erga opus redemptionis.

Gaudium huius diei ad quos pertineat.

3\. Regali siquidem ex progenie Virgo electa est, generositatis quidem regiæ nobilis proles, sed virtutis regiæ nobilior indoles: vt æterno Regi filio Regis, materna quoque nobilitas regium honorem deferret, & venientem à regali sede Patris, regalis etiam thronus in aula virginali Reginæ susciperet Matris. In ipsa quippe & ex ipsa Sapientia ædificauit domum[c], in ipsa & ex ipsa parauit sibi thronum: cùm in ea & ex ea corpus aptauit sibi ita ad omnia perfectum & congruum, vt & domus ei sit ad quiescendum, & thronus ad iudicandum, quod primò tabernaculum ei fuit ad pugnandum & cathedra ad docendum. Vide autem ne fortè ipsa sit *sedes David patris eius*, quàm ei dandam promittit Angelus[d]: non quòd David in ea sederit: sed quòd ex semine David assumpta & fabricata sit. Et certè si sedes David non est, tamen sedes tua DEVS in sæculum seculi ipsa est. Si solium David non est; certè solium excelsum & eleuatum super omnem creaturam, ipsa est. Si quis autem etiam thronum illum grandem[e], *quem rex Salomon sibi fecit de ebore*, corpus ipsum interpretetur, quod pacificus noster hodie sumpsit ex Virgine, non multum à vero videbitur abhorrere: quando quidem & illud quod sequitur; *& vestiuit eum auro fuluo nimis*, eidem satis corpori congruit: quod iam Dominus decorem induit fulgoris intolerabilis. *Vestiuit*, inquit, *eum auro fuluo nimis*. Prorsus si interroges oculos Apostolorum qui transfiguratum in monte viderunt[f], confitebuntur aurum nimis esse fuluum, id est fulgorem corporis esse nimium quem ferre nequiuerunt, quamuis *Nimis* pro valdè ponere consuetudinis sit Scripturarum. Cætera namque quæ prosequitur Scriptura de illius throni magnificentia[g], accommodatius, nisi fallor, si quis tractare

Maria Virgo ex stirpe regia.

c Prou. 9. a
Maria thronus regius.

d Luc. 1. e

C

Maria super omnem creaturam eleuata.

e 3. Reg. 10. c

D

Corpus Christi per thronũ Salomonis præfiguratum.

f Matt. 17. a

g 3. Reg. 10. c

voluerit, accipientur de corpore Christi, quod est Ecclesia.

4\. Mihi sanè magis mirari modò libet illud ebur tam preciosum, imò & impreciabile virginalis castimoniæ, de quo scilicet sedem sibi facere delegit, qui sedet super Cherubin: *hæc*, inquiens[h], *requies mea in seculum seculi, hic sedebo quoniam elegi eam.* Quàm nitidum ebur illud, quod oculis tanti tamque diuini Regis placuit, in cuius diebus argentum nullius est precii! quàm frigidum, quod nec à conceptu incaluit: quàm solidum, quod nec partus violauit: quam candidum simul & rubicundum, quod candor lucis æternæ ignisque Spiritus sancti, vniuersa sui plenitudine repleuit. Maria siquidem & ipsa candidior niue, rubicundior ebore antiquo, cui scilicet incomparabilem & castitas candorem, & charitas seu martyrium rutilantem præ antiquis electis noscitur contulisse ruborem. Nam & suam ipsius animam pertransiuit gladius, vt mater summi Virginis & Martyris, esset & virgo ipsa & martyr, candida & rubicunda, quemadmodum dilectus eius candidus & rubicundus[i]! Deniq; sicut Salomon in omnibus thesauris suis & opibus tantis nihil habuit tam preciosum, quod in opus illud, magnificum thronum scilicet gloriæ suæ iudicaret ebori præferendum: sic Maria singularem præ omnibus Electis Angelorum & hominum inuenit gratiam apud DEVM, vt videlicet DEI conciperet & pareret Filium, atq; ex ebore corporis eius thronum sibi virtus Altissimi, sine manibus excideret gloriosum. Gloriosus prorsus ille thronus ac mirabilis de quo Scriptura perhibet[k], *quia non est factum tale opus in vniuersis regnis*: quod facilè testimoniis probaretur Angelorum, qui semper & insatiabiliter in gloriam & decorem dominici corporis prospicere concupiscunt. Quia enim in vniuersis regnis non est tale opus factum, quicquid factum est, flectat ei genu in omnibus regnis, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Quàm beatus igitur ille venter eburneus, vndè caro eburnea sumpta est Redemptoris, precium animarum, miraculum Angelorum, solium summæ maiestatis, thronusque potestatis, cibus vitæ immortalis, medicina peccati, restitutio sanitatis. *Quotquot*, inquit[l], *tangebant eum, sanabantur à languoribus suis*: nam *virtus de illo exibat & sanabat omnes*[m].

Item Castimonia Virginitatis Deiparæ.

h Psal. 131. d

Maria virgo & martyr.

i Cant. 5. c

B

Maria singulare præ omnibus Electis tam Angelis quam hominibus inuenit gratiam.

k 3. Reg. 10. c

l Matt. 6. g

m Luc. 6. c 5.

C

Beatus igitur venter qui te Domine Iesu portauit, felix castitas vteri virginalis quæ huic operi materiam ministrauit. Felix prorsus, Fratres mei, nitor illius eboris, id est, candor castitatis: cui nec aurum mundanæ sapientiæ, nec argentum eloquentiæ, nec gemmam alicuius excellentis gratiæ, nostri præfert electio Salomonis. si modò tamen castitas humilitate commendetur, quia humilitatem ancillæ suæ respexit Dominus[n]. Proinde namque Salomon cùm in carmine amoris castitatem prædicaret virginis, seu sponsæ videlicet seu sponsi, quia quorum spiritus vnus & caro vna, in plerisque etiam laus vna, vt castitatem illius adornatam nostramque adornandam etiam aliis virtutibus doceret, ait[o]: *Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.* Vt autem noueris, quia castitas aliarum virtutum seu gratiarum sit receptaculum, apothecæ aromaticæ seu vnguentariæ nostri Salomonis non nisi domus eburneæ sunt, sicut David in illo Epithalamio cecinit, quod inscriptio tituli, *Canticum pro dilecto*, de sponso Ecclesiæ accipiendum ostendit. *Myrrha*, inquit[p], *& gutta & cassia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.* Corpora siquidem eburnea sanctorum domus Christi sunt; vestimentum Christi sunt; membra Christi sunt; templum Spiritus sancti sunt. Ab his vestimẽtis Christi, ab his domibus eburneis spirat ei omnis fragrantia virtutum & charismatum, ex quibus delectant & honorant regem regum Filiæ Apostolorum & Prophetarum. Probastis & ipsi, Fratres mei, ex quo cœpistis possidere vnusquisque vas suum in sanctificatione & honore, non passione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum[q], quid vnguentorum, quid odoramentorum diuina largitate sit infusum; quo modo corpus quod erat sentina sordium, nunc Spiritus sancti

n Luc. 1. e

o Cant. 5. e
Castitas cæterorum virtutum receptaculum.

D

p Psal. 44. b

q 1. Thess. 4. a

sit venerabile sacrarium: & quod erat vorago flagitiorum, nunc quædam sit apotheca gratiarum.

6 *Myrrha*, inquit, *& gutta & cassia à vestimentis tuis, à domibus eburneis.* Inhabitamus quidem domos luteas; sed quæ materiæ qualitate sunt luteæ, continentiæ virtute fiunt eburneæ: ex quibus si myrrha prima spirare cœperit per mortificationem voluptatum, consequentur & aliæ species aromaticæ, quæ multiformem virtutũ gratiam spirabunt. Spirabunt autem Christo delectabiliter tanquam de vestimentis suis, spirabunt etiam longè lateque proximis, tanquam bonus odor Christi in omni loco. Horum vestimentorum Christi fragrantiam statim vt sensit Isaac, Ecce, inquit [r], *odor filii mei, sicut odor agri cui benedixit Dominus.* Sed & sponsus ad sponsam, quæ etiam corpus & vestimentum ipsius est, loquitur dicẽs [s], *Odor vestimentorũ tuorum, sicut odor thuris.* Quem nimirum odorem thuris spõso gratissimum, pietas, ô fratres, vestrorum spirabit cordium, si ita fragrans & deuota fuerit, vt dirigatur oratio vestra sicut incensum in conspectu Altissimi, & ascendat coram eo *sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris* [t]. Et quidem myrrha fragrat ei de corporibus vestris; fragrat vtique & mihi: vtinam ita & thus fragret de cordibus vestris, quatenus sponsus probans vos sicut castos, sic etiam deuotos, frequentius vos sua visitatione dignetur & dicat, *Ibo mihi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Videtur tamen sermo iste, prophetia huius esse diei, per Salomonem olim prædicta, per Iesum hodie impleta. Hodie namq; venit in illum montem altissimum montium, montem non modo myrrhæ & thuris, sed & omnium aromatum: dico autem Virginem virginum, omnium plenam gratiarum, inter quas tamen præcipuè, nisi fallor, redolebat sponso myrrha castitatis, & thus pietatis. Odor iste, fratres mei, super omnia aromata; odor iste Dominum maiestatis de excelsis attrahit & inuitat, vt inclinet cœlos & descendat, sicut probat dies hæc, cùm Altissimus Angelo misso de cœlis, ipse quoque descendit in vterum Matris, qui semper manet in sinu Patris, cum quo viuit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

Continentia disponit animum ad diuina charismata.

r Gen. 27. d

s Cant. 4. c

t Cant. 3. c

Mortificatio & deuotio meretur visitationem diuinam.

o Cant. 4. b

Christus incarnatus venit in montem myrrhæ & thuris.

IN ANNVNCIATIONE DOMINICA

SERMO II.

1. HOdie Verbum caro factum est, & habitare cœpit in nobis, secundum regulam scilicet sanæ fidei, quam ecclesiasticorum dogmatum diffinitio tradidit nobis. Firmissimè namq; tenet, & nullatenus dubitat Ecclesia carnem Christi non prius cõceptam, quàm à Verbo susceptam: sed ipsum Verbum Dei carnis acceptione conceptum, carnemque Verbi incarnatione conceptam. Hodie itaque Sapientia ædificare cœpit sibi domum corporis nostri in vtero Virginis, & ad ædificandam vnitatem Ecclesiæ, angularem lapidem de monte sine manibus [a] abscidit: dum sine opere humano de corpore virginali carnem sibi nostræ redemptionis separauit. Ab hoc ergò die Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob: quia hodie Domini est assumptio nostra, vt inhabitet gloria in terra nostra. Prorsus hodie benedixisti Domine terram tuam, illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem Spiritus sancti, vt terra nostra daret benedictum fructum ventris sui, & rorantibus cœlis desuper vterus virginalis Saluatorem germinaret. Maledicta terra in opere præuaricatoris [b], quæ etiam exercitata, spinas & tribulos germinat hæredibus maledictionis: At nunc benedicta terra in opere redemptoris, quæ remissionem peccatorum fructumq; vitæ parturit vniuersis, & filiis Adæ præiudicium originalis dissoluit maledicti. Prorsus benedicta illa terra quæ omninò intacta, nec fossa, nec seminata, de solo rore cœli Saluatorem germinat, & mortalibus panem Angelorum, alimoniam vitæ æternæ ministrat. Hæc itaque terra quia inculta erat, videbatur esse deserta, sed erat opimo fructu referta: videbatur esse eremus solitudinis, sed erat Paradisus beatitudinis. Planè hortus deliciarum DEI; eremus cuius campi germinauerunt germen odoris; planè desertum refertum, de quo agnum dominatorem terræ Pater emisit. *Emitte*, inquit [c], *agnum Domine de petra deserti*, id est, abscinde Petram de Petra, sanctum & inuiolabilem sancta & inuiolata proferat virginitas. Sanè in hoc ipso satis decenter Christi occasus ortui, sepultura respondet conceptioni: dum videlicet emittitur Agnus de petra deserti, condendus in petra monumenti: & cuius corpori monumentũ excidendum erat in petra, ipse ab initio conceptus sui & corpus sibi excidit de petra, & corpori locum in petra: sic integritatem petræ cùm de ea emitteretur non imminuens, sicut nec signatam sepulturæ petram, cùm de ea egrederetur aperiens.

a Dan. 2. c

b Gen. 3. c

Maledictio Adæ hodie mutata in benedictionem

c Esa. 16. a

2. Si ergò *Petra Christus*, vt ait Apostolus [d], non degenerat à Matre Filius, quando & ipsa Petræ nomine censetur. An non rectè vocatur Petra, quæ & in amorem integritatis proposito firma, affectu solida, sensu quoque ipso aduersus illecebram peccati tota insensibilis erat & lapidea? An non rectè Petra virginalis integritas, quæ & nihil parit per naturam sui, & cùm parit, roris virtute diuini, nec admittens conceptum, nec emittens partum nouit aperiri? Sed *aperiatur terra*, inquit Esaias [e], *aperiatur, & germinet Saluatorem.* O sancte Esaia qui dicis *aperiatur*, quid ergo est quod Dominus ad Ezechielem testatur [f], *Porta hæc clausa erit, & non aperietur*? An tibi reseratum fuit tantummodo consilium fœcundandæ matris, & clausum tibi fuit mysterium clausæ perenniter integritatis? Absit, inquit, nemo magis quàm ego conscius huius secreti. Quomodò enim me latuisset perpetuæ virginitatis mysterium, qui tantò ante prædixi, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium* [g]? Quæris igitur quomodo dicamus; ego, aperiatur: ille, *non aperietur*? Non aperietur viro, aperietur Domino: sicut ibidem ad ipsum dicitur Ezechielem [h], *vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam.* Aperietur autem Domino non virginalis integritas corporis, quia sicut Ezechiel post prædicta subdidit: *Hæc clausa erit ipsi etiam principi*; sed aperietur auris & porta cordis: quia videlicet intrauit per aurem Virginis Verbum incarnandum, & exiuit per clausam portam corporis incarnatum. Omnipotens nãque Verbum DEI & si infirmitatem nostram suscepit, nihil tamen de sua sibi omnipotentia minuit, quò minus contra naturam carnis, & supra intelligentiam sensus nostri, corpus suum palpabile per clausa posset & integra traiicere, sicut etiam discipulos ingrediens ianuis clausis, oculis probauit, quod ratio non capit.

d 1. Cor. 10. a

Deiparam rectè dici Petram.

e Esa. 45. b

f Ezech. 44. a

g Esa. 7. b

h Ezech. 44. c

B. Virgo Christum concepit & peperit salua integritate carnis.

Omnipotentiæ Verbi id non erat impossibile

3. Secura igitur ô Virgo intemerata, ô porta sanctuarii perenniter clausa, secura aperi Domino DEO Israel, qui tibi iam dudum clamat [i]: *Aperi mihi soror mea, amica mea.* Non est quod timeas integritati tuæ, Deus non nouit integra violare, sed violata consolidare. Si Verbo DEI aperta es, tum demum non modò clausa, sed & signata es. *Pone me*, inquit [k], *vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Iesus quippe impressus in corde, expressus in opere, sigillum planè & munimentum est inuiolabile castitatis sponsæ suæ, & eo ipso quo se imprimit imitationis formam, imponit etiam incorruptionis custodiam. Sit ergo ô Virgo fidelis, auris tua aperta ad audiendum, & mens tua ad credendum: aure percipe verbum Angeli, & corde suscipe Verbum Altissimi, & corpore concipe Filium Dei. Dic & tu ô beata tam humilis quàm fidelis, dic [l], *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abii. Ecce ancilla Domini* [m]: præsto sum eius voluntati, quinimò iuuabo votis si possum, *fiat mihi secundum verbum tuum.* Hoc dicere, sic suam deuotionem offerre, istud planè est Domino pect⁹ aperire, istud est etiam os aperire, & spiritum attrahere. Sic profectò aperiebatur terra: vt quem rorabant cœli desuper, susciperet rorem, & germinaret Saluatorem. Nobile germẽ, germen iustum, germen odoris, germen Domini quod iam est in magnificentia & gloria, cùm idem fructus terræ sublimis est super omnia, id est, exaltatus est super cœlos Deus, & super omnem terram gloria eius. Nihil enim interest, siue germen, siue fructum, aut flo-

i Cant. 5. b

k Ibid. 8. b

l Esa. 50. b

m Luc. 1. d

NOTA. Coacervatio plurium nominum in diuinis quorsum.

rem dixeris, cùm hæc omnia imò infinita alia vnus Christus sit: res vna, sed multiformis gratia, & virtutis vnius A operatio multifaria: cui si infinita nomina paupertas humani sensus & sermonis, pro similitudine commodauerit, rei tamē implere significationē nō poterit. Benè autē simul vocatur germē, & flos, & fructus, qui sine gradu profectus, ab initio cōceptus sui omni virtute & gratia in seipso extitit perfectus. In nobis enim primū ipse *germē* est, cùm fides in cōfessionem prorūpit, vel opus manifestū: postmodū *flos*, cùm super proficiētē efflorescit sanctificatio Dei quodā spectabili decore virtutū: demū autē *fructus*, cùm beatitudo satiat hominē cōsummatum. Pulcherrimè sanè ac vigilātissimè, nō solùm mysteria, sed & mysteriorum præsagia dispēsatio prærordinauit diuina, vt locus in quo terra germinauit Saluatorē, germē nutritū, & flos de virga & radice Iesse ascēdit, *Naz. reth*, id est sanctitas, germē, flos, virgultū vocaretur: vt videlicet negociū loco, locusq; negocio cōsona voce cōtestaretur, pariterq; & nomē loci rem gerendā pronūciaret, & res gesta causam nominis indicaret.

Christus quomodo in nobis germē, flos, & fructus

Nazareth secundum Etymologiam quomodo respondeat mysterio incarnationis.

4. Ignoscite mihi, Fratres mei, quia qui motū vestrorū seruire debuerā instructioni, plus fortè quàm necesse erat demorat⁹ sum in illius ineffabilis admiratione & præconio mysterii. Quid enim mirū si miror quod stupēt Angeli: si prædicare gestio, quā cœli enarrāt gloriā Dei? Quid mirū, si me delectat, quod beatos Spiritus lætificat? quod peccatores iustificat iustusq; glorificat? Nescio tamen si vlla esse possit efficacior ac suauior morum ædificatio, quàm huius mysterii, id est, Verbi incarnati fidelis & pia consideratio. Quid enim sic hominē excitare potest ad amorem Dei, quā præueniens hominē amor Dei tā vehemēs ad hominem, vt homo propter hominē velit fieri? Quid autē ita nutrit amorem proximi, quā similitudo & natura proximi in humanitate Dei? Nam humilitatis exemplū nec cogitari posse maius aliquod existimo, quā exinanitionē Dei in formā serui, & seruitutē plus quam serui. Castitatē porrò quid æquè commēdat, sicut quod ipsa castitas Saluatorē germinat? Aut fidei virtutē ac meritū quid euidentius ostendit quā quod Virgo Deū fide concepit, fide omnia sibi promissa diuinitus impleri promeruerit? *Beata*, inquit[n], *quæ credidit: quoniam perficientur quæ dicta sunt ei a Domino*. Et vt plenius noueris conceptum Virginis nō solū esse mysticū sed & moralē: quod sacramētū est ad redēptionē, exēplū quoq; tibi est ad imitationē, vt manifestè e[...] acues io te gratiā sacramēti, si nō imiteris virtutē exem[...]li. Quæ enim Deū fide cōcepit, si fidem habere, idē t[...]i promittit: quod videlicet si verbum ex ore nuncii cœl[es]tis fideliter velis suscipere, Deum quem totus orbis ne[...] potest capere, possis & ipse concipere: Concipere aut[em] corde, imò & corpore licet non corporali opere aut specie, tamen planè corpore tuo quandoquidem iubemur ab Apostolo[o] *glorificare & portare Deum in corpore nostro*. Attende itaq; vt scriptum est, diligenter auditui tuo, nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei[p]: quod tibi absq; dubio euangelizat Angelus Dei, cùm de timore aut amore eius tecum agit prædicator fidelis, quem Angelum Domini exercituum dici & esse[q] non est tibi fas ambigere. Quàm beati qui dicere possunt[r], *à timore tuo Domine concepimus & parturiuimus spiritum salutis*, qui nimirum non est alius quàm spiritus Saluatoris, quā veritas Iesu Christi. Vide ineffabilē dignationē Dei, simulq; virtutē incomprehēsibilis mysterii: qui creauit te, creatur in te: & quasi parum esset te ipsum habere patrē, vult etiā te sibi fieri matrē. *Quicunq;*, inquit[s], *fecerit voluntatem patris mei, ipse meus & frater, & soror, & mater est*. O fidelis anima expāde sinus, dilata affectus, ne angustieris in visceribus tuis, cōcipe quē creatura nō capit. Aperi Verbo Dei aurē audiendi, hæc est ad vterū cordis via spiritus concipiendi, hac ratione compinguntur ossa Christi, id est, virtutes in ventre prægnantis.

Verbi incarnati consideratio excitat nos ad amorem DEI,

Proximi;

Humilitatē;

Castitatem:

Fidem.

n Luc. 1. e

Concipere Christum quomodo & nos possumus.

o 1. Cor. 6. d

p Rom. 10. c

q Malac. 2. b

r Esa. 26. d

s Matt. 12. d

Matres Christi mysticæ sunt fideles animæ.

5. Gratias tibi Sancte spirit⁹, qui vbi vis spiras, video munere tuo nō vnā sed innumeras fideliū animas illo generoso germine grauidas: custodi opera tua, ne aliqua illarū abortiat, cōceptūq; diuinæ sobolis informē aut mortuū excotiat. Vos quoq, ô matres beatæ, tā gloriosæ prolis attēdite vobis ipsis, donec formetur Christ⁹ in vobis[t]: attendite ne qua foris offensa grauior fœtū tenerū lędat, ne quid ingeratis ventri, id est, menti quod spiritū quem concepistis extinguat. Parcite, si nō vobis certè filio Dei in vobis, parcite inquā, nō solùm ab operibus & sermonibus malis, sed etiā à cogitationibus noxiis, & delectationibus mortiferis, quæ planè suffocāt semen Dei. Omni itaq; custodia seruate corda vestra, quia ex ipsis vita procedet: cùm scilicet maturus se partus absoluet, & vita Christi quæ nunc abscondita est in cordibus vestris, manifestabitur in carne vestra mortali. Concepistis spiritū salutis; sed adhuc parturitis, nondū peperistis. Si labor in parturiēdo magna de spe partus cōsolatio[u]. *Mulier enim parit tristitiā habet laboris*, cùm autē pepererit puerū, iā nō memor erit pressurę propter gaudiū, quia natus erit homo Christ⁹ in mūdū exteriorē corporis nostri, quod & minor mundus solet appellari. Qui enim nunc cōceptus est Deus in spiritibus nostris, cōfigurans eos spiritui charitatis suæ, tunc velut homo nascetur in corporibus, cōfigurās ea corpori claritatis suæ, in qua viuit & gloriatur Deus per omnia secula seculorum. Amen.

t Gal. 4. c

Pro felicitatē partu pulchra instructio.

u Ioan. 16. c

IN ANNVNCIATIONE DOMINICA SERMO. III.

B *Audite domus Dauid: Ecce dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet.*

Esa. 7. c

1. HOdie impleta est hæc prophetia in auribus vestris. Hodie nāq; illud ineffabile cōceptus virginalis miraculū, sicut audieratis promissū, sic audistis impletum: Virgo hodie cōcepit. Et hoc signū prioribus retrò seculis inauditū, nostris seculis Dominus dedit. Et sicut Hieremias eodē spiritu & eodē sensu prædixit[a]: *Creabit Dominus nouū super terrā, quia fœmina circūdabit virū*. Quid est enim *creabit Dominus nouū super terrā, fœmina circūdabit virū*, quod ait Hieremias; nisi quod ait Esaias[b], *dabit Dominus signū, Virgo cōcipiet filiū*. Hoc nēpe est *circundabit*, non de cōsortio virili suscipiet, sed de sola intra semetipsā cōcipiet. & solius materni corporis inuolucro vestiet. Alioquin dicant si possunt Iudæi, quod signū Dominus in hoc dedit, si non virgo, sed adolescentula, vt ipsi falsò interpretātur, cōcepit: aut quid nouū Dominus creauit, si fœmina masculū de masculo susceptū circundedit. Potest quidē mentiri iniquitas sibi; sed in multitudine virtutis tuæ, ô Domine, mentientur tibi inimici tui vt virtutē tuā dum negat prauitas & paucitas Iudæorū, gloriosius & copiosius confiteatur fides omniū populorū. *Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: quia terra dedit fructum suum*[c]: virgo germinauit Iesum. Velint nolint Iudæi, creauit Dominus nouitatem huius miraculi, in signum eorum incredulitatis: vtiq; in signū cui contradicunt vsq; hodie: plus, nisi fallor, pertinaciā odibili, quàm ignorantiā miserabili.

a Iere. 31. d

b Esa. 7. c

Iudæorum malitia non agnoscentium Christum de virgine natum.

c Psal. 63. a

2. Non alienū tamē ab origine & consuetudine viperei germinis, si modò cōtradicunt huic signo, postquā factū est: qui ab initio in patre & rege suo impiissimo Achaz contradixerunt ne fieret. *Locutus est* enim *Dominus ad Achaz dicēs*[d]: *Pete tibi signū. Non petā*, inquit, *& nō tētabo Dominum*. O religio prophana, ô pietas execrāda, ô humilitas dolosa. Ne tentes, vt ais, Dominū, contemnis Dominum. Quomodo enim tentares, si fideliter obedires? Nunc autem quomodo non grauiter tentas, quem manifesto contemptu irritas? Nouimus vtique, nouimus dolum & inuidiam Iudaicæ radicis, quæ & antequam Christus nasceretur, inuidere cœpit gloriæ illius. Nam & D iste Achaz quantū ex vita & moribus ipsius intelligi datur, (nam cultor Idolorū erat,) non alia religione aut metu signū recusauit petere cùm iuberetur, nisi ideò scilicet, ne Dominus glorificaretur. Sanè mira & planè digna ira DEI & hominum, tam dira peruersitas Iudæorum, qui cùm iubentur signa quærere renuūt, non, vt fingunt, ne tentent, sed ne glorificent Dominum; cùm non iubentur, tentant & quærunt. Nam velut naturâ & vsu Iudæi signa quærunt[e], & si dantur calumniantur & inficiari contendunt, vt manifestè confiteantur, quia tentantes quærebant: non vt crederent facienti, sed vt insultarent non facienti. O gens peccatrix, *semen nequam: filii scelerati*, ait Esaias, *nunquid parum est*

d Esa. 7. a

& inuidentiū gloriæ eius.

Item signo præposterè recusantium & postulantium.

e Matt. 12. a

vobis molestos esse hominibus, mihi & aliis prophetis, imò vniuerso generi hominum, *quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Quia (A) enim vos in peruersum aduersum eum inceditis, & ipse, vt ait, peruersus incedet vobis. Non vultis signum dari, ne glorificetur auctor miraculi: & ipse propter hoc dabit, vt ipse glorificetur, & vos confundamini. Fac Domine[g], *fac mecum signum in bono, vt videant qui me oderunt, & confundantur*, ait de Iudæis ad Patrem Filius.

g Psal. 85. d

3. Primum autem signum quod Pater & Filius operati sunt in confusionem infidelium, & gloriam fidelium, in testimonium suæ virtutis, & opus nostræ salutis, arbitror hodiernum esse Virginis conceptum. Nam de ipso cùm præmissum esset, *dabit Dominus signum*, quasi quærentibus quod signũ, intulit contextus Prophetæ[h], verbis tamen Euangelistæ[i]: *Ecce virgo concipiet & pariet filium*: vt planè aut consequentia vel veritate contextus careat; aut, quod est probabilius, mendacium Iudæorum latebram non habeat. Meritò proinde cùm iam *generatio praua & adultera signum quærit, signum non datur ei, nisi signum Ionæ*[k], vt videlicet qui ob peruersitatem mentis non ædificantur signo virtutis, scandalizentur signo infirmitatis, triduanæ scilicet sepulturæ & mortis. Nam verbum crucis & mortis Iudæis qui pereunt, scandalum est: his autem qui salui fiunt, id est nobis, virtus (B) Dei est[l]: nec minor aut infirmior nobis est filius hominis in corde terræ, quàm in consessu paternæ dexteræ. Signum quippe quod illi recusauerunt, siue in profundũ inferni, siue in excelsum supra, nos fide plena ac veneratione deuota suscipimus, agnoscentes filium quem concipit Virgo, in profundo inferni signum nobis esse liberationis & veniæ: in excelsum supra, signum & spem exaltationis & gloriæ. Qui enim primum descendit in inferiores partes terræ[m], vt in sanguine testamenti sui extraheret vinctos de lacu in quo non est aqua, ipse est & qui ascẽdit super omnes cœlos, vt adimpleret omnia. Iam leuauit Dominus signum primum in patibulo crucis, postmodum in throno regni: & exaltauit signum ad populos nationum, quia contradictum est ei à populo Iudæorum, & quotidiè à quatuor ventis congregat dispersos veri Israel ad hoc signum. O radix Iesse qui stas in signum populorum super quem iam continent reges os suum, obstruatur etiam os loquentium iniqua; id est, (C) Iudæorum blasphemantium, qui adhuc signo immaculati conceptus tui contradicunt, & nec Angelo Gabriele credunt, dicenti, quia non est impossibile apud te omne verbum. Beata quæ credidit, cui hæc ratio satisfecit, & cùm quæsisset quomodo Filium susciperet, quæ non cognosceret virum, tam de integritate quàm de prole securam deinceps effecit.

h Esa. 7. h
i Luc. 1.
k Matt. 16. a Luc. 11. d
l 1. Cor. 1. c
Signum Ionæ Proph. Iudæis datũ quale.
m Ephes. 4. b

4. Quicquid ergo garrit impietas infidelium, nobis concipiat & pariat Virgo Filium: nos quippe signum habemus in bonum, etiam Matrem & Filium. Nobis planè Mater tota miraculum est, quæ singulariter, & sine exemplo mater est & virgo: nobis Filius totus miraculum, qui non solùm singulariter, sed incomprehensibiliter Deus est & homo. Mater virgo concipiens, & pariẽs, signũ nobis est, quia Deus est homo iste qui concipitur & paritur: Filius diuina faciens & humana patiens, signũ nobis est, quia in Deum trãsferet hominem pro quo cõcipitur & paritur, etiã & patitur. Omnium tamen humanarum infirmitatum vel iniuriarum, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, sic etiã hu- (D) militate ferè maximam existimo, quòd in vtero concipi, in vtero nouem mensium tempore maiestas illa incircũscripta passa est contineri. Vbi enim sic se exinaniuit, aut quando ita penitus à semetipso defecisse visus fuit? Tãto tẽpore nihil illa sapientia loquitur, nihil illa virtus manifestum operatur: nullo signo visibili maiestas quæ clausa latet, proditur. Nõ sic in cruce visus est infirmus, vbi quod infirmum ipsius fuit statim apparuit fortius omnib⁹ hominibus: quando & moriens glorificat latronem, & expirans inspirat Centurionẽ, quando horarius dolor passionis ei nũ solùm cõpati facit elemẽta creaturarum, sed etiam contrarias fortitudines subigit æterno tũ passionis dolorum. In vtero autem sic est quasi non sit: sic omnipotens virtus vacat, quasi nihil possit, & Verbum æternũ sub silentio se premit.

Infirmitatum omnium quas pro nobis Christus suscepit, maxima est Conceptio & nouem mensium in vtero Virg.
Infirmitas humana hic maior in vtero quam in Cruce conspicua.

Vobis tamẽ, Fratres, vobis illud silẽtiũ verbi loquitur, vobis clamat: vobis vtiq; disciplinã silentii commẽdat. *In silẽtio enim & spe erit fortitudo vestra*, sicut Esaias promittit[n], qui cultũ iustitiæ silentiũ diffiniuit[o]. Sicut nãq; puer ille cõceptus in vtero ad maturitatẽ part⁹ sub alto & diuturno profec⁹t silẽtio, sic & spiritũ hominis disciplina silentii nutrit, format & roborat: & quãtò occultius, tãtò tutius & salubrius incrementũ præstat. Nescit homo animalis qui nõ percipit quæ sunt spiritus Dei, quæ sit via spiritus, & quomodo cõpingantur ossa in ventre prægnantis[p]. *Sed nõ occultatum os meũ à te*, ait Sanctus Deo[q], *quod fecisti mihi in occulto* mentis, sub secreto silentii. Sed nec à vobis occultatũ est hoc mysteriũ. Fratres mei, quorum experiẽtia & confessio testis mihi est, quomodo quietus, & modestus spiritus sub silẽtio roboretur, pinguescat & floreat: quomodo econtrariò per verba velut quadã paralysi dissoluatur & defluat; quomodò macrescat & marcescat & aridus decidat. Deniq; si in silẽtio fortitudo nõ esset, Salomõ nequaquã dixisset[r]: *Sicut vrbs patẽs & absq; murorũ ambitu: ita vir qui nõ potest in loquẽdo cohibere spiritum suũ.* Cæterum si quæris quo negocio sit occupãda (B) mens in silentio nihil tibi imponimus onerosũ, comede panẽ tuũ, sicut & ipse Domin⁹ cõceptus suo tibi commõstrat exemplo. Quid enim Propheta de eo dixit cùm loqueretur de porta orientali semper clausa in domo Domini, quæ tamẽ Deũ Israel admisit & emisit? *Princeps ipse*, inquit[s], *sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino. Sedebit*, inquit, *in ea*, quoniam requiescet in ea, de qua & ipse loquitur[t], *hæc requies mea*: sedebit in ea tanquã in throno grandi: quẽ, sicut aliàs dixi[u] Salomon rex sibi de ebore fecit. Si attendas angustias vteri, locus prorsus angustus est: si latitudinẽ cordis, thronus grandis est, propter quã etiã vterus tantæ maiestatis capax factus est. In ea ergo princeps sedit & panẽ comedit: quia *si quis*, inquit[x], *aperuerit mihi intrabo ad eum, & cœnabo cũ eo, & ipse mecũ.*

5.
Silentii religiosi commendatio ab exemplo Christi tam diu latentis & silentis in vtero.
n Esa. 30. e
o Ibid. 32. d
p Eccle. 11. b
q Psal. 138. c
Silentii quãta virtus.
r Prou. 25
Silentio religioso quæ conueniat occupatio.
s Ezech. 44. a
t Psal. 131. d
u 3. Reg. 10. c
x Apoc. 3. d

6. Non est hæc cœna sine pane, quãdo & ipse qui cœnat panis est vitæ: panis qui hodie descẽdit de cœlo, & dat vitã mundo. Sed res mira, idẽ est qui cœnat, & quod cœnatur: & qui comedit, ipse est panis qui ab eo comeditur. (C) Reuera res mira, sed res vera: quia Christus no alio pane quã se ipso pascitur. Ipse nãq; totus est panis, Verbũ propter se, caro propter vnionem verbi. Alioquin caro nõ prodest quicquã[y], cùm spirit⁹ sit qui viuificat: nec in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei[z]. Omne verbũ procedẽs de ore Dei viuũ & vnigenitũ est verbũ Patris, quod cùm simplex sit, in se tamẽ cõtinet rationẽ & formã omnis verbi diuini. Verbũ itaq; pascitur de verbo, Filius viuit de seipso: quia sicut Pater habet vitã in semetipso, sic dedit & Filio vitã habere in semetipso[a]. Alia tamẽ ratione, sed tamẽ ineffabili beatitudine verbo pascebatur anima illa, verbo ipsi in persona cõiũcta: & incõparabili felicitate princeps ille sedens in porta virginalis vteri, panẽ verbi corã Domino cõedebat. Id igitur operis tu quoq; si sapis in silẽtio tuo actitabis, vt panẽ verbi diuini coẽdas corã Domino, cõseruãs sicut Maria[b] quæ de Christo dicũtur, & cõferẽs in corde tuo. Hunc panẽ tecũ Christ⁹ mãducare delectabitur: & qui te pascit, ipse in te pascetur: & panis ipse quo plus editur, plus abundabit edendus: quia gratia nõ minuitur vsu, sed augetur.

y Ioan. 6. e
z Matt. 4. a
a Ioan. 5. d
b Luc. 2. c
Cœna mystica
Gratia non minuitur vsu sed augetur.

7. (D) In hoc propterea tibi fit exẽplo Iesus cõceptus & gestat⁹ in vtero: vt sicut onus illud leue ac suaue etsi grauidauit, nõ tamẽ grauauit vterũ Mariæ; sic te nõ sentiat graue aut molestũ vterus Ecclesiæ. Grauida est, ô Fratres Ecclesia nõ sicut Maria solo Iesu, sed sicut Rebecca Iacob & Esau, nõ solũ scil. bonis & modestis, sed etiã discolis & indisciplinatis: quos tamẽ & ipsos propter nomẽ Iesu, vel fortiã aliquod initiũ substãtiæ eius, Ecclesiæ viscera suscipiũt & amplectũtur. Sed cũ sese colliderẽt paruuli discordes in vtero Rebeccæ, quã prius orauerat vt cõciperet, dolẽsq; ventrẽ suũ à tribulatione malorũ & dolore, pene pœnitebat quod cõcepisset: *Si sic*, inquit, *futurũ mihi erat quid necesse ut cõciperet?*[c] Si de aliquo nostrũ, Fratres, sic cõqueri cõ-

Ecclesia bonos & malos complectitur.
c Gen. 25. d

getit, viscera matris nostræ, timeo ne melius fuisset si conceptus non fuisset homo ille: nisi quod nec de talibus sinit nos desperare, qui etiam de lapidibus suscitat filios

d Luc. 3.b

Abrahæ d. Ipse in eis, si qui tales sunt, emolliat cor lapideum, ne quatians viscera matris: ipse viscera matris consoletur, ne fatigetur in eos qualescunq; sint portare, donec formetur in eis Christus, qui perfectus Deus, perfectus homo viuit & regnat, per omnia secula seculorũ. Amen.

DOMINICA IN RAMIS PALmarum.

Sermo I.

Philip. 2. a

Hoc sentite in vobis, quod & in CHRISTO IESV, *qui cùm in forma Dei esset, &c.*

1. AVdiat seruus nequam & fugitiuus, hominem dico, qui cùm esset in natura & conditione seruili & necessitate seruiendi: seruire detrectans, arripere sibi conatus est libertatem & æqualitatem Domini sui. CHRISTVS cùm in forma DEI esset, non rapina, sed natura æqualis, quia coomnipotens, coæternus, & consubstantialis, exinaniens semetipsum, non solùm formam serui accepit in similitudinem hominum factus, sed etiam ministerium serui impleuit, humilians semetipsum, & obediens factus Patri vsque ad mortem: mortem autem

a Philipp. 2. a

crucis a. Sed parum tibi videatur, quòd cùm esset filius & coæqualis, tanquam seruus seruiuit Patri, si non & seruo suo plusquam seruus seruiuit. Factus quidem erat homo, vt seruiret Creatori. Et quid iustius quàm vt seruias illi, à quo creatus es, sine quo nec esse potes? Et quid beatius aut sublimius, quàm seruire illi, cui seruire regnare est? Non seruiam, inquit homo, Creatori. Ego

Sermocinatio elegans ex persona Christi seruum sese homini efficientis.

igitur seruiam tibi, inquit Creator, homini. Tu recumbe: ego ministrabo, ego tibi pedes lauabo. Tu quiesce: ego languores tuos feram, infirmitates portabo. Vtere me, vt libet, in omni necessitate tua, non modò vt seruo tuo, sed etiam vt iumento tuo, vt peculio tuo. Si fatigatus aut oneratus es, ego te & onus tuum feram

b Galat. 6. a

vt legem meam primus impleam. *Alter*, inquit b, *alterius onera portate, & sic adimplebitis legem* CHRISTI. Si esuris, aut sitis, & ad manum fortè nihil melius habes, nec alter tibi vitulus æquè saginatus præsto est: ecce ego paratus immolari, vt carnes meas comedas, & sanguinem bibas. Nec verearis ex morte serui damna seruitii eius pati, etiam comestus & bibitus manebo tibi integer & viuus, seruiamque vt prius. Si in captiuitatem ductus aut venundatus es, ecce vende me, teque precio mei, vel meipso precio redime. Vile quidem mancipium videor; sed & si noctu & clanculo distrahat quasi res furtiua: & si ab auarissimis Iudæorum sacerdotibus emat, attamen saltem triginta argenteos appreciari potero: hoc precio mei poterit emi sepultura peregrinorum, me precio vita sepultorum. Si infirmaris, & mori times, ego moriar pro te: vt de sanguine meo tibi conficias medicamenta vitæ.

2. Euge serue bone & fidelis, seruisti reuera, seruisti in omni fide & veritate, seruisti in omni patientia & longanimitate. Non tepidè, qui exultasti vt gygas ad cur-

c Psal. 18. b

rendam viam c obedientiæ, non fictè, qui etiam animam post tot & tantos labores superimpendisti, non murmurosè, qui innocens flagellatus, nec os aperuisti.

d Luc. 12. f

Scriptum est, & iustum est d, *seruus sciens voluntatem domini sui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis.*

Christus quã abundè serui pro nobis partes impleuit.

Sed iste seruus, obsecro, quid non dignum fecit? Quid debuit facere & non fecit? *Benè omnia fecit*, clamant qui facta eius obseruabant, *& surdos fecit audire & mutos*

e Marc. 7 d.

loqui e. Omnia fecit digna, & quomodo sic omnia passus est indigna? Dorsum posuit ad flagella, & plagis vapulauit non paucis nec paruis, indicio sunt sanguinis riuuli qui de tot partibus profluunt corporis. Contumelia & tormento interrogatus fuit, veluti seruus aut latro subditus quæstioni, qua confessio extorqueatur criminis. O detestabilem superbiam hominis seruire contemnentis, quæ alio exemplo non poterat humiliari, nisi seruitute & tali seruitute Domini sui. Et vtinam vel sic possit, vtinam vel nunc habeas & referat gratiam tantæ humilitati ac bonitati. Sed vt mihi videtur, adhuc audio eundem Dominum apud Esaiam conquerentem de ingratitudine nequam serui, vbi scilicet ait f, *Non*

f Esa. 43. e

te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Veruntamen me seruire fecisti in peccatis tuis, laborem præbuisti mihi in iniquitatibus tuis. Et quem laborem? Vsque ad defatigationem, esuriem & sitim, sed vsque ad sudorem, sudorem autem sanguinis decurrentis in terram g: sed vsque ad mortem, mortem autem crucis:

g Luc. 22. d

ne omnia modò replicem, quod alapis cæsus, sputis illitus, coronatus spinis, confixus clauis, lancea perforatus, aceto & felle potatus. Hoc *torcular*, inquit h, *calcaui*

h Esa. 63. a

solus, & de gentibus non est vir mecum. Vos ergo qui stetis tota die ociosi, attendite & videte si est labor sicut labor meus.

3. Vtique valdè laborasti, Domine mi, in serviendo mihi: iustum profectò & æquum esset vt saltem de cætero tu quiesceres, iusque tibi seruus vel ordine vicis suæ, quia ad ipsum ventum est, seruiret. Quàm magno, Domine mi, inutile tibi meum redemisti seruitium, qui nec ministeriis indiges Angelorum? Quàm suaui & benigna arte pietatis recuperasti tibi & subdidisti contumacem seruum, vincens in bono malum, humilitate confundens superbum, beneficiis obruens ingratum! Sic nimirum, sic sapientia vincit malitiam; sic carbones ignis congessisti super caput contumacis, quibus accenderetur ad pœnitentiam. Vicisti ergò Domine, vicisti rebellem: ecce do manus in vincula tua, iugoq; tuo suppono ceruicẽ. Dignare tantum vt tibi seruiam, patere vt tibi laborem.

Quàm laboriose simul & suauiter nos recuperauit Christus.

Accipe me seruum sempiternum licet inutilem, nisi nũc quoq; mecum sit & mecum laboret gratia tua, semper & præueniens & subsequens. Præuenit nos, prior ostendẽs humilitatis & patientiæ exempla: subsequatur nos adiuuans, vt imitemur ostensa. Quàm felices nos, ô fratres mei, si super hoc audiamus consilium Apostoli. *Hoc sentite*, inquit, *in vobis quod & in* CHRISTO IESV præ-

Christo nos seruos debemus.

i Philipp. 2. a

cessisse cognoscitis: hoc est, vt nullus extollatur supra se, sed magis humilietur infra se, qui maior est, alius seruiat: si quis læditur, prior satisfaciat, in commune vsque ad mortem quisque obediat. His vestigiis, fratres, sequemur Christum in forma Dei, in qua viuit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA PALMARVM

Sermo. II.

1. PAVLVS doctor noster in fide & veritate, si hodie veniret ad nos, puto quia non iudicaret se aliquid scire inter nos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum a. In his siquidem diebus in quibus anniuersaria

a 1. Cor. 2. a

dominicæ passionis & crucis memoria solenniter celebratur, nihil vt arbitror conuenientius prædicatur, quàm IESVS CHRISTVS, & hic Crucifixus. Nam & aliis quibuslibet diebus quid vnquam potest prædicari fidelius? quid audiri salubrius? quid cogitari fructuosius? Quid enim tam pium fidelium affectibus, tam medicinale moribus, quid sic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit & roborat, sicut crucifixi memoria? Loquatur ergo Paulus inter perfectos sapientiam in mysterio absconditam, mihi cuius imperfectum viderunt etiam oculi hominum, loquatur CHRISTVM Crucifixum: his quidem qui pereunt stultitiam, mihi

Crucifixi memoria nihil salubrius.

autem & his qui salui fiunt planè DEI virtutem Deique sapientiam, mihi prorsus altissimam atq; nobilissimam philosophiã, per quam infatuatã iri deo tam mũdi quàm carnis sapientiam. Quàm perfectum me putarem, quàm prouectum in sapientia, si crucifixi vel idoneus inuenirer auditor, qui factus est nobis à DEO non solùm sapientia, sed & iustitia, & sanctificatio, & redemptio b.

b 1. Cor. 1. d.

Omninò si CHRISTO confixus es Cruci, sapiens es, iustus es, sanctus es, liber es. An non sapiens, qui cum CHRISTO exaltatus à terra, sapit & quærit quæ sursum sunt? An non iustus, in quo destructum est corpus peccati, vt vltrà non seruiat peccato? An non sanctus, qui semetipsum exhibuit hostiam viuam, sanctam, pla-

centem Deo[c]? An non verè liber, quē Filius liberauit, qui de libertate conscientiæ illam liberam vocem Filii sibi assumere confidit, *Venit princeps mundi huius & in me non* A

d Ioan. 14. d *habet quicquam*[d]? Verè apud Crucifixum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, qui sic redimit Israel ex omnibus iniquitatibus eius, vt principis huius mundi calumnias liber euadere mereatur.

2. Sciat tamē sciat quicumq; est ille beatus & verus Israel, non esse hoc suæ meritū perfectionis, sed diuinæ gratiā redemptionis: non scilicet quia peccatum non fecerit, nec inuentus sit dolus in ore eius: sed quia ille cuius hęc laus propria est, Christus scilicet, purgauit peccata illius, qui per sanguinem crucis suæ purgationem peccatorum faciens, ibi maximè triumphauit principatus & potestates, vbi abscondita erat fortitudo eius. Erat abscondita, sed non perdita: quia Crucifixus ex infirmitate, viuebat ex virtute Dei: Erat occulta, sed non erat ociosa: quia Crucifixus, veterem hominem in omnibus electis crucifigebat. Crucifigebat mundum Paulo, & Paulum mundo[e]. Crucifigebat deniq; tyrannum huius mundi, omnesque suæ antiquæ ministros tyrannidis. Hamum planè sub esca recondebat, qui sub infirmitate fortitudinem abscondebat. Ac perinde ille homicida ab initio sitiens humanum sanguinem dum irruit in infirmitatem, incidit in virtutem: morsus dum momordit, confixus dum Crucifixum appetiuit. B

Christus crucifixus infirmitatē præsetulit, miram tamen virtutem & potentiam exercuit.
e Gal. 6. d

3. Gratias cruci & clauis tuis, Domine Iesu: viden perforatas fauces illius Draconis, vt transeant liberati, qui etiam fuerant absorpti. Et qui fiduciam habebat quòd influeret Iordanis in os eius[f], fluuium quem absorbuerat, se non minima ex parte perdidisse frendens irascitur. De illis quippe faucibus nobis isti venerunt, qui hodie nobiscum nobilem ac magnificum crucis decantant triumphum. Planè de ore leonis liberati sūt, imò de ventre inferi regressi sunt. Irascatur ergò, fremat & tabescat de cuius dentibus præda erepta est: nam Christus gratulabitur quòd non gratis crucifixus est. Lugeat Infernus & Mors: ille morsus, ista mortua: nam cœli lætantur, & exultat Ecclesia, quòd Christus infernum spoliat, mortemq; triumphat. In conuersione nempe istorum triumphum suæ renouauit passionis, crucisque miracula suscitauit. In istis crux refloruit, hunc fructum preciosum nunc etiam arbor vitæ tulit. Quomodo namque maneret sterilis, quæ non modò rigata, sed etiam viuifica facta est sanguine Saluatoris? Iam non pœnitebit eum, quòd in palmam ascendit: cùm tantum tamq; preciosum de ea fructum collegerit. Hunc quippe fructum inter alios prævidebat, cùm voluntarius ad crucem properabat. *Dixi*, inquit[g], *ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*. Paucis absoluit, quòd voluntate passus sit, quòd passione exaltatus sit, quòd non sine fructu nostro passus sit. In dicto siquidem proponentis, arbitrii libertas, in ascensu triumphi, sublimitas, in apprehensione fructuum, redemptionis monstratur vtilitas. Vos insensati Iudæi clamabatis quidem, Ascende calue, ascende calue: sed ordinationi eius liberrimæ qui spontè decreuerat ascendere, non potuit furor vester nisi seruire. Ascendit crucem voluntate; triumphauit in ea potestate; fructum ex ea collegit pietate. Vno igitur opere & Iudæum irrisit, & diabolum peremit, atq; Christianum redemit. C

f Iob. 40. e

Gaudiū Christi de Fructibus crucis suæ, id est cōuersione peccatorum.

g Cant. 7. b

4. Dicant igitur qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos[a]: dicant inquam voce & mente magistri sui[h]. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*, in qua sapientia Dei nequam infatuauit consilium, iustitia destruxit eum qui habebat mortis imperium, misericordia liberauit captiuum. Meritò prorsus, ô sapiens gloriator, gloriaberis in cruce Domini tui, cuius liberatus es triumpho, viuificatus mysterio, iustificatus exemplo, munitus signo. Sic enim iustificationis consequentia postulare videtur, vt exemplum Crucifixi ad iustificationem suam imprimant moribus qui signum crucis ad munimen sui imprimunt frontibus: & illius viuant lege, cuius armantur fide. Alioquin D

a Psal. 106. a
h Galat. 6. d

NOTA.
Crucis signū frontibus impressum quid

fallaciter miles charactetem regis gestat, cuius præceptum non obseruat: nec rectè se tuetur illius signo, cuius non paret imperio. Vide autem quanta peruersitas & abusio sit, vt inimici crucis Christi tueri se velint signo crucis Christi: dum securi sunt, luxuriantes contra pietatem crucis, cùm in periculo deprehensi sunt, volentes esse defensi virtute crucis. Planè inimici crucis Christi sunt[i], amici ventris sui; quorum Deus venter est; quorum Idolum nummus est. Sciat tamen sciat quicunq; nunc fallaciter sibi crucifixi signum vsurpat, nequaquam se illo tueri poterit in illa necessitate suprema, quando iam non arbitrio hominum, sed iudicio & ministerio Angelorum signabitur Thau super frontes virorum gementium & dolentium[k], vt discernantur saluandi à multitudine perditorum.

nos moneat: nempe, vt illi pareamus, cuius insignia gestamus.

i Philipp. 3. d
A quibus rectè vsurpetur.

k Ezech. 9. b

5. Sed & Paulus dux ille strenuus militiæ Christianæ, fidelis signifer, qui stigmata Crucifixi in corpore suo portabat[l], nunc quoque in hac verorum ac falsorum militum confusione, signo vtiq; notabili istos ab illis discernebat, cùm dicebat, *Qui autem sunt Christi*[m], *carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Cauta prorsus & circumspecta diffinitio, ac velut formam referens de ipsius veritatis exemplari impresso. Nimirum quod impressum retinet vita, signantius exprimit lingua. Qui ergo Christo confixus erat cruci, de propriæ conscientiæ exemplari formam istam protulit: *qui Christi sunt carnem crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis*. Nouerat vir multæ scientiæ & experientiæ, multos esse aut fore, qui crucifigerent concupiscentias carnis, & sinerent regnare vitia cordis: multos è contrario qui fiduciâ pacati cordis, negligerent mortificationem corporis. Sed sicut nonnunquam diuina iustitia spiritum sibi non subditum, contumeliis carnis licet afflictæ flagellat: sic plerunque corpus inctassatum recalcitrat, & noua bella spiritui iam quieto resuscitat. Eapropter vult Apostolus, vt crucifixis tam vitiis interioribus, quàm concupiscentiis exterioribus, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctimoniam in timore DEI. Timor nempe DEI, velut quidam claui in altum defixi, cruci nos configit, & velut affixus iustitiæ continere nos facit, vt non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis, sed iustitiæ: & licet sit, non tamen regnet peccatum in nostro mortali corpore. Sanè quòd timor DEI comparetur configentibus clauis, sententia est Dauid, qui ait[n]. *Confige* quasi à clauis *timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui*. Si ergo nondum præuales vt vitia extinguas, in hoc vult te esse solicitum Apostolus, vt crucifigas. Non ait, *qui Christi sunt*, extinxerunt vitia, quæ virtus paucorum est, sed *crucifixerunt*, sine quo salus nulla est: sicut præter crucem Christi, nulla redemptio est. Ideo namque Redemptor ad operandam & informandam salutem nostram hunc passionis modum elegit, vt redemptionis sacramentum, iustificationis fieret exemplum: vt quomodo videlicet ipse similitudinem carnis peccati cruciffiait, de peccato damnās peccatum: sic nos, imò multò magis nos, carnem peccatricem cruciemus, crucifigentes, etsi nondum extinguentes in ea peccatum.

l Gal. 6. d

m Gal. 5. d

Crucifixo carnis nota militum Christi.

Concupiscentiæ carn. & vitia cord. pariter crucifigenda.

Timor DEI cruci nos affigit.

n Psal. 118.

Christus crucifixus vt nos doceret crucifigere carnē.

6. Hic recordari potes, quia Moyses ad placandam iram Domini crucifixit principes Israelitarum[o]: Iosue autem, qui & Iesus, quinque reges Amorrhæorum[p]. Si enim iram Domini, quam meruimus, placare volumus, necesse est vt per continentiam nos cruciemus. Iesus autem noster qui nos in terram promissionis introducturus est, vitia quinque sensuum in nobis crucifiget, imò & extinguet; si tamen, sicut est iustum, pendeamus in patibulis vsque ad vesperum. Huius enim perseuerantiæ in cruce Saluator de seipso tibi curauit exemplum præbere, nolens consummari nisi in cruce, aut deponi de cruce ante vesperum tam diei ipsius quàm vitæ suæ. Balaam dicebat[q], *Moriatur anima mea morte iustorum*: tu verò dic, moriatur anima mea morte Domini mei Iesu Christi, & fiant nouissima mea illius similia: vt videlicet in voluntaria cruce pœnitentiæ pen-

o Num. 25. a
p Iosu. 10. c

Perseuerantiā in cruce vsque ad mortem exemplo Christi.

q Num. 23. b

Moriendum in Cruce exemplo Christi. v. Similia sup. ser. 1. de Aduen. circa fin. Item apud S. Bern. ser. 3. Pasch. n. 3. & 8.

deremeteat vsque ad terminum vitæ. Quanta fiduciâ de cruce Filii, in manus Patris spiritum commendabis, imò quanta clementiâ Pater suscipiet quem Filius commendabit! Filius namque qui causam animæ tuæ semel in Cruce suscepit agendam, nunquam eam agere desinit, apud Patrem semper interpellans. Vade securus, vade gratulabundus, vbi iudex tuus est aduocatus tuus: tantummodò signum crucis, mortificationem Iesu, quã circumfers in corpore tuo, secum deferat spiritus tuus. Dominus autem gloriæ qui pro vobis Fratres, passus, in vobis est glorificatus, dignetur vos habere socios passionis & gloriæ, & gloriantes in cruce glorificet in ea claritate quam habuit apud Patrem ante initium seculorum, & habiturus est per omnia secula seculorum. Amen.

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM

SERMO III.

1. DEsiderium animæ nostræ speciosum formâ præ filiis hominum, Hodierna dies aliâ & aliâ specie repræsentat filiis hominum: in vtraque quidem specie spectabilem, in vtraque desiderabilem & amabilem, quia in vtraque saluatorem hominum: licet in vna sublimẽ, in altera humilem: in ista gloriosum, in illa ærumnosum: in ista venerabilem, in illa miserabilem: si tamen dici debet miserabilis: qui miseriam suscepit dignatione miserationis: vt de miseria sua misericordiam præstaret miseris, non vt qui sibi beatitudo est, misericordiam à miseris flagitaret. Vbi ergò miserandus videri voluit ibi & amplius venerandus fuit. Sed *sustinui*, inquit a, *qui simul contristaretur & non fuit, qui consolaretur & non inueni*. Ita qui miseratione omnium miser vltrò fieri voluit, apud nullum ferè miserationem inuenit. Sed vbi, inquies, spectatur hodie sublimis & gloriosus: vbi humilis & ærumnosus? Vide processionem; audi passionem. In his euidenter agnoscere poteris, quod Esaias ait b, *Sicut obstupuerunt super eum multi, sic inglorius erit inter viros vultus eius, & forma eius inter filios hominum.* Obstupuerunt multi de gloria quasi victoris triumphantis, cùm Hierusalem ingrederetur; sed nihilominus paulò pòst vultus eius inglorius & despectus, cùm pateretur. *Cum intrasset Hierosolymam*, ait Matthæus c, *commota est vniuersa ciuitas, dicens, quis est hic?* Cùm pateretur, confusio faciem eius operuit, vt verè confiteatur d, *Exaltatus, humiliatus sum & confusus.* Sanè quod hic se confusum dicit, intelligendum est secundum hoc quod alibi dicit de facie corporis e. *Operuit cõfusio faciem meam*, quia non pepercerunt in faciem meã spuere, velare, percutere & illudere. Nam facies mentis quæ semper & immobiliter habitabat cum vultu Dei: nec inhiberi poterat, nec confundi f. *Dominus Deus*, inquit, *auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam, vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar*: In te enim Domine speraui, non confundar in æternum g. *Confundantur* potius *illi, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego* h.

Duplici specie hodie Christus proponitur spectandus.

a Psal. 68. c

Sublimis & gloriosus.

b Esa. 52. d

c Matt. 21. a

Humilis & confusus.

d Psal. 87 d

e Psal. 68 a

f Esa. 50. c

g Psal. 30. a

h Ierem. 17. c

2. Si igitur, vt dicere cœperam, hodierna processio simul & passio considerentur, ibi planè videtur Iesus sublimis & gloriosus; hic humilis, & ærumnosus. In processione namque cogitatur in honore regis: in passione spectatur in pœna latronis: ibi circumdant eum gloria & honor; hic non est ei species neque decor. Ibi gaudium hominum & gloria plebis: hic opprobrium hominum & abiectio plebis. Ibi acclamatur ei i, *Osanna filio Dauid, benedictus qui venit rex Israel*: hic inclamatur, *Reus mortis* subsannaturque quòd se fecerit regem Israel k. Ibi cum ramis palmarum ei occurritur; hic alapis palmarũ in faciem cæditur, & arũdine percutitur caput. Ibi sublimatur præconiis; hic saturatur opprobriis. Ibi certatim ei via sternitur vestimentis alienis; hic exuitur propriis. Ibi tanquam rex iustus & saluator suscipitur in Hierusalem; hic tanquam reus & seductor damnatus eiicitur de Hierusalem. Ibi sedet in asino stipatus obsequiis; hic pendet in ligno crucis cæsus flagellis, confossus plagis, & desertus a suis. Ecce plusquam Iob hic, cui

Processionis & Passionis Christi antitheses.

i Matt. 21. a

K Ioan. 19. b

A tam repentè, tam vehementer omnia semel in contrarium Deus vertit. *Sufferentiam Iob audistis, finem Domini vidistis*, ait Iacobus Apostolus l: Ac si diceret: Sufferẽtia Iob fuit vsque ad reditum substantiæ, sufferentia Domini vsque ad exitum vitæ. Iob quidem patienter damna sustinuit, sed mox integra sua duplicia suscepit: Christus vt erat repletus miseriis, & inebriatus amaritudinibus, è mundo migrauit. Itaque plusquam Iob hic, qui de summa, vt putabatur, repentè semelque deiectus felicitate, in extrema atque grauissima finem sortitus est calamitate. *Et hæc*, inquit m, *passus sum absque iniquitate manus mea, cùm haberem mundas ad Deum preces*, etiam pro crucifixoribus vt eis ignosceret.

l Iac. 5. c

m Iob. 16. a

3. An non igitur rectè videbitur velut turbatus tanta tamque subita rerum mutatione Filius patrem interpellare illa voce lacbrymabili n, *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Certè manus tuæ fecerunt me, in voluntate tua deduxisti me, & paulò antè cum gloria suscepisti me, & sic repentè præcipitas me? Eleuans allisisti me, quasi super ventum ponens me, & elidens valdè. Exaltatus, humiliatus sum, & confusus: & eò confusus amplius, quò nunc exaltatus sublimius, & nunc humiliatus B profundius, quantoq; nunc altius eleuatus, tantò nunc grauius allisus. Iustum quidem est, ô Pater, vt qui se exaltat humilietur, & elatio indigni digna deiectione puniatur: sed nunquid similiter iustum erat, vt quem tu exaltaueras, ita confusibiliter humiliaretur? & gloriam quam humilitas meruerat, tanta sequeretur contumelia? Nunquid mihi, Pater, iratus fuisti, quòd vel ad horam hic me passus sum honorari? & illud etiam perexiguum quod susceperam de bonis huius mundi, exoluendum erat ante mortem in pœnis & contumeliis, ne postea mihi posset obiici, Fili suscepisti bona in vita tua? At qui tuus erat honor, ô Pater, honor erat Filii: quia qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Ecce exprobrant inimici tui Domine, exprobrant commutationem Christi tui: ecce gloriantur in contumelia mea & tormento, qui paulò antè cruciabantur gloria & honore meo. Nunquid non respondebo exprobrantibus mihi verbum, vt sciant aliquando qua dispensatione commutaueris Christum tuum, quo consilio sic exaltaueris mox humiliandum, vel humiliaueris exaltatum?

n Psal. 21. a & Matt. 27. e

Sermocinatio Christi ad Patrem de subita mutatione gloriæ in contumeliã.

C
4. Respondebis, ô Domine Iesu, respondebis exprobrantibus tibi verbum, & verbum asperum: quãdo scilicet respondebit eis in facie arrogantia eorum, & arguet eos malitia eorum, videntes in quem transfixerũt. Cùm enim *videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna & maiestate* o, tunc scient quod modò nolunt credere: quia illius posterioris gloriæ, prior hodiernæ processionis gloria, mysterium fuerit & figura: sicut passionis contumelia, meritum & causa. Tunc intelligent, quia Christus nunc honoratus, nunc ludibrio habitus, his qui pereunt positus est in offensionem & ruinam sicut his qui salui fiunt in resurrectionem & doctrinam: quia quod sacramentum est redemptionis, simul est etiam documentum ædificationis. Sic n postulabant merita superborum, vt eorum superbiæ & honor Christi fieret scandalum, & mors præcipitium: atque inuidiam iustè pereuntium gloria triumphantis excitaret, morientis pœna damnaret.

o Matth. 24. e

Christi patientis mysteria non modo ad redemptionem sed & ad instructionẽ nostram spectant.

5. Cæterum his qui salui fiunt, id est nobis, omninò erat necessarium, vt Christus transiens viam huius mundi, D sequentibus se viam sterneret; sicut per aduersa, sic etiã per prospera: atque prius exaltatus, post humiliatus, suo traderet exemplo, qualiter modestia seruaretur in honore, patientia teneretur in contumelia vel dolore. Ipse siquidem honorari potuit, inflari non potuit: voluit despici, sed nesciuit aut pusillanimitate deiici aut irâ mordeti. Sicut enim aliâs p cùm vellent eum rapere & facere regem, ipse refugiens & in solitudinem ad orandum aufugiens, docuit exemplo quod dixit & verbo; ne scilicet velimus in sublime tolli: sic modò quadam alia dispensatione sese ad horam honorari patiens; & nihilominus seruans quia nullam mansuetudinem in hono-

Modestia in honore, patientia in cõfusione exemplo Christi tenenda.

p Ioan. 6. b

Mansuetudo discreta solum quoque opportunum requirit.

re retinens, formam dabat his qui in potestate sunt constituti. Qui tamen vt discerent eâ discretione per humilitatem esse mansueti, vt cùm res postularet per zelû essent erecti, Dominus statim in templum regressus q, flagello facto de funiculis vindicat iniurias patris, magisque eligit furorem sacerdotum in necem suam prouocare, quàm templi prophanationem dissimulare.

q Mat. 21. b

6. Vt igitur, Fratres, inoffenso pede tam per prospera, quàm per aduersa sequamur ducem nostrum, in processione consideremus eum in honore positum, in passione contumeliis & doloribus subditum: nunquam tamé in tanta mutatione rerum mente mutatum, & si vultum immutauerit coram Abimelech, id est, regno * Iudæorum: quam commutationem Christi cæcitas exprobrat perfidorum. De immutabili mentis illius statu dicit Scriptura r: *Homo sanctus in sapientia permanet sicut Sol, nam stultus vt Luna mutatur.* De mutatione faciei illius dicit alia Scriptura s: *Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius immutabit.* Prorsus in vultu tuo Domine Iesu qualitercunque videatur immutatus, siue gloriosus, siue inglorius appareas, lucet sapientia: de vultu tuo candor lucis æternæ radiat, vtinam super nos lumen vultus tui Domine effulgeat. Vultus tuus sicut in tristibus, sic in lætis sibi modestus, serenus, ac totus arcano lumine cordis floridus: iustis bilaris & iucundus, pœnitentibus clemens & pius. Intendite, Fratres, in vultum serenissimi Regis. *In bilaritate vultus regis vita,* dicit Scriptura t, *& clementia eius quasi imber serotinus.* Aspexit in Protoplastum, & mox animatus spirauit in vitam u: respexit Petrum, & mox compunctus respirauit ad veniam x. Mox enim vt Dominus respexit Petrum, Petrus de clementia piissimi vultus suscepit imbrem serotinum, lachrymas post peccatum. Lux vultus tui, ô lumen æternum, teste Iob y, non cadit in terram. Quæ enim communicatio luci ad tenebras z? Animæ potius fideliû radios illius excipiant, aspiretq; benè conscijs lætitiam, saucijs medicinam. Planè vultus triumphantis Iesu qualis spectandus est in processione, lætitia & iubilus: vultus morientis, qualis cogitandus est in passione, medela & salus. *Qui timent te videbunt me,* inquit a, *& lætabuntur:* qui dolent se, videbunt me, & sanebuntur, sicut aspicientes in serpentem ligno suspensum post venena serpentium. Te igitur gaudium & salus omnium seu videant sedentem in asino, seu pendentem in ligno, vota benedicant omnium: vt cùm viderint regnantem in throno, laudent in secula seculorum, cui laus & honor per omnia secula seculorum. Amen.

* al. Regn.
r Eccli. 27. b
s Eccles. 8. a
t Prou. 16. b
u Gen. 1. d
x Luc. 22. g
Aspectus in nos Dei clementiæ signum.
y Iob. 25.
z 2. Cor. 6. c
a Psal. 118. k

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM

SERMO IV.

Osanna filio Dauid. Matth. 21.

1. VOx exultationis & salutis, vox gaudii & pietatis, vox fidei & amoris, adgratulans aduentui Redemptoris atque prophetico protestans gaudio desideratæ lætitiam redemptionis. *Osanna filio Dauid,* ait hæc familia Dauid, salus est illi qui factus est ex semine Dauid, vt saluet eos qui sunt ex fide Dauid. Laudate, *laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini:* dicite a, *Sit nomen Domini benedictum,* sit *benedictus qui venit in nomine Domini.* Ex ore istorum perfecisti, ô Pater, laudem Filii tui, vt incorrupto simplicis innocentiæ testimonio, destruas inimicum & vltorem b: Pharisæum & Pontificem: non vltorem diuinæ legis, vt mentita est iniquitas sibi, sed inuidiæ propriæ & furoris. Sed conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet c. *Deus laudem meã ne tacueris,* ait Filius Patri d: *quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est.* Nihil potest negare Pater Filio, non tacuit laudẽ Filii vox paterna sæpius audita de cœlo, non tacuerunt creaturæ, in tot signis & prodigiis confitentes eum auctorem naturæ: Angeli testati sunt, dæmones confessi sunt, ordo Propheticus voce consona sibi inuicem respondentes cecinerût: Sed illa demum perfecta laus est, quam ætas illa non tacet, quæ nescit adulari, & quod Spiritus suggerit, dissimulare non potest. Quid enim manifestius, quàm quod illa ætas à semetipsa, tam noua, tam insolita, nec dicebat, nec faciebat: sed Spiritus sanctus more suo per ora simplicium loquens, testimonium Filio perhibebat?

a Psal. 112. a
b Psal. 8. a
c Psal. 7. b
d Psal. 108. a
Laus Christi ex ore Infantium sincera & minimè fucata.

2. Planè Spiritus sanctus conscius operum Christi, quid ille scilicet Christi pareret aduentus, quid gaudii, quid salutis humano generi passio parturiret illius, præsaga in cordibus innocentium gaudia suscitabat, atque ad prophetandam mundo redemptionis lætitiam, simplicium sibi ministeria sensuum assumebat. Istos nempe Spiritus alloquebatur, vocans ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt: cùm per Prophetam suum dicebat, quæ hodie per ipsum facta sunt: mandabat tunc, & nunc creata sunt. *Exulta,* inquit e, *satis filia Sion, iubila filia Hierusalem: ecce rex tuus veniet tibi iustus & Saluator, ipse pauper & ascendens super Asinum.* Iam, inquit, exulta satis, quæ hactenus in tristitia fuisti, iam te satia, si tamen satiari potes gaudio ineffabili, quod sic desiderium satiat, vt amplius & felicius esurire faciat. Repleatur gaudio os tuum, & lingua tua exultatione: cui si nec os, nec lingua possunt sufficere, superesfundat iubilus, quod non capit affectus. *Iubila,* inquit, *filia Hierusalem:* Beatus enim populus, qui scit iubilationem f. Planè beatus populus, qui scit & intelligit hodie sibi ineffabiliter gaudendum, quando ei Saluator aduenit promissus & expectatus ab initio seculorum. Beatus populus, qui tota alacritate deuotionis hodie ei occurrit, corde simul & voce acclamâs ei g: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* In hoc siquidem benedictus est à Patre Filius, vt qui benedixerit ei, benedictionibus repleatur, non vna scilicet sed pluribus: quia nimirum benedictio quam Domino quis fœneratur, cum multiplici fœnore redit in caput eius. Væ genti peccatrici, semini nequam, filiis sceleratis, ad quos spectat illa Domini querela terribilis h: *Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quisquam: omnes maledicunt mihi dicit Dominus.* Iudaicus populus hic erat, qui in ratione dati & accepti communicare contempsit Domino, nolens benedicere benedictum Dei Patris, vt benediceretur ab eo; sed Samaritanum, dæmoniacum vocans i, insanis atque blasphemis Deum insectabantur maledictis. *Maledicent illi,* inquit k, *& tu benedices:* nam ab eis benedictio quam noluerunt, elongabitur ad gentes. Benedicite gentes Deum nostrum, quoniam qui prior fœnerauit vobis, præueniens vos in benedictionibus dulcedinis, fœnerantibus sibi multiplices restituet vsuras in benedictionibus beatitudinis.

e Zach. 9. b
f Psal. 88. c
g Psal. 117. & Matt. 21. a
h Iere. 15. b
i Ioan. 8. f
k Psal. 108.

3. Ego tamen vereor, Fratres mei, ne fortè hæc tempora teporis & infidelitatis tangat illa querela Domini l, *Non fœneraui nec fœnerauit mihi quisquam:* quia videlicet gratia offertur, nec suscipitur: promittitur merces operi, & vix aliquis spe illius operatur. Dominus siquidem fœnerat, cùm talenta seruis partiens scientiam verbi vel gratiam cuiuslibet muneris ad lucrum prærogat: Domino autem fœnerat iucundus homo qui miseretur & commodat, dicente Scriptura m: *Fœneratur Domino, qui misericordiam facit proximo.* Imò Domino fœneratur quicunque spe diuinæ retributionis aliquid operatur, vt dicere possit n: *Scio cui credidi,* scio qui dixit, *Si quid erogaueris, cùm rediero reddam tibi* o. Nos autem aut nihil, aut ita timidè gelideque fœneramus ei, quasi debitor infidelis sit, aut non habeat vndè reddere possit. Magnæ prorsus fidei illa plebs Hebræa, quæ cùm eum pauperem sedentem super asellum, & ipsum non suum cerneret: omni tamen securitate ac deuotione fœnerabat ei, non solùm vestimenta sua in via sternens, sed & se totam, quantum poterat, honori eius impendens. Sed nimirum intelligebat super egenum & pauperem, quippe cui Propheta signum dederat intelligendi Saluatorẽ, ipsam quæ superbis vilis, paupertatem. *Ipse,* inquit p, *pauper & ascendens super asinum.* Hoc inquit signo poteris venientem agnoscere regem tuum, cuius regnum non est de hoc mundo: quia scilicet ad debellandam superbiam, quæ regnat in mundo, paupertatem seu humilitatem euangelizabit, sicut verbo, sic etiam exemplo.

l Ierem. 15. b
Languor ac desidia laborandi pro mercede æternæ notatur.
m Prou. 19. c
n 2. Tim. 1. c
o Luc. 10. f
Nota seu insigne Saluatoris paupertas.
p Zach. 9. b

4. Beata itaque filia Sion quæ humilitatem tanquam armaturam cœlestem, tanquam insigne regium didicit venerari. Misera mater eius infidelis illa Sion, quæ cùm humilem vidit fastidiuit: cùm honoratum vidit, inuidit. Beata inquam Ecclesia primitiuorum, quæ tam fideliter agnouit tamque gratanter suscepit venientem in nomine Domini: infelix Synagoga perfidorum, quæ venturum in suo nomine parata suscipere, illius qui Patris gloriam quærebat, cruciabatur honore. *Increpa*, inquiunt q, *discipulos tuos*: quasi scilicet aut illorum simplicitas posset adulari, aut ipsius puritas vanis posset laudibus delectari. *Dico*, inquit r, *vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt*, quia Deus laudem meam non tacebit. Prorsus ita est, si tacuerint, lapides clamabũt: quia tempore passionis isti tacuerunt, sed lapides clamauerunt: dum in testimonium & laudem morientis, *petræ scissæ sunt, & monumẽta aperta sunt* s. Prorsus ita est, quia modo tacente synagoga, iuxta illud t: *Nocte tacere feci matrem tuam*, clamat viuis ex lapidibus gentium Ecclesia, clamant planè lapides, de quibus suscitauit filios Abrahæ qui potens est. *Laudate*, inquit Propheta u, *habitatores petræ, de vertice montium clamabunt*. Ecce hodie in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ vox columbæ resonat, clamantis & dicentis x: *Osanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini*. Benedictus, qui vt nidificare possem in foraminibus petræ, manus pedes & latus perforari sibi tulit, & se mihi totum aperuit, vt ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abscõdito tabernaculi sui. Opportunum quidem petra refugium erinaciis, sed & habitatio grata columbis, cuius foramina tot vulneribus toto ferè corpore patentia, & veniam offerunt reis, & gratiam conferunt iustis.

q Luc. 19. f
r Ibid.
s Matt. 27. f
t Ose. 4. b
u Esa. 42. b
x Matt. 21. a
Christus se totum perforatus patius, quasi tot nidos & cauernas ad latendum nobis patefecit.

5. Imò verò tuta habitatio, Fratres mei, turrisque fortitudinis à facie inimici, pia ac sedula meditatione Christi Domini vulneribus immorari, fideque & amore crucifixi, animam ab æstu carnis, à turbine seculi, ab impetu diaboli conturari. Super omnem gloriam mundi protectio huius tabernaculi, videlicet in vmbraculum diei ab æstu, in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia: vt per diem sol non vrat te prosperitate, nec turbo moueat in tempestate. *Ingredere* igitur *in petram, ô homo, abscondere in fossa humo* y, pone tibi latibulum in Crucifixo. Ipse petra, ipse humus, quia Deus & homo: ipse petra forata, humus fossa, *quia foderunt manus meas*, inquit z, *& pedes meos*. *Abscondere*, inquit a, *in fossa humo à facie timoris Domini*: hoc est ab ipso, fuge ad ipsum: à iudice, ad redemptorem: à tribunali, ad crucem: à iusto, ad misericordem: ab eo qui percutiet terram virgâ oris sui, ad eum qui inebriat terram stillicidiis cruoris sui: ab eo qui spiritu labiorum suorum interficiet impium, ad eum qui sanguine vulnerum suorum viuificat extinctũ. Quinimò non ad ipsum tantum, sed in ipsum fuge, in foramine petræ ingredere, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus foratis, in fosso latere te ipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi, quid nisi ostium in latere Arcæ saluandis à facie diluuii? Illud tamen figura, istud autem veritas: vbi non modò seruatur vita mortalis, sed recuperatur immortalis. Ideo quippe latus suum pius & misericors aperuit, vt cruor te vulneris viuificet, calor corporis refocillet, spiritus cordis quasi patenti & libero meatu aspiret. Ibi tutò latebis donec transeat iniquitas: ibi nequaquam algebis, eò quòd in visceribus Christi non frigescat charitas: ibi deliciis afflues, ibi gaudiis superefflues: vel tunc demum cùm à vita capitis tua & omnium membrorum corporis eius absorpta fuerit mortalitas.

Vulnera Christi nobis asyla & latibula.
y Esa. 2. b
Christus petra forata.
z Psal. 21. c
a Esa. 2. b
Ostium in latere arcæ typus vulneris in latere Christi.

Meritò itaque columba Christi, formosa Christi, cui ipsius vulnera tam tuta quàm grata ad nidificãdum parauère foramina, laudes ipsius vtique hodie lætabunda decantat, ac de passionis memoria vel imitatione, de vulnerum meditatione, tanquam de foraminibus petræ vox sua in auribus sponsi resonat. Cæterum vobis, Fratres mei, qui tanto interius nidificastis in foraminibus petræ, quantò secretius viuitis in Christo, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* b, vobis incumbit omninò, vt quorum est conuersatio quietior & tutior, sit etiam deuotio dulcior, præsertim hodie, cùm & recursus temporis, & repræsentatio operis, velut interesse nos facit illi gaudio solenni quo susceptus est in Hierusalem, *benedictus qui venit in nomine Domini*. Ipsi benedictio, regnum & imperium, qui est super omnia Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

b Colos. 3. a

DE RESVRRECTIONE DOMINI

Sermo I.

Nunciauerunt Iacob dicentes, Ioseph viuit. Quo audito, reuixit spiritus eius & ait, Sufficit mihi, si Ioseph filius meus viuit. Vadam & videbo eum, antequam moriar. Gen. 45. g

1. Dicetis forsitan mihi, Benè, sed quid ad rem? Quid de Ioseph ad gaudium huius diei, ad gloriam resurrectionis Christi? Pascha est, & tu iterum apponis quadragesimalia? Agnum paschalem esurit anima nostra, cui se per tam longa præparauit ieiunia. Ardens est cor nostrum in nobis de Iesu. Iesum desideramus: sed nondum meremur ipsum videre, vel de ipso audire. Iesum non Ioseph esurimus: Saluatorem, non somniatorem: dominatorem cœli, non Ægypti: non qui pauit ventres, sed qui pascit mentes, sed esurientes. In hoc saltem nos adiuuet sermo tuus, vt quem esurimus, amplius esuriamus. Legimus enim a: *Beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur*. Cùm audimus, magis esurimus: Nam & qui epulas commendat, famem irritat. Si de Iesu audierimus, auditui nostro dabitur gaudium & lætitia, & exultabunt ossa humiliata. Humiliata sunt ossa nostra quadragesimali afflictione & luctu, magis autem dolore passionis eius: sed exultabunt nuncio resurrectionis eius. Cur ergo tuum Ioseph nobis ingeris, cùm præter Iesum, quicquid loquaris, non sapiat nobis: præsertim hodie, cum Paschalis agnus comeditur, cùm Pascha nostrum immolatus est Christus?

a Matth. 5. a

Ouum siue nucem apposui vobis, Fratres: frangite testam, & inuenietis escam. Ioseph discutiatur, & Iesus inuenietur agnus Paschalis quem esuritis: qui tantò dulcius comeditur, quantò latens abstrusius, & studiosius quæritur, & difficilius inuenitur. Dicitis mihi, quid Ioseph ad Christum? quid historia quam proposui ad diẽ istũ? Multum per omnẽ modum. Historiã recordamini, & vltrò sese vobis reuelabit pietas mysterii, si modò Iesum interpretem habeatis, qui hodieque resurgens, de occidente litera loquitur suis in via, & aperit Scripturas. Quis enim in omnibus Patriarchis & Prophetis manifestius aut signantius quàm Ioseph figuram exprimit Saluatoris? & vt breuiter summam perstringam secundum illud d, *Da occasionem sapienti, & addetur ei sapientia*, si cum fide ac pietate cogitemus interpretationem nominis eius: deinde quòd præ cæteris fratribus *pulchra facie & decorus aspectu* c: quòd innocens actu, prudens intellectu, quòd venditus à suis, suos à morte redemit: quòd prius humiliatus vsque ad ergastulum, & sic exaltatus vsque ad solium: quòd denique pro merito operis sui nouo nomine appellatus est inter gentes d, *Saluator mundi*: si hæc omnia inquam piè ac fideliter cogitemus, nonne incunctanter agnoscimus, quàm verè sit à Domino dictum e, *In manibus prophetarum assimulatus sum*?

Ioseph typus Christi.
Et quidem expressior cæteris.
b Prou. 9. b
c Gen. 39. b
Quibus in rebus præcipuè referat Christum.
d Gen. 41. f
e Osee. 12. c

3. Iam verò si veniamus ad verba illa quæ de historia proposui, puto quia non tam expositione indigebunt, quàm admirationem & gaudium mouebunt: quòd videlicet tam euidenter resurrectio Christi testificata sit à lege & prophetis; & historia vetus tam propriè noua sacramenta loquatur; vt cùm prophetia legitur, penè Euangelium mutatis duntaxat nominibus audiri videatur. *Nunciauerunt* (inquit) *Iacob dicentes, Ioseph viuit*. Quid aliud hic intelligere possum: nisi nunciauerunt Apostolis dicentes, Iesus viuit? Iacob namque nihil aliud quàm Apostolorum chorum intelligo, nec absurdè vt arbitror: non solùm quia de Iacob orti sunt, non solùm quia de Iacob Israel facti sunt, cùm de lucta acti,

Mira Symphonia Legis & Euangelii.

Iosephi exaltati historia Christo resurgenti pulcrè applicatur.

uæ ad visionem & requiem contemplatiuæ transierunt: sed etiam quia Patres sunt multitudinis credentium, id est, verorum Israelitarum, sicut ille carnalium. Sicut ille, sic isti suum Ioseph cum putarent perisse, inconsolabiliter doluerunt: cum audissent viuere, difficulter & tardè crediderunt: cùm cognouissent, ineffabiliter gauisi sunt. *Nunciauerunt* (inquit) *Iacob dicentes: Ioseph viuit. Quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis.* Quasi aliis verbis mihi videtur dictum, quod in Euangelio legitur scriptum g. *Illa vadens*, haud dubium, quin Maria Magdalene, *nunciauit his qui cum ea fuerant lugentibus & flentibus: & illi audientes quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt. Post hæc est ensus est duobus in via, & illi euntes nunciauerunt cæteris, nec illis crediderunt.* Item apud Lucam h. *Et regressa à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus: & visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non credebant illis*: nimirum quia euigilabant de graui somno tædii & desperationis. *Cum autem*, inquit [l], *vidisset Iacob vniuersa quæ Ioseph miserat ei, reuixit spiritus eius & ait, Sufficit mihi, si Ioseph filius meus viuit. Vadam & videbo eum, antequam moriar.* Sic vtique in Apostolis parum profecerunt verba, donec acceperunt munera. Nam & ipse Iesus cùm se eis præsentem exhibuit, non tam persuasit ostensione corporis, quàm aspiratione muneris.

f Gen. 45. g
g Mar. 16. b
h Luc. 24. a
l Gen. 45.

Apostoli ad credendam Christi resurrect. tardi.

4. Scitis quia cùm venit ad eos ianuis clausis & stetit in medio eorum k, *illi conturbati & conterriti existimabant se spiritum videre.* Cùm autem insufflauit in eos, dicens, *Accipite Spiritum sanctum* l; vel cùm cælitus misit eundem Spiritum, sed aliud donum, hæc vtique dona, resurrectionis & vitæ indubitata testimonia fuerunt & argumenta. Spiritus enim est qui testificatur apud sanctorũ corda m & per eorum ora, quoniam Christus est veritas, vera resurrectio & vita. Ideo & Apostoli qui prius dubitabant etiam post intuitum corporis viuentis, post gustum spiritus viuificantis, virtute magna reddebant testimonium resurrectionis. Adeò plus est corde Iesum concipere, quàm oculis videre, vel auribus de ipso audire; tantoque potentior est operatio Spiritus apud sensus hominis interioris, quàm corporalium apud sensus exterioris. Quis enim dubietati relinquatur locus; vbi qui testificatur, & cui testificatur, vnus fuerit Spiritus? S vnus Spiritus & vnus sensus, parque consensus. Tu ergo verè sicut de Iacob legitur, Reuixit eorum spir s, qui iam propemodum luctu erat extinctus, imò d f spetatione sepultus. Tunc (nisi fallor) quisque eorum :ebat sibi, Sufficit mihi quòd Ioseph meus viuit. quia :ere mihi Christus est. & mors lucrum. Vadam igitur ... Galilæam, in montem vbi constituit nobis Iesus, & videbo eum, & adorabo antequam moriar, vt postea nunquam moriar: quia omnis qui videt Filium & credit in eum, habet vitam æternam n, vt etiam si mortuus fuerit viuat o.

k Luc. 24. e
l Ioan. 20. e
m 1 Ioan. 5.

Christũ mente concipere, præstat quam oculis videre.

n Ioan. 6. h
o Ioan. 11 e

5. Nunc ergo, Fratres mei, quid vobis testatur gaudium cordis vestri de amore Christi? Puto equidem (an rectè vos videritis) quoniam si vnquam amastis Iesum, seu viuum, seu mortuum, siue rediuiuum: hodie cùm tam crebrò in Ecclesia personant & consonant nuncii resurrectionis, cor vestrum in vobis gloriatur sibi & dicit: Nũciauerunt mihi dicentes, Iesus Deus meus viuit. Quo audito reuixit spiritus meus, qui dormitabat præ tædio, vel languebat tepore, aut nimia deficiebat pusillanimitate. Nam & de morte suscitat criminosos iucunda vox huius felicis nuncii. Alioquin certè desperandus est & obliuione sepeliendus, quem Iesus regrediens ab inferis, in infimo reliquit inferni. In hoc sanè noueris quòd spiritus tuus plenè in Christo reuixerit, si quod sequitur ex sententia dixerit: Sufficit mihi, si Iesus viuit. O vocem fidelem & planè dignam amicis Iesu: ô castissimum affectum qui sic loquitur: Sufficit mihi si Iesus viuit. Si viuit viuo, cùm de ipso pendeat anima mea: imò ipse sit vita mea, ipse sufficientia mea. Quid enim mihi deesse poterit, si Iesus viuit? Imò desint omnia alia, nihil interest mea, dummodo Iesus viuat. Ipse ergo, si placet ei, desim mihi: sufficit mihi, dummodo viuat ipse vel sibi. Cùm sic amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, vt negligens & immemor sui non nisi Iesum Christum, & ea quæ sunt Iesu Christi sentiat: tunc demũ, vt arbitror, perfecta est in eo charitas. Huic vtique qui sic affectus est, non est onerosa paupertas, iste non sentit iniurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat, imò nec mori se putat, cum magis de morte ad vitam transire se sciat, & fidenter dicat: Vadam & videbo eum, antequam moriar.

Verum hominis solatium de Christo rediuiuo,

nec vnquam amplius moriente.

6. Nos tamen, Fratres mei, licet non simus tantæ nobis puritatis conscii, eamus, nihilominus, eamus videre Iesum in montem Galileæ cœlestis, vbi constituit nobis. Eundo crescet affectus, & saltem perueniendo perficietur. Eundo, via prius arcta & difficilis dilatatur, & virtus infirmis augetur. Vt enim nec Iacob, nec aliquis de domo Iacob se excusaret à via, præter alia munera, missa sunt pauperi seni, sumptus & vehicula, ne quis videlicet aut paupertatem causaretur, aut infirmitatem. Caro Christi est viaticum, spiritus vehiculum. Ipse est cibus, ipse currus Israel & auriga eius. Cum perueneris, tua sunt optima quæque, non Ægypti, sed cœli: in optimo loco regni, tuus Ioseph tibi requiem prouidit. Qui prius misit Angelos, Mulieres, & Apostolos resurrectionis suæ testes & nuncios: nunc ipse clamat è cœlo: Ecce ego quem mortuum lugebatis hoc triduo, mortuus quidem fui propter vos, sed ecce viuo, & data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra p. Venite ad me qui laboratis fame, & ego reficiam vos q. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paraui r. Qui vos eò vocat, ipse perducat, vbi cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

Similitudo elegans.

p Matt. 28. d
q Matt 11. d
r Matt. 25. c

DE RESVRRECTIONE DOMINI
SERMO II.

Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima. Apoc. 20. b

1. EGo *sum*, inquit Iesus a, *resurrectio & vita*. Ipse vtique resurrectio prima, ipse & resurrectio secunda. Resurgens quippe à mortuis primitiæ dormientium Christus; & sacramento suæ resurrectionis operatus est nobis resurrectionem primam, & exemplo eiusdem suæ resurrectionis operabitur nobis secundã. *Prima* enim est animarum, cum eas sibi conresuscitat in nouitatem vitæ; *Secunda* erit corporum, cum reformabit corpus humilitatis nostræ configuratũ corpori claritatis suæ b. Rectè igitur resurrectionem & vitam Christus se profitetur: quandoquidem per ipsum & in ipsum resurgimus, vt secundum ipsum & apud ipsum viuamus: nunc quidem secundum ipsum in sanctitate & iustitia; postmodum apud ipsum in beatitudine & gloria. Porrò sicut resurrectio prima capitis nostri Domini Iesu Christi, causa est & argumentum secundæ resurrectionis, quæ erit totius ipsius corporis: sic vnicuique nostrum prima resurrectio animæ, qua reuiuiscit à morte peccati, argumentum est & causa secundæ suæ resurrectionis, qua corpus liberabitur non modò à corruptione mortis, sed etiam ab omni corruptibilitate mortalitatis. Quod enim hæc illius argumentum & causa sit, Apostolus euidenter ostendit vbi ait c: *Si spiritus Christi habitat in vobis, qui suscitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis.*

a Ioan. 11. e
Resurrectio duplex prima & secunda, illa ad gratiam, hæc ad gloriam,
b Philip. 3. d
Christus resurrectionem & vitam cur se esse dicem.
c Rom. 8. c

2. Bene igitur dicitur, *Beatus & sanctus qui habet partem in prima resurrectione*: sanctus videlicet propter primam quam iam adeptus est per innouationem animæ; beatus propter secundam quam feliciter expectat in corporis restitutione. Denique vnde beatus sit, eadem aperit Scriptura cum subdit: In his, scilicet *qui partem habent in prima resurrectione*, mors secunda non habet potestatem; etiam si prima mors visa est ad horam in eis exercuisse dominationem. Regnauit quippe mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ e. Sed sicut *Christus*, sic & Christianus *resurgens à mortuis, iam non moritur, mors*

d Apoc. 20. b
Mors prima & secunda
e Rom. 5 c

illi vltra non dominabitur[f]. Itaque in beatis illis nec mors secunda potestatem habebit, nec prima potestatem quam ad tempus habuit retinebit: quoniam mors vna Christi, vtramque nostram triumphauit: ab ista liberaos iam captos, ab illa capiendos: ne videlicet in illam incidamus, nec in ista remaneamus. Quàm vera quàm pia simul & magnifica illa morientis comminatio[g]. *Ero mors tua ô mors.* Quàm pulchrè & mirificè triumphauit, qui mortem pro omnibus gustans, tam suam quàm omnium omnimodam mortem absorbuit. Prorsus absorpta est mors in victoriâ[h]. Securus insultet ei quicunque beatus ille est, qui partem habet in resurrectione prima[i]. *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Victa es quæ omnia vincebas: sed & arma perdidisti in quibus confidebas. Vbi enim est stimulus tuus? *Stimulus mortis peccatum*[k], quod semel pungens humani radicem generis, in totam propaginem immedicabile mortis venenum diffudit, dicente Apostolo[l] *quia per vnum hominem peccatum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit.* Victrix ergo regnabat mors ab Adam primo etiam vsque ad secundum: quoniam sicut originali lege tenebatur vniuersum genus humanum vinculo peccati, sic etiam debito moriendi.

f Rom. 6. b
Christi mors vtrâque nostram mortem deuicit.
g Osee 13. d
h 1. Cor. 15. d
i Ibid.
k Ibid.
l Rom. 5. c
Debito mortis omnes obnoxii ex peccato.

3. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam tam peccati quàm mortis: vtique per Dominum Iesum Christum, qui prorsus à peccato immunis, ac per hoc liber à debito mortis: hanc tamen vltro pro nobis exoluit moriens, & peccato nos absoluit resurgens. *Christus* enim, ait Apostolus[m], *mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Moriens namque delictorum nostrorum pendit pœnam, & resurgens iustificationis perpetuæ nobis condidit formam & caussam: vt quomodo videlicet *Christus resurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*[n]: sic Christianus conresurgens Christo iam non peccet ad mortem, nec ei peccatum vltra dominetur. Hic est ille beatus & sanctus, qui partem habet in resurrectione prima, in quem nec potestatem habebit mors secunda: sed absorbebitur in victoriam resurrectionis Christi etiam mors prima. Hic est qui non solùm agnouit, sed etiam apprehendit virtutem resurrectionis Christi, & societatem passionis illius: configuratus morti eius, vt occurrat ad resurrectionem ex mortuis. Non errabat Apostolus qui ob lucrum istud omnia quæ ei lucra fuerant, non solùm detrimenta reputabat, sed etiam velut stercora arbitrabatur[o], tantum vt Christo inueniretur configuratus sicut morti, sic & resurrectioni ipsius. Lucrosum omnino commercium, contemnere ea quæ te deterunt & polluunt, vt lucrifacias Christum: imò si opus sit, non solùm tua, sed & teipsum superimpendere, vt eum tanto fœnore immortalitatis & gloriæ, teipsum mercaris recipere. Quis enim ambigat lucrosum esse commercium seminari corpus mortale, animale, ignobile, vt surgat immortale, spirituale, gloriosum? mori mundo, vt possis dicere, *mihi viuere Christus est & mori lucrum*[p]? O cupidi qui immoramini studio lucrandi, cur non discitis artem lucrandi? Cur non vilia, imò detrimenta & stercora contemnitis, vt Christum lucrifaciatis? *Quare appenditis argentum non in panibus: & laborem vestrum, non in saturitate*[q]? Vt video, vilior est vobis argento vestro panis ille qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Sed non potest scire * quanti sit, qui non vult gustare qualis sit. Vtinam auarus vel ipse sibi preciosior esset pecuniâ suâ, nec amore illius venalem exponeret animam suam, proiiceretque in vita sua intima sua[r]. Prudens ille negociator dignusque rerum æstimator: Paulum nimirum loquor; qui nec animam suam, id est, animalem sensualemque vitam preciosiorem facit seipso[s]: id est spiritu suo, quo videlicet connexus inhærebat Christo, paratus animam perdere, vt in vitam æternam posset eam custodire.

m Rom. 4. d
n Rom. 5. c
o Philipp. 3. b
Ars lucrandi optima contemnere mundum, vt lucrifacias Christum.
p Philip. 1. e
q Esa. 55. a
* al. quantus.
r Eccli. 10. b
s Act. 20. c
Paulus prudens negotiator.

4. Quia igitur qui diuitias habent, difficilè intrant in regnum cœlorum; & qui thesaurizant argentum, citius appendunt illud in inanibus, quàm in panibus: in azymis dico sinceritatis & veritatis, cum quibus hodie comedendus est Agnus paschalis: vos beati pauperes, filii pauperis Crucifixi, vos, inquam, qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. Promptius omnino & facilius emunt bonum illud, nihil habentes, quàm multa possidentes. Cum deest facultas, sufficit ad emendum bona voluntas: qua plerumque sunt ditiores, qui rebus sunt pauperiores. Hos nimirum rectè inuitat Scriptura[t], *Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac.* Vides, ô felix pauper, solam à te voluntatem bonam exigi, in illa sola rationem tanti constare commercii? Ne recuses ingratus quod iam gratis offertur, imò ne perdas ingrata voluntate, quod iam merueras beata paupertate. Agnosce quanti lucri sit, non habere partem in ruina mundi, vt partem habeas in resurrectione Christi. Intellige quantæ felicitatis sit non inebriari luxu & furore seculi, vt cum Christo nouum bibas vinum in regno Patris sui. Inuitat ipse Agnus paschalis amicos ad delicias corporis & sanguinis sui[u], *Comedite*, inquiens, *amici, bibite, & inebriamini charissimi.* Cibus iste & potus, vitæ est mysterium, immortalitatis medicamentum, caussa resurrectionis primæ, pignusque secundæ: quia diuinæ planè in nobis initium substantiæ. *Participes*, inquit Apostolus[x], *Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.* Qui enim post acceptam gratiam ad vomitum suum reuertitur, diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus[y]. Vel certe panis eius in ventre illius vertetur in fel aspidum intrinsecus: quia nimirum, gratia percepta in pœnam conscientiæ vertitur, cum sanguis testamenti quo sanctificatus quis fuerat, pollutus ducitur, & Spiritui gratiæ contumelia irrogatur. Hoc contemptu & nausea diuitiæ deuoratæ euomuntur, ita vt de eo, qui eiusmodi est, dicatur[z]: *Non remansit quicquam de cibo eius, & propterea nihil permanebit de bonis illius.*

Paupertatis religiosæ felicitas.
Bona voluntate ditiores, qui rebus pauperiores.
t Esa. 55. a
u Cant. 5. a
Eucharistiæ virtus.
x Heb. 3. d
Gratiæ acceptæ neglectus seu contemptus quam noxius.
y Iob. 20. b
z Ibid.

5. Videat autem, ne fortè & ipsum terribilis ista perstringat sententia, qui cùm per gratiam deuotionis repletus fuerit in bonis domus Dei, nihil prorsus ex illis in memoria retinet, vt memoriam abundantiæ suauitatis diuinæ nobis eructet: non saporem in sermonibus tanquam gustum in faucibus; non virtutem in moribus, tanquam succum in visceribus: sed dum statim totum per inania vel scurrilia reuomit, gratiam sibi in iram conuertit. Prorsus in iram, & iram terribilem, si in ipsum cadit quod Scriptura contexuit dicens[a]: *Cum satiatus fuerit arctabitur, & irruet in eum omnis dolor. Vtinam impleatur venter eius, vt immittat in eum iram furoris sui, & pluat super eum bellum suum.* Iustum quippe sentiebat atque consentiebat Propheta, vt pluat super peccatores bellum, qui ad pluuiam voluntariam, fructum pacis non retulerunt: sitque ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum, qui calicem Domini indignè bibetunt. *Terra enim sæpè venientem bibens imbrem*[b], *& generans herbam opportunam, accipit benedictionem: proferens autem spinas & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio in combustionem.*

a Ibidem.
gratiam sibi in iram conuertunt otiosi & infructuosi.
b Hebr. 6. b

6. Confidimus autem de vobis, Fratres, meliora, & viciniora saluti, tantum gratiæ Dei grati sitis: & sicut in nouam creaturam translati estis paschalibus mysteriis, sic in nouitate vitæ semper ambuletis. Qui ergo participes Christi effecti estis societate fidei, participatione sacramenti, communione Spiritus sancti: initium substãtiæ eius non solum vsque ad finem firmum retinete, sed etiam sedulò augere nitimini: vt qui per tot munerum prærogatiuas partem habere cœpistis in resurrectione prima tanti fiduciâ pignoris in die agnitionis consignati, ius vobis perpetuum vendicetis in resurrectione secunda: præstante Domino nostro Iesu Christo resurrectione & vita nostra, qui pro nobis mortuus per triduum, iam viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

IN RESVRRECTIONE DOMINI

Sermo III.

Apoc. 20.

Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.

1\. Christus resurr. sua nobis primam resurr. animarum & secundam corporum dedicauit.

PRimitiæ dormientium Christus, primogenitus ex mortuis, quia sua resurrectione, quæ prima est omnium, & primam nobis resurrectionem animarum, & secundam corporum dedicauit: dum in corpore suo quod suscitauit à mortuis, & animabus sacramentum, & corporibus exemplum resurgendi nunciauit. Sed & animabus ipsis duplicem gratiam resurrectionis simplex Christi resurrectio præparauit, dum & quotidie reuiuiscunt à morte peccati per operationem mysterii, & hodie maximè resurgunt à somno torporis per deuotionem gaudii. Quis enim ille tam piger, aut tepidus, qui hodie audiens vocem illam omni gaudio plenam, *Resurrexit Dominus*, non totus in exultationem suscitetur, non totus reuiuiscat & recalescat spiritu? Imò *& cor meum & caro mea exultauerunt*, inquit a, *in Deum viuum*, qui totus conciderat in mœrorem ac desperationem, Iesum aspiciens mortuum. Non mediocri lucro fidei, nec paruo fœnore gaudii, Iesus mihi de sepulchro redit: dum & Deus viuus agnoscitur, qui paulò antè vt homo mortuus lugebatur, & quem occisum cor meum dolebat, iam in eum viuum non solùm cor meum, sed & caro mea exultat, de sua scilicet per eum resurrectione & immortalitate secura. O anima mea, *ego dormiui & exurrexi*, ait Christus b: surge & tu quæ dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus c. An non, Fratres, mortuo similis, qui adhuc stertit orto iam sole, qui adhuc negligentia & socordia premitur, quasi desperato sepultus torpore, tam vbique gratia resurrectionis rutilante? Ferit oculos sol nouus emergens ab inferis, his qui de manè vigilant ad eum, diem reserans æternitatis. Dies iste vesperam nescit, quia non occidet vltra sol eius, qui semel occidens, semel ascendit super occasum, mortem sibi subiiciens.

Somnolentos & tepidos Christi resurrectio excitat.

a Psal. 83. a

b Psal. 3. b

c Eph. 5. c

2\. O, Fratres, hæc dies quam fecit Dominus d, exultemus & lætemur in ea. Exultemus in spe eius, vt videamus & gaudeamus in luce eius. *Exultauit Abrahã vt videret diẽ Christi* e, & hoc meritò *vidit, & gauisus est*. Nã & tu quoque si vigiles quotidie ad fores sapiẽtiæ, & obserues ad postes eius, peruigilq; excubes cum illa Magdalena f ad ostium monumenti eius: probabis, ni fallor, & ipse cum eadem Maria, quàm verum sit quod de ipsa sapientia, quæ Christus est, legitur g, *Facile videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt illã. Præoccupat qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat: qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inueniet.* Sic enim & ipse promisit dicẽs h, *Ego diligẽtes me diligo, & qui manè vigilauerint ad me, inuenĩẽt me.* Inuenit quidẽ Maria corporaliter Iesũ ad quẽ vigilabat, ad cuius monumentũ cum adhuc essent tenebræ excubare venerat. Tu verò qui iam non debes nosse Iesum secundum carnem, sed secundum spiritum: spiritualiter nimirum eum inuenire poteris, si simili eum desiderio quæsieris, si te similiter peruigilem in oratione aduenerit. Dic ergò Domino Iesu desiderio & affectu Mariæ i: *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritus meus in præcordiis meis, de manè vigilabo ad te.* Dic voce & mente Psalmistæ k: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea*: & vide si non cum eis tibi cantare congruerit l: *Repleti sumus manè misericordia tua, & exultauimus, & delectati sumus.*

d Psal. 117. e

e Ioan. 8. g

f Matth. 27. Luc. 24.

g Sap. 6. a

h Prou. 8. b

Vigilantia inuenit Christum.

i Esa. 26. b

k Psal. 26. b

l Psal. 89. c

3\. Vigilantia tũ orationis, tũ actionis commendatur.

Vigilate ergo, Fratres, in orationibus intenti, vigilate in actionibus circumspecti: præsertim quia iam manè illius diei indeclinabilis inclaruit, postquam videlicet lux æterna serenior nobis & gratior ab inferis redit, solemq; nouum susceptio matutina reparauit. Prorsus hora est iam nos de somno surgere, postquam nox præcessit, dies autem appropinquauit m. Vigilate, inquam, vt oriatur vobis matutina lux, Christus scilicet, cuius quasi diluculum præparatus est egressus, paratus vtique vigilantibus ad se, mysterium suæ matutinæ resurrectionis sæpius innouare. Tunc vtique cantabis in iubilo cordis n, *Deus Dominus illuxit nobis: Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*: cùm videlicet lucẽ quam in manibus abscondit, interlucere tibi permiserit: annuncians de ea amico, quòd possessio eius sit, & ad eam possit ascendere o. Vsquequo piger dormis? vsquequo dormitas? *Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus vt dormias* p, & cùm te dormiẽte, te nesciente Christus de sepulchro surrexerit, & gloria eius transeunte, nec posteriora eius videre merueris? tunc sera pœnitentia planges, & dices cum impiis q, *Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Vobis autem (inquit r) *timentibus nomen meum, orietur sol iustitiæ*: & s *qui ambulat in iustitiis, regem in decore suo videbunt oculi eius.* Et id quidem beatitudo est vitæ sequentis, sed iuxta quendam modum indulgetur etiam ad consolationem præsentis, sicut euidenter probat resurrectio Christi. In multis siquidem argumentis per dies quadraginta Sapientia nobis probauit, quoniam *dignos seipsa circuit quærens, & in viis suis ostendit se illis hilariter, & in omni prudentia occurrit illis.* Vt enim Iesus se illam esse sapientiam, de qua hæc scripta sunt t, ostenderet, & quòd quotidie spiritualiter actitare non desinit, id est, in viis iustitiæ se ostendere hilariter, hodie corporalis etiam operis specie figuraret: in via hodie occurrit mulieribus à monumento redeuntibus, in via se ostendit duobus euntibus in Emaus u.

m Rom. 13. d

n Psal. 117. e

o Iob 36. d

p Sap. 6. a

Somnolentos & torpentes sera pœnitentia manet.

q Sap. 6. a

r Malach. 4. a

s Esa. 33. c

t Sap. 6. c

Sapientia æterna mire satagens salutis humanæ.

u Luc. 24. b

4\. Audiant & gaudeant qui in viis iustitiæ ambulant: audiant, inquam, quia non solùm inhærentes studio contemplationis, sed etiam ambulantes iustè ac piè vias actionis, Iesus dignatur & occursu & manifestatione sui. Agnoscit, ni fallor, experientia quorũdam vestrũm, quia sæpè Iesus quem quæsierunt velut ad monumentum, ad memorias Altarium, nec inuenerunt, insperatus occurrit eis in viis laborum. Tunc nimirum accesserunt & tenuerunt pedes eius: quorum scilicet pedes non tanuerat pigritia, præ desiderio eius. Noli ergo tu Frater nimis parcere pedibus tuis à viis obedientiæ & discursibus operum, quandoquidem Iesus pedibus suis non pepercit propter te etiam à dolore clauorum; & adhuc eorundem amplexu & osculo pedum, non grauatur laborem remunerare, aut releuare pedum tuorum. Nam & illud quantæ consolationis erit, si se tibi viæ comitem adiunxerit, miraque delectatione suæ sermocinationis, etiam sensum tibi laboris ademerit, aperiẽs tibi sensum vt intelligas scripturas, quas fortasse domi sedens legebas, & non intelligebas? Obsecro vos, Fratres mei, quibus hoc aliquando dedit experiri dignatio diuina, nonne cor vestrum ardens erat in vobis de Iesu, cùm loqueretur vobis in via, & aperiret scripturas? Recordentur igitur illud experti, & cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini: credant & experiri satagant inexperti, vt aliquando & ipsis cantabiles fiant iustificationes Dei, in loco peregrinationis suæ & afflictionis.

Christus non solùm contemplationi sed & actioni vacantibus se manifestat.

Labores non subterfugiat religiosus exemplo Christi.

5\. Resurgat itaque ac reuiuiscat spiritus omnium nostrum, siue ad vigilantiam orandi, siue ad instantiam operandi: vt quadam rediuiua ac viuida alacritate probet se de nouo portionem accepisse in resurrectione Christi. Et primum quidem vitæ in hominem redeuntis indicium est, si strenuus & impiger sit ad actionem: nam perfecta resurrectio eius est in hoc dumtaxat moribundo corpore, si oculos aperiat ad contemplationem. Quod tamen non antè promeretur intellectus, quã crebris suspiriis & vehementibus desideriis dilatetur affectus, vt tantæ nimirum capax maiestatis reddatur. Quod videlicet velut per quosdam gradus incrementum resurgendi, signanter figuratum arbitror in mortuo quem Helisæus suscitauit x, qui cùm ad vitam redire inciperet, primò dicitur, quia *calefacta est caro pueri*: deinde, quia *septies oscitauit*, & sic demum oculos aperuit. Caro pueri, cor carneum est in Christo paruuli, cui prima spes vitæ est si dicere possit y, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Quanquam & vasti-

x 4. Reg. 4. f

y Psal. 38. a

vestimenta eius calida sint; cùm terra eius perflata austro, Spiritu vtique sancto, quem verus Helisæus præueniendo aspirat rediuiuo. Amplius autem & euidentius ad resurrectionem proficit, cùm desiderio & esurie quadam iustitiæ oscitare frequentius incipit illo scilicet modo quo oscitabat, qui dicebat [x]. *Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Oscitatio quippe ista, distensio est affectus, vt capacior fiat spiritus vitæ, quatenus post alia charismata septiformis gratiæ, infusus etiam spiritus intellectus & sapientiæ, oculos tandem ad contemplandum Deû faciat aperire. *Primus* ergò calor vitæ redeuntis est, cùm bonus exercetur actus: *Secundus* resurrectionis profectus, cùm per orationem dilatatur affectus: perfectio autem, cùm ad contemplandum illuminatur intellectus. His gradibus virtutum, his sanctioris vitæ incrementis, Fratres mei, resurgere magis ac magis enitimini, si quo modo *occurratis*, vt apostolus ait a, *ad resurrectionem Christi ex mortuis*, qui viuit & regnat per omnia secule seculorum. Amen.

x Psal. 118. t

Signa vitæ spiritualis.

IN DIEBVS ROGATIONVM SERMO

Commoda mihi tres panes. Luc. 11.

1. AMici venerunt ad nos de via, sed non habeo quod ponam ante illos. *Non sum medicus, & in domo mea non est panis* [a]: Ideo dicebam ab initio, *Nolite me constituere principem.* Non enim debet præesse, qui non potest prodesse. Quomodo autem prodesse potest, qui nec medicus est; nec panem in domo habet, id est nec artē nouit qua sciat curare, nec doctrinam habet qua sufficiat pascere? Hæc quidem dicebam; sed heu, non audistis me: principem enim constituistis me. Supererat igitur, vt quia non potui effugere periculum, confugerem ad remedium, & audirem super hoc illud Sapientis cōsilium [b], *Principē te constituerunt, esto inter illos quasi vnus ex ipsis.* Sed væ mihi, neque hoc ipsum relictum est mihi. Sicut enim imperitia prohibet esse supra alios sic imbecillitas non patitur inter alios esse: & sicut spiritu non sufficio ad ministrandum verbum, sic corpore deficio ad præbendum exemplum. Qui igitur idoneus nō sum nec præesse, nec coesse, vbi potero esse, nisi vltimū & tutissimum eligam locum, scilicet omnibus subesse? Et hoc quidem valeo, humilia scilicet imò vera de me sentiendo: nihilque me prohibet, imò plurimum veritas ipsa monet, subesse cunctis animo, licet præesse cogat officio.

* a Esa. 3. b

Prælatiest nō tantum præesse sed & prodesse.

* b Eccles. 32.

2. Tu Domine Deus ipse es, qui & subesse mones, & nihilominus præesse iubes: à te expeto, à te expecto, vt humilem simul & vtilem in iniuncto me facias ministerio. Humilem, vera de me sentiendo: vtilem, recta de te loquendo. Illud inspira cordi, hoc ministra ori. Da sermonem rectum & benesonātem in apertione oris mei, qui dixisti c, *Aperi os tuum & implebo illud*, vt omnis familia tua benedictionibus impleatur. Ecce venerunt amici, mei quidem amici, sed amplius tui. Non habeo quod ponam ante illos; nisi commodatum fuerit ab alio. Et quis alius æquè diues aut liberalis ad præstandū, sicut Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum d, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione e, qui dat omnibus affluenter, & non improperat f: nisi fortè illi qui vel pigrè petit, vel ingratè detinet gratiam quam accepit? Quanti mercenarii in domo patrisfamilias istius abundant panibus, qui quoniam Christum annunciant, licet non syncerè, propter alios tamen eis doctrinæ gratia non negatur? Et vbi abundant mercenarii, nunquid egebunt filii? Tu ergo Domine, (amicum enim dicere vereor, sed Dominum confiteor,) commoda mihi tres panes, vndè reficiantur amici, ne si dimisero eos ieiunos, deficiant in via, & tunc vocer in causam pro eis & dicatur mihi g, *Paruuli petierunt panem, & non fuit qui frangeret eis.* Commoda Domine quod in lucrum tuum proficiat: recepturus vtiq; cùm tibi placuerit, quod tuum est, cum vsura. Commoda, nunquam, tres panes si placet; aut certè quodcunque placet, quantulumq; fuerit, etiam si buccella panis, sufficiet in quantalibet millia, si tantum benedicas. Scio equidem, quia vis non esse tibi importunos, vt licet dissimules, licet excuses, eò quòd iam in cœlum receptus sis, & Apostoli tui tecum sint in cubili, nos tamen nihilominus perseueremus in petendo, quærendo, pulsando: scientes quia doctrinam non sola vitæ meretur innocentia, qua amici efficimur, sine assiduitate studii & instantia precis, que importuni videamur. Mihi tamen neutrum suffragatur: solùm eorum qui pascendi sunt meritum obtendo, illi merentur quod ego non mereor.

Pastor animarum humilis pariter & vtilis sit oportet

c Psal. 80. b

Gratia rectè pascendi à Deo petenda.

d Rom. 10. c
e Psal. 144. c
f Iac. 1. a

g Thren. 4. d

A

Orandum pertinaciter.

3. Vos autem, Fratres mei, vsibus quorum & pro meritis quorum, peto panes istos, putatis sufficimus, siue ego ad frangendum, siue vos ad edendum? Timeo ne dicatur mihi h, *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris*: timeo ne dicatur & vobis i, *Facti estis quibus opus est lacte non pane.* Scio reuera panes esse apud Patremfamilias quos si nostra præsumat infantia, citius frangentur dentes, quàm impleantur ventres, id est, ædificentur mentes. Quis enim capiat, quis explicare aut cogitare dignè sufficiat illud Trinitatis mysterium ineffabile: quomodo Pater à se, Filius à Patre, Spiritus sanctus ab vtroque, & tres personæ in vnitate substantiæ? Mulier insipiens, audax hæreticorum vanitas, prurientes auribus ad talia discutienda sollicitat, cùm Deus credendus sit, non discutiendus. Panes, inquit, occultos libenter attingite. Quasi verò tu insipiens attigeris, quod sublimius est Angelis. Et ad quid mihi panes occultos attingere, quos non licet sine periculo frangere, vel edere? Sufficit mihi scire, quia sunt, quia tres panes sunt: non dico Trinitatem personarum, sed trinitatem sermonum, vel magis intellectuum, qui de personis habēdi sunt: tres, inquam, panes vnius magnitudinis & ponderis, vnius formæ & saporis. Quanta enim & qualia de Patre, tanta & talia de Filio, seu de Spiritu sancto sentienda sunt: excepto duntaxat, quod proprietatum discretio, numerum facit personarum, sicut in Trinitate, sic intelligentiarum in earum distinctione.

h Eccli. 3. e
i Hebr. 5. d

Tres panes; Trinitatis mysterium.

B

Trinit. myster. credendum non discutiendum.

4. Hos ergo panes relinquamus frangendos angelicæ sublimitati, donec ad eorum crescentes æqualitatem, mensæ eorū simus idonei. Multifariæ siquidem aliorum trinitates panum de Scriptura nobis possunt proponi, qui nostræ magis congruant infirmitati: verbi gratia (vt nondum longius ab illa summa Trinitate recedamus) quòd ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: quòd à Patre creati, per Filium redempti, in Spiritu sancto sumus sanctificati. In hunc modum tam multa dici possunt, vt quamlibet famelicus venerit amicus de via, si vel dimidium ei apponas, non minus fortasse incipiat periclitari fastidio, quàm prius inedia: vt copia obruat, quem inopia prius angebat. Non solùm enim ipsum qui fecit nos, & ea quæ facta sunt propter nos, sed etiam quæ scripta sunt propter nos describere tripliciter poteris, vt copiosa refectio fit in tribus panibus, Historiæ, Allegoriæ, & Moralitatis. Vniuersa quoq; Scripturæ continentia in tres partes diuisa, velut in tres panes digesta est: dum aut naturali iustitia disserit, aut de literali, aut de spirituali: id est, ante legem, sub lege, & post legem, quod est sub gratia. Natura rectum dedit intellectum, lex etiam actum, gratia autem affectum. Sed & Doctor & pastor gentium in fide & veritate, pascendam docet Ecclesiam quadam panum trinitate: vt qui Ecclesiam ædificat, loquatur ad *ædificationem, ad exhortationem, ad consolationem.* Ad ædificationem, vt quid agere debeas, noris: ad exhortationem, vt quod noris, velis: ad consolationem, vt etiam in aduersis possis, quod noueris & volueris. Denique non solùm in materia rerum, sensibus & partibus scripturarum, generibus & modis locutionum, sed etiam in omni fine earum, quandam panum inuenies trinitatem: & ipsam quidem sapidam satis & salubrem: fidem scilicet, spem, & charitatem. Eò quippe omnis scripturarum vel sermonum intentio spectare videtur, vt credamus, speremus, diligamus. Nam & charitas sola finis præcepti diffinita est, quæ & ipsa quodammodo triplex est, dum ex toto corde, tota anima, tota virtute habenda est:

C

Mystici panes varii.

Scriptura sancta trifariam diuisa.

k 1. Cor. 4. 14.

D

Scripturæ scopus.

Sed quoniam vitio ducitur longior & varia epulatio, nos finem dabimus lectioni: vestrum erit fragmenta A quæ superauerunt, id est subtiliora, quæ manus nostras effugerunt colligere: simul autem & vestrum & nostrum, ei qui pascit nos cantare, Benedictus Deus in donis suis, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

IN DIE ASCENSIONIS DOMINI

Sermo

Ioan. 17. g

Pater cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo.

1\. HÆc oratio Domini habita est ante diem passionis, non absurdè tamen aptatur diei Ascensionis: quādo scilicet supremò discessurus erat à filiolis suis, quos Patri commendabat. Qui enim in cœlis creauit docet & regit multitudinem Angelorum, in terris aggregauerat sibi pusillum gregem discipulorum, sub præsentia suæ carnis erudiendum, quoadusq; grandiusculi sensus effecti, disciplinæ spiritus hærent idonei. Magnus itaque paruulos magna dilectione diligebat; quippe quos ab amore mundi abstraxerat, & relicta omni spe seculi, de se solo pendere videbat. B Quamdiu tamen cum eis corporaliter conuersari voluit, non facilè aut multum hunc suum eis affectum prodidit: maturiorem se eis, quàm teneriorem exhibens, sicut magistrum decebat & patrē. Cùm autem tempus quo ab eis recessurus erat instaret, tunc veluti vinci tenero eorum affectu visus est, vt magnam multitudinem dulcedinis suæ, quam eis absconderat, dissimulare non posset. Hinc illud est, quòd *cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos*.

*a Ioan. 13. a

Amoris Christi erga discipulos vis & vehementia. Eucharistiæ institutio quorsum.

Tunc enim propemodum omnem vim amoris effudit amicis, antequam etiam ipse sicut aqua effunderetur pro inimicis. Tunc eis sacramentum Corporis & Sanguinis sui tradidit, & celebrandum instituit, nescio virtute an charitate mirabiliori: hoc nouum genus mansionis adinueniens in consolationem recessus sui: vt si discederet ab eis specie corporis, maneret non solum cum eis sed etiam in eis virtute sacramenti. Tunc veluti prorsus suæ oblitus maiestatis, & velut iniuriam faciens sibi, nisi quia gloria est charitatis, humiliate se pro amicis: dignatione ineffabili Dominus, & talis Dominus pedes seruorum lauit: vno opere condens eis & humilitatis exemplum, & remissionis sacramentum. C

2\. Tunc denique post exhortationem prolixioris sermonis Patri eos commendans subleuatis in cœlum oculis, inter cætera sic ait: *Pater cùm essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo, & nemo ex his periit, nisi filius perditionis. Nunc autem ad te venio, serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo*, & cætera, quæ non est huius temporis retexere, multò minus exponere. Summa tamen orationis, sicut indicat textus lectionis, est in his tribus, in quibus est & summa salutis, imò & perfectionis, vt nihil possit addi: scilicet vt *à malo seruentur*, vt *in veritate sanctificentur*, vt *cum ipso glorificentur*. *Pater*, inquit[c], *quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & ipsi sint mecum, vt videant claritatem meam*. O felices quorum aduocatus ipse iudex est, pro quibus orat, qui pari honore cum eo quem orat, adorandus est. Voluntate labiorum eius non fraudabit eum Pater, cum quo est ei vna voluntas & vna potestas, quia vnus Deus est. Omnino quod Christus orat, impleri necesse est: cuius sermo virtus est, & voluntas effectus: qui de omnibus quæ sunt, *dixit & D facta sunt: mandauit, & creata sunt*[d]. *Volo*, inquit[e], *vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum*. O quanta securitas fidelium, quanta fiducia credentium! tantum non abiiciant gratiam quam acceperunt. Non enim solis Apostolis proposita est hæc securitas, vel condiscipulis eorum, sed omnibus qui per eorum verbum credituri sunt in Dei verbum, *Non pro eis*, inquit[f], *rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*.

*b Ioan. 17. b

Summa salutis nostræ in quo consistat.

c Ioan. 17. d

Christus ipse aduocatus & iudex noster.

d Psal. 32. d

e Ioan. 17. d

f Ibid. e

3\. Vobis autem Fratres *donatum est*: vt ait Apostolus[g], *non solum vt in eum credatis, sed etiam vt patiamini pro eo*: quos scilicet fides promissionis Christi, non securitate negligentiores, sed alacritate faciens feruentiores, & A quotidiano vitiorum conflictu, martyrio coronat assiduo. Assiduo, sed facili: facili, sed sublimi. Facile est, vbi supra virtutem nihil imperatur: Sublime, vbi de omni virtute illius fortis armati triumphatur. An non facile suaue Christi iugum portare? an non sublime in regno eius excellere? Quid facilius rogo quàm portare pennas quæ portent portantem se? quid sublimius quàm supra omnem cœlorum altitudinem quò Christus ascendit, euolare? Planè sancti quorum sicut æquilæ iuuentus renouabitur, assument pennas sicut aquilæ & volabunt. Quò volabunt? *Vbicunque*, inquit[h], *fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*.

g Philip. 1. d

Martyrium assiduum quotidianus cum vitiis conflictus. Iugū Christi facile.

b Mat. 24 n

4\. Sed quid putamus, Fratres, quomodo tunc repentè de terris ad cœlos euolare poterit, qui nunc exercitio, & vsu quotidiano volitare non didicerit? Si quæris quo doctore, quo duce: nunquid non Christus sicut aquila prouocabat hodie ad volandum pullos suos, quando super eos volitabat, cùm scilicet videntibus illis eleuaretur, diuque sequerentur oculis euntem in cœlum? Poterat vtique repentè in ictu oculi, ex oculis eorum rapi, & vbi vellet, constitui. Sed planè *sicut B aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans*[i]: & corda sursum leuare post se nitebatur amore sui, & corpora similiter posse subleuari pollicebatur exemplo corporis sui: sicut Apostolus ait[k], æterni conscius mysterii, quia & nos baiulis nubibus *rapiemur in obuiam Christo* redeunti. Ipse quidem *ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorū*[l], id est, supergressus est virtutes Angelorum: tuæ tamen condescendens infirmitati, expandet alas suas, & assumet te, atque portabit in humeris suis, si modò pullus degener non existas, vt à terra leuari, & aura puriore perfrui non extimescas.

Volitare nunc discas à terris ad Cœlos qui tandem in cœlum euolare cupis.

Deut. 32. b i

k Thes 4. d

l Psal. 17. a

5\. Alii volant contemplando, tu saltem amando. Paulus mente excedit, & ad tertiū vsque peruolat cœlū m: Ioannes ad id quod in principio erat Verbum: tu saltem humi degenerē non trahas animū, nec patiaris obrutum inertiâ, in terra putrescere cor tuum: sed clamanti *Sursum corda* Pontifici magno, (qui hodie introiuit in sancta, æterna redemptione inuenta, vbi & assistit vultui Dei interpellans pro nobis) responde fideliter, *Habemus ad Dominum*. Sed & si aliquando C quæsiuisti non quæ sursum sunt, sed quæ super terram: iam teipsum increpa, & dic Domino cum propheta[n]: *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terrā?* Heu quàm miserè errabam. Tam magnum est illud in cœlo mihi repositum, quod contemnebam: tam nihil hoc super terrā, quod tantopere expetebam. Christus itaque thesaurus tuus ascendit in cœlum, ibi sit & cor tuum. Inde ducis originem, ibi habes Patrem & hæreditatem, inde expectas Saluatorem. Amen.

m 2. Cor. 2. b

Quomodo volandum ad cœlos.

n Psa. 72. d

IN FESTO PENTECOSTES

Sermo I.

1\. INeffabilis Deus, ineffabilis misericordia eius, Secundū nomē eius, ita & opus eius. Planè ineffabilis diuinæ circa nos dignatio charitatis. Parum erat Patri tradidisse Filiū, vt redimeret seruum: nisi daret & Spiritum sanctū, quo seruum adoptaret in filium. Dedit Filium in precium redemptionis; dedit Spiritū in priuilegium adoptationis: se deniq; totū seruat hereditatem adoptatis. O Deum (si fas est dici) prodigum sui, præ desiderio hominis. An non prodigum, qui non solùm sua, sed & seipsum impendit, vt hominē recuperaret, non tam sibi quā homini ipsi? An non prodigū, qui sicut *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illū* a: sic nec Spiritui sancto pepercit (vt ita loquar) sed noua & mira largitate super omnē carnē effudit illum? Multum quidem effusus sui prodigus ille filius b, qui tā patrimonium, quàm seipsum donauit meretricib⁹, sed multò effusior pater in recuperationem perditi filii, quā ille in perditionem sui: si tamen vlla debet esse comparatio, & gratiæ & pecuniæ, spiritus & carnis, Dei & hominis. Vide enim

Dei ineffabilis erga nos charitas.

a Rom. 8 f

b Luc. 15 c

Gratiæ Spir. S. larga effusio.

quanta largitate toto orbe gratia Spiritus effusa sit, non solùm iustis confirmandis, sed & peccatoribus iustificandis: quomodo vbique gentium Spiritu creante nouum genus hominum renouata sit facies terræ: imò quanta quotidie mutatio fiat per dexteram excelsi, vt repente perditissimi hominum publicani & meretrices, iustos quàm plurimos præcedant in regno Dei, & nouissimi fiant primi. Prorsus *non sicut delictum, ita & donum* c, *quia vbi abundauit delictum, ibi superabundans gratia* non solùm donat delicta, sed etiam virtutum accumulat merita: & sublimius restituit lapsos redemptio, quàm constituerat prima creatio. Sanè in his omnibus quantò mirabilior Dei gratia prædicatur, tantò damnabilior hominis duritia conuincitur: si gratiam vel oblatam recuset, vel acceptam non seruet. Cui enim non affertur? Super quem non effulget lumen illius? Quis se abscondit à calore eius? Neque enim reliquit se Deus sine testimonio apud conscientias hominum, illustrans eos splendore veritatis, & fouens calore bonitatis: cùm & lux vera illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum d, & Deus faciat oriri solem suum super bonos & malos, & pluat super iustos & iniustos e. Sed væ illis qui rebelles sunt lumini, & resistunt Spiritui sancto, nec acquiescunt veritati quam intelligunt, & sicut lutum ex calore solis, ita ex bonitate & beneficiis Dei duriores fiunt, audacter etiam prouocantes eum: cùm ipse dederit omnia in manibus eorum.

c Rom. 5. c
Duritia & ingratitudo hominum gratiam redemptionis negligentium.
d Ioan. 1. a
e Matt. 5. g

2\. Verùm quid ad nos de his qui foris sunt? Ad vos potius nobis est sermo, qui spiritum adoptionis filiorum accepistis, habentes eundem spiritum in signum adoptionis & pignus hæreditatis: qui velut quidam character insignis vasa misericordiæ, à vasis iræ discernit. Quanquam de salute nostra, vel magis de spe salutis, ea nobis modestia gaudendum sit: vt quod in illis dolemus, adhuc de nobis pro nostra mutabilitate timeamus. Sicut enim de illis desperare impium, ita de nobis præsumere est temerarium: cùm tam de nobis, quàm de illis, qualiscunque sit sententia præsentium, nulla possit esse præscientia futurorum, nec leuis sit iniuria summæ potestati, penes quam est arbitrium vitæ & mortis: si vel de illis tam crudeliter, vel de nobis tam audacter præiudicetur eius iudiciis. Denique de massa eorum sumus assumpti: & qui paulò antè eramus sicut & illi, natura & vita filii iræ, repentè facti sumus filii gratiæ. Nos ergò simus illis exemplum spei ad pœnitentiam: ipsi nobis timoris ad perseuerantiam. In nobis se misericordia commendat vt ametur: in illis se iudicium exerit vt timeatur. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine f: pro ista gratias agens, pro illo preces fundens: pro ista gratus & lætus, pro illo timoratus & cautus: & de vtroque eruditus exultabo tibi cum tremore, quis tunc ingrediar in veritate tua, si ita lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Neque n. timor iste, quem amor castum facit, gaudium tollit, sed custodit: non destruit, sed instruit: non inamaricat, sed condit: vt tantò sit durabilius, quantò modestius: tantò verius, quantò seuerius: tantò dulcius, quantò sanctius. O castum & fidele gaudium, quàm fidelis est illa de te sententia Sapientis g, *Non est census super salutem corporis, & non est oblectatio super gaudium cordis.* Hoc vtique gaudio non est gaudere impiis, quorum fatuus risus & friuola gaudia, Sapiens detestatur & increpat h. *Risum,* inquit, *reputaui errorem. & gaudio dixi, Quid frustra deciperis* i? *Risus dolore miscebitur: & extrema gaudii luctus occupat.*

Quid religiosis de sæcularium saluatione quid de sua sentiendum.
f Ps. 100. a
Gaudii & timoris temperamentum vtile.
Gaudium durabile & solidum ex casto timore.
g Eccli. 30. c Gaudium cordis
h Eccles. 2. a
i Prou. 14. b

3\. O bone Iesu, quàm dissimile est illud gaudium tuum, quo interim consolaris renunciantes illi falso & fallaci gaudio, quàm melior est misericordia tua super vitas! quàm melior est dies vna in atriis tuis super millia! quantò beatiores facis pauperes tuos ipsa paupertate tua, quàm mundus facere possit sua quantalibet affluentia! vbi quicquid affluit, defluit, sibique inhærentem perefluere facit. Aliis affluebat deliciis illa pauper familia Christi, quam fluminis impetus inundabat lætificans ciuitatem Dei: cùm scilicet hodierna die tanquam Spiritus torrens * *repleuit totam domum* k, *vbi erant sedentes* Apostoli. Exhibebat quippe diuina veritas, quod per Prophetam promiserat l: *Ecce ego declino in vos, vt flumen pacis, & vt torrens inundans gloria gentium.* Quantum illis affluebat, quibus tantus influebat: quantumque de illis profluebat, de quorum ventre fluebant flumina aquæ viuæ. Nec solùm de corde beneuolentia charitatis, sed etiam ex ore vehementia profluebat torrentis eloquii, cui non poterant resistere & contradicere omnes eorum aduersarii: sicut de Stephano dicitur m, *quia non poterant resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur.*

Gaudium piorum quam dissimile falso & fallaci gaudio mundanorum.
** al. Spiritus tanquam torrens.*
k Act. 2. a
l Esa. 66. d
m Act. 6. c

4\. Ad huiusmodi gaudia vos interim, Fratres, consolator vester inuitat. Hoc torrente voluptatis suæ sitibundas amantium mentes potare desiderat. *Si quis,* inquit n, *sitit, veniat & bibat.* O affluens liberalitas Dei, ô indeficiens largitas diuinæ bonitatis. Spiritum cuius hodie primitias dedit Apostolis, offert vniuersis. Thesaurum suum, fontem aquæ viuæ aperit tam hominibus quàm iumentis: tanquam & ipse omnibus sapientibus & insipientibus debitor sit. *Omnes,* inquit o, *sitientes venite ad aquas.* Ecce personas non accipit, conditiones non discernit, merita non requirit: tantum sitire quis nouerit, venire velit. Gratia quippe non admittit fastidientes: sed sicut esurientes implet bonis, sic diuites dimittit inanes. O fastidium tinea cordium, rubigo mentium, languor pessimus animarum: quod abominari facis bonum Dei verbum, contemnere cœleste donum, fastidire manna propter ollas carnium. Quæ enim lues tam pestifera, quis morbus tam læthalis, qui sic faciat hominem immemorem suæ salutis, ridentem ac malè securum appropinquare vsque ad portas mortis? Sed vndè rogo tam latè lues ista Christi ouilia infecit, greges inuasit, vt quàm pluribus de grege Domini videatur etiam locus horroris & vastæ solitudinis, locus pascuæ vbi sunt collocati, & in pascuis vberrimis, in herbis virentibus miserè pereant fastidio languidi? Annon, quæso, gustauerunt donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti: gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, & virtutes seculi venturi p? Si enim non gustauerunt bonum Dei verbum, vndè toties eructauit cor eorum verbum bonum, cùm scilicet de memoria abundantiæ suauitatis eius eructabant labia eorum hymnum? Nunc autem diuinis intersunt laudibus, & dormitant; aut otiosa vel etiam perniciosa mente pertractant: sedent ad librum, & oscitant: verbum exhortationis audiunt, & ipso auditu laborant: de pascuis mutantur in pascua, & tam ista fastidiunt quàm illa, iugiter versantur inter fercula vitæ, & moriuntur fame. Vndè ergo post illam felicem experientiam gustumque suauem supernæ dulcedinis, tanta hæc obliuio, & incuria boni, languorque mentium subintrauit? Sola relicta est eis vox illa plangentis, si tamen plangere velint q: *Percussus sum vt fœnum & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.* Currebant vtique benè, quis eos fascinauit retrorsum conuerti? Spiritu cœperunt, quomodo nunc carne consummantur? Voluptuosè vescebantur, quomodo nunc intereunt in viis?

n Ioan. 7. f
o Esa. 55. a
Gratia non datur fastidientibus sed sitientibus.
Fastidium rerum spiritualium quam perniciosum.
in religiosis perstringitur.
p Hebr. 6.
NOTA Religiosi qui nauseas inter spirituales vitæ epulas.
q Psal. 101. a

5\. Videant quæso ipsi, ne fortè inimicus homo qui super bonum semen patrisfamilias lolium suum superseminare consueuit, post illam suauem escam Christi, felle suo fauces eorum tinxerit, ac per hoc non modò desiderium, sed & memoriam prioris gustus aboleuerit. Enimuerò statum denunciat Apostolus his qui eiusmodi sunt r, *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Annon tibi videtur non modò potatus, sed & inebriatus calice dæmoniorum, qui libidinis, iræ, impatientiæ, aut similium rapitur furore passionum? Ego, vt loquar de his quæ iam magis in vsu quàm in crimine sunt, puto quòd & ille mensæ dæmoniorum particeps sit, & pascens eos pascatur ab eis, cuius os abundat malitia, lingua concinnat dolos, sedens aduersus fratrem suum loquitur; & aduersus filium matris suæ ponit scandalum: qui etiam si non detrahit, detrahentem libenter audit, qui scurrilitate stultiloquii cachinnantes dissoluit. Videat ergo qui eiusmodi est, an dignum sit, vt volutatus

r 1. Cor 10. c
Participatio mensæ Christi & Dæmoniorum non cohæret.

velut in cruore immolaticio, & sordibus dæmonum, mox admittatur ad mensam Christi & Angelorũ. Absit autem, Fratres mei, vt hæc dicens, innocentiam vestrã, qua plurimum delector, inscribam sceleri: sed hęc dico vt salui sitis, & aliorum exemplo cautiores facti, manusq; lauantes in sanguine peccatoris gratiam Spiritus sancti quã alii negligẽtia perdũt, vos omni vigilantia seruare curetis: ad laudẽ & gloriam ipsius largitoris Iesu Christi Domini nostri, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

IN FESTO PENTECOSTES
Sarmo II.

Act. 2. 4.

Loquebantur variis linguis Apostoli magnalia Dei.

1. NImirum ex abundantia cordis, linguæ loquebãtur in eis. Exultationes Dei in gutture eorũ; quia charitas Dei diffusa erat in cordibus eorũ. O Domine Deus meus, & ego vtique similiter laudarẽ, si similiter potatus essẽ. Quia verò arida est anima mea, ideò est & torpida lingua. Sed sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meũ a. Eructabunt labia mea hymnũ; sed cũ docueris me iustificationes tuas: id est, cùm dederis gustare quã suauis es, vt discã te diligere toto corde, tota anima, tota virtute. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas b. Bonitas siquidem tua, vnctio tua est, qua doces eos de quibus prædictum est c: *Erunt omnes docibiles Dei*. Beatus homo quẽ tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum d. Lex Domini immaculata conuertens animas e, charitas est: lex vtique ignea, quæ est in dextera eius, quæ cũ digito Dei scribitur super latitudinem cordis, & ipsum cor amoris incendio, & os ignito feruere facit eloquio. *De excelso*, inquit, f *misit ignem in ossibus meis, & erudiuit me.* O quanta facilitate & celeritate, quanta copia & facultate, ignis ille quem Dominus Iesus misit in terram, nõ solùm erudiuit imperitos, sed etiam expediuit impeditos. Prorsus igneæ linguæ, quas ex se dispertiuit ignis iste. quæ sic ignescere fecerunt, non solũ mentes, sed & linguas Apostolorum, vt etiam nunc pius auditor ad sermones ignescat eorum. Prorsus ignea lingua Petri, ignea lingua Pauli, in quorum verbis nunc quoque viuit ignis perpetuus, qui & super corda nostra scintillat, si accedamus; si autem vel animum ab eorum sermonibus non auertamus.

a Psal. 62. b
b Psal. 118. i
c Ioan. 6. e
d Psal. 93. b
e Psal. 18. b
f Thren. 1. d
Apostolorũ linguæ igneæ.

2. Si meruissem aliquam accipere de linguis huiusmodi, dicerem vtique & ego g: *Dominus dedit mihi linguã mercedem meã, & in ipsa laudabo eum*, sicut de illis scriptum est h: *Loquebãtur variis linguis Apostoli magnalia Dei.* Dicerem & illud i: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo.* Apostoli & eorum similes linguis sibi datis, magnalia Dei prædicant, tyrannos verberant, dæmonia flagellant, terram compluunt, cœlos aperiunt: quia linguæ eorũ claues cœli factæ sũt. quippe quibus de ipsis cœlis linguæ missæ sunt. Mihi autẽ vtinã vel lingua canis data sit, qua possim primũ quidem propria, deinde & aliena vlcera lingere: si qui fortè sunt qui ad hoc ipsum sibi me dignentur admittere. Beati quidem quibus amor & dilectio diuinæ laudis cor replet gaudio, & os iubilo. Sed & illos vtiq; beatos dixerim qui cũ de vulneribus animarum virus ablingunt & purulentiã: trahunt in se, quo anima eorũ saginetur, spiritũ & gratiã. Esuriunt siquidẽ & sitiunt iustitiam, & famem patiũtur vt canes, ideoq; nihil fastidiũt quod in corpus suum possint traiicere: neminẽ peccatorẽ abominãtur, quẽ ad iustitiã possint conuertere. Quod Deus mũdauit, tu ne immundũ dixeris, dictum est principi Apostolorũ k, & in ipso aliis, & ob hoc mactat & mãducat omne genus reptiliũ & volatiliũ & ait l, *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia* impatiẽtis desiderii *cibi mei sunt*. Quinimo mirum in modũ quãtò quisque peccator ante conuersionẽ amarior, tantò postmodũ conuersio eius dulcior: quantòq; desperatior, tãto gratior nobis eius sal': quia & saluãns gratiã plus miramur, qui ouẽ perditam reportamus in humeris, gaudium fa-

g Eccl. 51. d
h in Offic. huius festi.
i Esa. 50. b
Lingua canũ Prælatis & animarum curatoribus conueniens ad lingenda vlcera peccatorum.
k Act. 11. b
l Iob. 6. b

cit Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta nouem iustis m.

3. Dicant igitur alii quibus datum est n; Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua Domine! anima autem mea esuriens & famẽ patiens vt canis, etiam amarum sumet pro dulci, & abominabile pro desiderabili. Delectẽtur alii lãbere mella Scripturarũ, ego verò delectabor vlcera lingere peccatorũ, mei scilicet mihiq; similiũ. Fœdũ quidẽ vlcus peccati, visuq; horribile, sed tamen ipsũ lingere, cuius sit saporis & gratiæ, nõ sapit, non capit, nisi qui salutẽ periclitantium esurit, & famẽ patitur vt canis, de qualibus dictũ est o: *Lingua canũ tuorũ ex inimicis*. Sed væ miseris qui tanto studio pereunt, tantoq; desiderio mortẽ sibi cõsciscunt, vt vulnera sua tegant curamq; canum refugiant, & asperitatem linguæ medicinalis arbitrentur morsũ odii lætalis. *Oderunt corripientem in porta, & perfectè loquentem abominati sunt* p. Perfectè loquentẽ dico, non tam de perfectione disserentem, quàm perfecta dilectione corripientem. Sed dicam perfecta dilectione, an perfecto odio? Imò vtrumque & perfecta dilectione, & perfecto odio: quia perfectum odium nihil aliud est, quàm perfecta dilectio, & vna est vtriusque perfectio, quam Apostolus determinat dicens q: *Odientes malum, adhærentes autem bono*.

m Luc. 15. b 3.
n Psal. 118.
o Psal. 67. d
Correptionis osores notat.
p Amos 5. e
Odium perfectum, est perfecta dilectio.
q Rom. 12. b

4. Sed reuertar ad id vnde digressus eram. Optabam mihi linguã qua laudarem Deum, vel certè linguã qua confitentium vlcera curarem: in altero quidem, mihi quærens diuinę deuotionis fructũ: in altero, fraternæ salutis lucrum: vobis quoque in altero dulcis, in altero fieri desiderans vtilis. Nam & de secularium arte & officio poetarum, ita sumptum est apud quẽdam eorũ: *Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ* †. *Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci*. Optabã, inquã, mihi gratiam oris, qua Deo & vobis officiosus deseruirem: vt aliquatenus compensarem verbo, quòd minus prosum exemplo. Quanquã satis suspecta mihi sit hæc consolatio, si dicam & non faciam: si suppetant suffragia linguæ, cùm desint merita vitæ: imò magis fortasse timẽdũ sit, ne peccanti dicat Deus r: *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Sed quid agam? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero, nõ recedet à me s. Pauor est vtrobiq; molestus, & coarctor è duobus: quia locutionem & officii locus exigit, & vita contradicit. Sed recordor verbi quod apud Sapientẽ inueni t: *Anima laborãtis laborat sibi, quia cõpulit eũ os suum*. Loquar igitur non prout locus expetit, sed prout sẽsus suppetit, imò prout Dominus dederit: in cuius manu sumus & nos, & sermones nostri. Loquar inquã & meipsũ linguâ obligabo propriâ, vt vel præ cõfusione aliquando laborare cõpellar: & si corp' à labore manuũ excusauerit, certè anima laborantis laboret sibi, vt dicat cum Dauid u, *Laboraui in gemitu meo*. O si mihi dẽtur illi gemitus inenarrabiles quibus Spiritus postulat pro sãctis, vt laborẽ in eis. Proculdubio labor huiusmodi gemituum satis digne pensaret mihi quotidianum laborem manuum.

† Horatius in arte poetica.
r Psal. 49. c
s Iob. 6. a
t Prou. 16. d
u Psal. 6. b

5. Sed & vos ipsi, Fratres, si æmulari meliora charismata didicistis, optate gemitus huiusmodi à Spiritu vobis infundi. Nescio si sit in donis Spiritus aliud conueniẽtius, aut commodius his, qui sunt infirmitate & miseria circundati, nescio si Spiritui sancto qui in columba apparuit, alia vox familiarior gemitu, aut gratior sit. Hoc autem scio, quia in nullo opere tanta tamq; parata nobis suppetat materia sicut in gemitu & planctu nostri: nisi miseriam suam nostra dissimulet superbia, aut sensus obduretur stupore vel amentia. Hoc autem primũ circa infirmos quorum curam suscipit, operatur medicina sancti Spiritus, qui est illuminatio nostra & salus nostra; vt videlicet seipsũ phreneticus sentiat & sciat, & conuersus ad cor dicat Domino cũ Propheta x, *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi, percussi fœmur meum*. Nisi enim quis apponat scientiam, non apponet dolorem: nisi doluerit, non meretur consolationem. Beati enim qui lugent,

Gemitus seu planctus Spirit. magna nob. materia nec minor vtilitas & gratia.
x Iere. 31. d

y Mat. 5. a — quoniam ipsi consolabuntur y. Puto quia nec in Apostolis hodie locum inuenisset Paracleti consolatio, nisi quia lugebant se desolatos, quia non poterant non lugere filii sponsi, cùm sponsus ablatus esset ab eis. Inde erat quod eis dicebat z, *Nisi ego abiero, Paracletus nō veniet ad vos.* Nisi desolati fueritis præsentiā meâ corporali, non vos consolabitur visitatio spiritalis. *Date,* inquit a, *siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro animo sunt*: non scilicet illis qui ebrii sunt gaudio & luxu seculi. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Nunquid bibere possunt calicem Domini, & calicem dæmoniorum? *Bibant*, inquit, potius pauperes Apostoli, *& obliuiscantur egestatis suæ*, vt dicant: *Sicut egentes, multos autem locupletantes* b. Bibant mœrentes de absentia sponsi, & dolorum non recordentur amplius, sed dicant: *Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus* c. Nam & teipsum, si pio affectu Psalmistæ dicere potueris d, *Ego sum pauper & dolens*, sic ditabit, sic lætificabit sobria ebrietas huius præclari calicis, vt & si pauper sis, paupertas animum non vrat: & si dolebas quia peccasti, iam peccati reatus conscientiam non mordeat.

z Ioan. 16. a

a Prou. 31. a

b 2. Cor. 6. b

c Ibid. d

d Psal. 68. d

6\. Vide autem, si non & ipse Spiritus sanctus in iudiciū venit in hunc mundum, vt qui dolent non doleant: & qui rident, æterno & inconsolabili se luctui tradant. Melius est igitur ire ad domum luctus, quàm ad domū conuiuii e. Et reuera sapiens etsi aliquando consolationem mereatur, vt dolorum non recordetur amplius, eorum scilicet de quibus consolationem accipit: semper tamen, vt locum paret consolationibus nouis, nouas exquirit de seipso causas doloris: non statim blandiens sibi quasi iam per omnia iustus sit, sed eò subtilior quò iam illuminari cœpit, eò districtior, quò iustificari cœpit, fit accusator & iudex sui. Ei ergo qui eiusmodi est crebrò (nisi fallor) Spiritus consolator aduenit, quoniā & aduentum iam ipse suum anteuenit: adueniens scilicet vt consolationem tribuat, sed anteueniens, vt lugere doceat. Luctus siquidem pius atque religiosus, in doctrina Spiritus & ordine primus, & vtilitate inuenitur præcipuus: quippe cùm sit summa sapientia sanctorum, custodia iustorum, sobrietas modestorum, prima incipientium virtus, proficientium stimulus, perfectorum cumulus, pereuntium salus, periclitantium portus, promissionem denique habens consolationum, quæ nunc sunt, & gaudiorum quæ futura sunt: ad quæ nos perducat, qui viuit & regnat per omnia secula seculorū Amē.

Luctus Spiritualis meretur consolationem S. Spirit.

e Eccl. 7. a

Pii Luctus commendatio.

IN NATIVITATE S. IOANNIS Baptistæ.

SERMO I.

Iere. 1. b — *Ah Domine Deus ecce nescis loqui, quia puer ego sum*

1\. FRatres, si Hieremias (sicut ex lectione audistis hesterna) ne prædicationis susciperet officium, verecūdius quàm iustius minorem causabatur ætatem: quantò rectius ego sensum causarer minorem? Si sanctum ex vtero, & quem manifestè diuina mittebat electio, ætas deterrebat infirmior: mihi, quæ frons esse potest ad loquendum, cui nec ad sanctitatem suffragatur conscientia, nec ad sermonis facultatem suppetit scientia? Illi erat timori pueritia sua, mihi non erit puerilitas mea? Veruntamen tu Puer propheta Altissimi, de quo sermonē hodie nostri debet locus officii, puerilitatem nostram non pateris excusatam haberi, quin saltem gestiamus more puerorum de te quoquomodò balbutire: qui etiam in materia leuiori, plena necdum didicimus verba formare. Tuum erit, ô vox Verbi, vox sapientiæ, tibi deuotæ soluere vinculum linguæ, qui necdum loquens, vsum loquendi muto potuisti patri reformare. Nec sine fœnore magno redüt intercepta facultas loquendi, cui simul accessit gratia prophetandi, vt videlicet vterque parēs aliquid sibi gauderet prærogarū de prærogatiua filii.

2\. Qui enim propheta, & plus quàm propheta futurus erat, imò ante prophetare quàm præfari, prius Deum quàm seipsum sentire cœperat, parentes quoque suos

Parentes Ioannis per

A — prophetas faciebat: & in eos qui in se transfuderant carnis substantiam, spiritus sui & gratiæ superabundantiā refundebat. Nam & Elisabeth postquam exultauit in gaudio infans in vtero eius, tunc & ipsa prophetauit repleta Spiritu Sancto: quia necdum loquens filius, matri tamen occultam Domini præsentiam exultatione manifesta reuelauit. Salutabat Saluatorem motu quo poterat, & in occursum Domini præcursor impiger erumpere gestiebat. Planè incomparabilis gratia, inæstimabilis diuinæ virtutis potentia. Vox Mariæ dum auribus Elisabeth insonat, ad cor Ioannis penetrat; qui abstrusus intra materna latebat viscera, spiritum eius animat, gaudioque salutati vegetat: & cui virtus naturæ vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit prophetiam, adeò vt etiam de plenitudine filii copiosè videatur in matrem refundi. Verè *gratiâ plenâ Maria*: manifestè Deus totius gratiæ in ea erat, de cuius munificentia, tam copiosè, tam magnificè, principaliter in matrem, de matre in Ioannem, de Ioanne in parentes gratiæ largitas profluebat. Flumina prorsus de ventre Mariæ fluebant aquæ viuæ, & fons vitæ &
B — gratiæ oriebatur de medio Paradisi ad irriganda ligna Paradisi.

filium facit prophetæ.

Mariæ copiosa gratia in Ioan. & Matrem eius redundauit.

3\. Proxima erat fonti cedrus ista nobilis, Ioannē loquor, consobrinum & amicum sponsi, præcursorem, baptistam, & martyrem Domini: ideoque nimirum vberius irrigata intantum excreuit, vt inter natos mulierum nihil illa sublimius posset inueniri. Omnino Saluatori proximus erat, qui non solùm copula sanguinis coniunctus, aut amicitia intimus erat, sed etiam gloriâ annunciationis, nouitate natiuitatis, sanctitate penè originali, prædicatione consimili, auctoritate baptizandi, virtute patiendi, ante mortales omnes ei propius accedebat. Denique si alia cessarent omnia; si cuncta de eo silerent prophetarū præconia, solius gratia nominis eius *quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur, satis abundè hoc singularem in eo futuram Dei gratiam testabatur. Dignum quippe erat, vt gratiam Dei, quam gratia plena profudit, plenus gratia prædicaret: & gratia non mediocri emineret, qui gratiæ tempus à tempore legis velut medius limes discerminaret. *Vsque ad Ioannem enim lex & prophetæ prophetauerunt* a, qui vide-
C — licet primus ostendit præsentem quem lex & prophetia promiserat venturum.

Ioannis Baptistæ priuilegia, dignitas & excellentia.

* Ioannes enim Gratia Dei interpretatur.

a Luce. 16.

4\. Meritò igitur natiuitas huius pueri multos gaudere tunc fecit, hodieque facit, qui in senectute parentum natus, mundo senescenti gratiam prædicaturus erat renascendi. Meritò natiuitatem istam, quam mirabiliter operatur gratia, miraturque natura, solenniter veneratur Ecclesia: præsertim cùm singularis illius natiuitatis cuius gratia naturam reparauit, per hanc pignora fidelia sibi videat esse præmissa. Non ingratam se reprobat Ecclesia, non immemorem fidelis agnoscit qua deuotione, qua gratiarum actione suscipere debeat Præcursorem, per quem ipsum agnouit Saluatorem. Mihi planè nouo nascitur gaudio lucerna mundi, cuius indicio lucem veram agnoui lucentem in tenebris sed non comprehensam à tenebris. Mihi prorsus ineffabili nascitur gaudio cum quo tot & tanta mundo nascuntur bona, qui videlicet Ecclesiam primus catechizat, per pœnitentiam initiat, per baptismum præparat, præparatam Christo consignat & copulat: & quam ad viuendum
D — temperanter informat, etiam ad moriendum fortiter propria morte confirmat, atque in his omnibus plebem perfectam Domino parat.

Ioan. Baptistæ natiuitatem meritò veneratur Ecclesia.

5\. O Fratres, quorum propositum est, (vtinam & ita desiderium,) ad perfectionē festinare: quàm citò Christianam assequeretur perfectionem, qui huic magistro animum accommodaret docibilem: cuius etiam prima elementa iustitiæ, modum supergressa sunt perfectionis humanæ: cuius rudimenta primæue ætatis, grauitatem sapientiæ vicêre senilis. Qui enim antequam natus sanctus fuit, quid mirum si in processu conuersationis plusquā sanctus fuit? Mirari possumus, imitari non possum a sanctitatem tuam sanctorum sanctissime: omninò necesse

Sanctitas Ioannis ab ipsa pueritia.

Docet pro captu auditorum.

est, vt qui de publicanis & peccatoribus plebem perfe- A ctam Domino parare festinas, humanius eis loquaris quàm viuas, & modum perfectionis non secundum vitæ formulam tuæ, sed secundum virtutem mediocritatis téporis humanæ. *Facite*, inquit b, *dignos fructus pœnitentiæ*. Nos quidem, ô Fratres, gloriamur perfectius loqui, quàm viuere: Ioannes autem sublimius viuens quàm possint homines, vel intelligere, loquitur tamen eis prout possunt audire. *Facite*, inquit, *fructus dignos pœnitentiæ. Humanum*, inquit, *dico propter infirmitatem carnis vestræ* c. Si nondum esse potest in vobis omnium plenitudo bonorum, sit saltem vera omnium pœnitudo malorum. Si nondum facere præualetis perfectæ fructus iustitiæ, sit interior hæc vestra perfectio, vt faciatis dignos fructus pœnitentiæ.

* b Mat. 3. b

Non sublimem iustitiã, sed pœnitentiam.

c Rom. 6. d

4\. Si recordari volumus, Fratres, lectionis hesternæ: ad dignos fructus pœnitentiæ pertinet, quod Ieremiæ, aut certè Ioanni sub typo Ieremiæ dictum est, *Vt euellas & destruas & disperdas & dissipes*: ad fructus iustitiæ, *vt ædifices & plantes*. Beatus qui manus huius extirpatoris adiuuerit: nam ipse Dei adiutor est, qui videlicet cooperans verbo & gratiæ Dei, in hoc studium & operam dederit, vt euellat & disperdat de affectionibus & moribus suis omnem plantationem quam non plantauit Pater cœlestis: destruat & dissipet omnem ædificationem Babylonicæ superbiæ & confusionis, vt postmodum melius ædificet & plantet, fiatque sicut scriptum est: *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus* e. *Ascendat abies pro saliuncula, & myrtus pro vrtica* f: omnis scilicet pulchritudo & gratia virtutum, pro situ & horrore vitiorum. Quis putas est ille tam perfectus in nobis, vt saltem hoc initium perfectionis habeat, qui scilicet ita dignè perfectéque pœnitens sit, ac tota seueritate damnet mala sua quæ fecit, prioribus vsquequaque renuncians viuis, vt omne germen maledictionis radicitus euellat & disperdat de agro cordis sui, vt de radice pessima, nullus amplius germinet fructus amaritudinis? quique semel ita destruat ac dissipet omnem altitudinem extollentem se aduersus humilitatem Christi, vt iterum non reædificet quæ destruxit? Quàm felix hodie esset Ecclesia sanctorum! quanta pace & gratia florerent congregationes beatorum pauperum, si fructus istos, quos facere debuerat rudium pœnitentia, vel eorum qui perfecti & sancti videri volunt afferret iustitia!

* d Iere. 1. e

Prius euellendum quam plantandum.

e Esa. 9. b

f Ibid. 55 b

Vera pœnitentia est ita plangere commissa, vt non committantur denuò plangenda. S. Greg.

5\. Denique, qui nec iustitiam Sanctorum, nec exactam habemus pœnitentiam peccatorum, redimamus vel ex parte aliqua teporem nostrum deuota veneratione sanctorum: præcipuè beati Ioannis, cuius tam magnificè sanctitas effloruit supra modum aliorum, vt crederetur Sanctus sanctorum. Magnificentiam gloriæ sanctitatis eius loquamur ac meditemur, fratres mei, vt propitium faciat peccatis nostris eum, cuius singulariter amicus esse meruit filium Dei, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Sanctorum cultu ac veneratione nostros defectus compensare debemus.

IN NATIVIT. S. IOAN. BAPTISTÆ
SERMO II.

Matth. 11. b

A diebus Ioannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud.

1\. MEritò igitur læta nobis est eius Natiuitas, cuius tã fausta sunt tempora, vt regnum Dei iam exinde nobis expositum sit ad diripiendum, quibus vtique iustitia non sufficiebat ad promerendum. Meritò multi in Natiuitate eius gaudent, sicut promittebat Angelus sub quo tanta felicitate mutatus est temporum status: vt regnum Dei quod antè nulla innocentium obtinebat iustitia, nunc pœnitentium inuadat & possideat violentia. Quid enim aliud debuit dici pœnitentia peccatorum, nisi violentia in regnum cœlorum? An non violentia est, rapere virtute, quod non erat concessum naturæ: vt qui natura erant filii iræ & gehennæ, labore improbo qui omnia vincit, intrudant se in hæreditatem Sanctorum, & consortium gloriæ? Annon planè violentus Deo strenuus ille luctator patriarcha Iacob, qui vt scriptum est a *contra Deum fortis fuit* & inualuit, qui cum eo luctatus vsque manè constanter & obnixè tenebat rogantem dimitti, *non dimittam te*, inquiens, *nisi benedixeris mihi*? Dico quia cum Deo luctatus est: Deus siquidẽ erat in Angelo cum quo luctatus est. Alioquin nec Angelus diceret, cur quæris nomen meũ, quod est mirabile, nec Iacob diceret b: *Vidi Dominum facie ad faciem*. Sed neq; Dominus de Iacob diceret per Osee prophetã c, *In Bethel locutus est nobiscũ*. Bona igitur violẽtia quæ benedictioné extorsit. felix lucta, qua De⁹ homini succubuit, victusq; victorem gratia benedictionis, & honore sanctioris nominis munerauit. Quid n. si tetigit neruũ fœmoris eius, & emarcuit, ac de cætero claudicauit? Facilis iactura corporis, damnumq; consolabile, quod tanto compensatum est munere: præsertim illi qui potuit dicere d: *Super salutem & omnem pulchritudinem dilexi sapientiam*. Vtinam marcescat in me non solùm neruus fœmoris, sed virtus totius corporis: dummodo vel vnã merear benedictionem Angeli. Vtinã non solùm claudicem cum Iacob, sed & moriar cum Paulo, vt gratiã & nomen Israël sic obtineam munere perpetuo. Iacob quidem fœmur gerit marcidum, Paulus verò corpus emortuum: quia mortificationem membrorum, quam cœpit Propheticæ religionis initium, ad integrum cõsummauit Euangeliũ. Iacob claudicans, quia ex parte quæ mũdi sunt cogitãs, alterũ pedẽ à terra suspẽsũ portat. Paul⁹ cogitãs solũ quæ Dei sunt e, *siue in corpore, siue extra corp⁹, nescio, De⁹ scit*, totus tamẽ in spiritu liber ad cœlũ volat.

Pœnitentia est violentia rapiens regnum cœlorum.

a Gen. 32. f

Iacob cum Deo luctatus quasi vi benedictionem extorsit.

b Ibid. g

c Osee. 12. b

d Sap. 7. b

e 2. Cor. 12. a

2\. Vobis itaq; dicimus, Fratres, qui aggressi estis cœlum rapere, qui congressi estis luctari cum Angelo, qui viam custodit ligni vitæ: vobis, inquam dicimus omnino necesse esse vt constanter & irremissè luctemini; non dico vsq; ad eneruationem fœmoris vndè generatio propagatur carnis, sed etiam vsque ad mortificationem corporis. Hoc tamen ipsum, nec sic labor noster poterit assequi, nisi tactu & beneficio diuinæ virtutis, cum vestrã videlicet constantiam inuincibilem sibi probauerit. Sic enim scriptum est, *Cumq; videret quod eum superare non posset, tetigit neruum fœmoris eius, & statim emarcuit* f. An non tibi cum Angelo, imò cum Deo ipso luctari videris, quando quotidie præproperis tuis resistit votis? Lauaris velut aquis niuis, vt mundus sis corde & corpore, & C ipse sordibus intingit te. Dicis sapiens efficiar, & ipsa longius secedit à te. Clamas ad eum, nec exaudit te: vis accedere ad eum, & repellit te. Decernis rem & in contrarium tibi cecidit: & per omnia ferè in duritia manus suæ aduersatur tibi. O dissimulatrix clementia, quæ duriciam te simulas: quanta pietate pugnas aduersus eos pro quibus pugnas! Licet enim hæc celes in corde tuo, scio tamen quia diligis diligentes te, & immensa multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondis timentibus te. Noli igitur desperare, constanter age, felix anima, quæ cum Deo luctari cœpisti: amat vtiq; vim abs te pati, desiderat à te superari. Nam & cùm iratus est, manumque ad feriendum extendit, quærit vt ipse conftetur virum similem Moysi qui resistat sibi: & si non inuenerit conqueritur & dicit g, *Non est qui consurgat & teneat me*. Nam si implacabilis sit eius ira, inflexibilisque sententia, flebis & dices Ieremias qui resistere tentauerat h: *Fortior fuisti & inualuisti*.

Lucta constans, & irremissa tel gloris commendatur.

f Gen. 32. f

Lucta nobis cum Deo quotidiana qualis.

Deus subinde in speciem durus, sed interim seuera clemens & beneuolus.

Amat Deus a nobis vim pati.

g Esa. 64. e

h Iere. 20.

3\. Sed absit, Fratres, qui placita ei postulatis: absit vt fortis aduersum vos sit, qui pro vobis infirmari vsq; ad D mortem voluit. Tot vulneribus confossus est, toto corpore crucifixus est: vndè quæso virtus ei esse potest ad resistendum illi charitati, quæ velut victum & captum per omnia genera infirmitatum vsque ad mortẽ, mortẽ autem crucis, perduxit? Iam non fortis vt mors, sed fortior quam mors dilectio: cùm virtute dilectionis infirmata sit vsque ad mortẽ Dei fortitudo: cuius tamen infirmitas fortior inuenta est omni fortissimo, cuius mors probata est esse mors tua, ô mors. Virtute igitur dilectionis armatus sis, quicunque es ille pius inuasor, qui rapere contẽdis regnum cœlorum, & securus esto, quia facilè vinces Regem ipsum cœlorũ. Si qua enim videtur

Deus ad vincendum facilis.

Sed si oppugnetur armis actionis.

Deus subinde nobis aduersari videtur, sed vt animũ nobis acuat, & coronam augeat.

tibi aduersari difficultate, aut duritia: ne sis pusillaoimis, sed intellige, qua mente id faciat. Nempe vt côtrarietate ipse tibi acuat animum, sicut solet esse natura magnanimorum, ac fortium: vt vires exerceret, constantiam probet, multiplicet victorias, augeatque coronas.

4. Exhortatio ad vim cœlo inferendam.

Quamobrẽ accingimini filii Israel, & estote filii fortitudinis: non enim opus est nisi magnanimitate & constantia, quæ nullis possit terreri aduersis. Infirmus dicat, fortis sum: & præ gaudio spei se nesciat infirmum, cui tàm facilè iam iamq; capiendum est cœlum. Planè cœlum violenter rapit, qui imbecillitati suæ vim facit aut ætati. Imò, vt magis propriè loquar, planè vim facit propriæ perditioni, qui intonante tuba mandati, nescit parcere sibi. *Homo enim in laboribus*, vt Scriptura ait [i], *laborat sibi, & vim facit perditioni suæ* [*]. Accingimini, inquã, viri virtutis, & sequimini ducem ac magistrum felicis huius militiæ (Ioannem Baptistam loquor,) à diebus cuius cœlum esse cœpit expugnabile. Iste siquidem est, qui velut alter Dauid princeps factus latronum, plurimque ductor prædonum, & victoriosum illum exercitum publicanorum & peccatorum per illam laudabilem ac religiosam violentiam post se induxit in regnum cœlorũ. Quis enim scelestus aut probus tubam eius audiuit [k], *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorũ*, & non se continuò præparauit ad bellum? Sequimini, inquam, ducem istum, cuius vexilla proprio rutilant sanguine, cuius hodie virtutes ac triumphos debita decantastis veneratione. Ipse, nisi fallor, quos post se traxerit exemplo, iuuabit merito, commendabitque suffragio, cùm inter natos mulierum nullus sit acceptior Regi summo Iesu Christo Domino nostro, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

i Prou. 16. d
* iuxta lectionẽ LXX. Ita planè legit Cassian. & similis sensu explicat Collat. 24. c. vls. atque duce S. Ioanne.
k Matt. 3. a

IN NATIVITATE S. IOAN. BAPTISTÆ SERMO III.

Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.

Matt. 11. b 1.
a Prou. 27. a

SAlomon ait: *Laudent te labia proximi tui*. Sed quàm felicius & gloriosius, cùm laudant quempiam labia DEI sui. Deus quippe nec falli potest, nec adulari. DEVS neminem facilè laudat, quem laude posse inflari videat, vel quem ex fine debere reprobari prævideat. Homini quidem rectè dicitur, ne laudet hominem in vita sua: cuius sicut scire non potest intima, sic nec præscire nouissima; cùm de seipso quoque confiteri habeat, *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum* [b]. Sunt enim *iusti & sapientes, & opera eorum in manu Dei sunt, & tamen nemo scit, vtrum sit dignus amore an odio, sed omnia in futurum seruantur incerta*. Felix igitur qui testimonio ipsius iudicis dignum se amore scire meruerit; nisi quod testimonium iustitiæ præsentis, mutabilitati humanæ suspitionem ac metum non adimit de futuris. Indubitabile tamen eximię virtutis & magnæ perfectionis est indicium, quotiens hominem adhuc corruptioni subditum, suę suffragio laudis illud irrefragabile Dei dignatur iudicium. Magnum profectò iustitiæ præconiũ, quod summa iustitia dicit ad Noë, *Te vidi iustum coram me*. Magni quidem insigne meriti, quod Abrahæ testificatur Deus, propter ipsum implendas esse promissiones, quæ ad ipsum factæ sunt [e]. Quantæ autem illud est gloriæ, quod de beato Iob Dominus gloriatur aduersus inuidum [f]: *Nunquid considerasti seruum meum Iob quod nõ sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, & timens Deũ, ac recedens à malo?* Quãtæ etiam illud erat gratiæ, quòd pro Moyse æmulabatur & confundebat æmulos eius? *Si quis*, inquit, *fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est. Ore enim ad os loquor ei, & palam non per ænigmata videt Deum. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi?* Quis verò in omnibus sicut Dauid, de quo gratulatur Dominus [h], *quia inuenit virum secundum cor suum?*

Laudandus nemo ante mortem
b 1. Cor. 4. a
c Eccle. 9. a
Laus vera & sincera, quæ a Deo est.
d Gen. 7. a
Viri aliquot illustres diuino testimonio laudati.
e Gen. 17. & 26.
f Iob. 1. a
g Num. 12. b
h 1 Reg. 13. c & Act. 13. d

2. Præ omnibus istis laudatus S. Ioannes.

Veruntamen quantumlibet magni fuerint siue isti, siue alii, nec inter istos, nec inter alios natos mulierum, teste Nato Virginis, surrexit maior Ioanne Baptista. Nam & si stella differat à stella in claritate, & in choro sanctorum syderum quæ ante exortũ veri solis illustrarunt noctem huius seculi, quadam effulserunt claritate mirabili: nullum tamen in omnibus maius aut splendidius lucifero isto, lucerna scilicet ardenti & lucenti, quam Pater Christo suo parauit: Lucifero, inquam, prælucanæ lucis, qui præcursor solis diem instantem mortalibus nunciauit; dormientibus in tenebris & vmbra mortis clamitans & dicens [i]: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum*. Ac si diceret: Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abiicite opera tenebrarum [k]. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit tibi Christus [l].

i Matt. 3. a
k Rom. 13. d
l Eph. 5. c 3.

Non est autem negligenter prætereundum, sed etiam atq; etiam considerandum, quàm sublimis meriti, quam excellentis gratiæ & virtutis, oculus ille quem nil fallit, eum peruiderit, qui post tanta præcedentium præconia, hanc de illo sententiam tulit: quòd *inter natos mulierũ*, nullus illo *maior surrexerit*, nec nisi de ordine Angelorum, vel qui peruenisset ad æqualitatem Angelorum, aliquem ei præferendum iudicauit. Nec semel quidem, aut perfunctoriè vel breuiter laudem eius attigit, sed quotiescunque se offerebat occasio sermonis, laudibus eius delectabatur immorari, quod satis probat historia Euangelii. Propterea Marcus quoque Lucas & Ioannes initia librorum præconiis eius dedicauerunt, vt videlicet auctoritas tanti nominis prima fronte præl at totum deinceps cõmendabilius redderet Euangelium; & lucerna in ipso ingressu ac vestibulo ardens & lucens perduceret ad lucẽ, quæ lucebat in tenebris, sed à tenebris nequibat cõprehendi. Matthæus enim quia eũ natiuitas Domini in initiis occupatũ tenuit, mox vt puerũ nutriendum Nazareth commendauit, ad præcursorẽ & Baptistam eius stilum conuertit, arbitrans imperfectũ fore quicquid de spõso diceret, si de indiuiduo amico sponsi reticeret. Hæc namque cura nõ minima fuit, non solùm Euangelistis narrãtibus, sed etiã Prophetis & Angelis prænũciantibus: vt lucerna Christi, testis Domini talis induceretur, cuius splendore & auctoritate inimici facilè confunderentur & ex cuius magnitudine, incõparabilis Altissimi magnitudo manifestè mõstraretur. Cùm enim maximus inter natos mulierum Natum Virginis testabatur tã longè magnitudinem suam vincere, vt indignũ se confiteretur eius calciamẽta portare: quid aliud dabatur intelligi, nisi quia ille erat *magnus Dominus* [m], *cuius magnitudinis nõ est finis?* & de quo dicitur [n], *Quoniã quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?* Et hæc vtique illa magnitudo Ioannis fuit, qua inter magnos tam magnus excreuit: quia videlicet virtutes suas magnas & innumeras quibus nulli mortalium secundus fuit, maxima omnium virtutum humilitate cumulauit sibi: cùm putaretur summus omnium, vltro ac deuotissimè præferens humillimum omnium, & in tantum præferens, vt calciamentis eius detrahendis se testaretur indignum [o].

S. Ioannis excellens virtus quæ tantopere laudari meruit.
Baptistæ præconiis Euangelistæ librorum suorum initia dedicauerunt.
m Psal. 144. a
n Psal. 88. a
S. Ioannes vel ideò magnus quia tam humilis.

Mirentur igitur alii quòd à Prophetis prænunciatus, quòd ab archangelo promissus; & eodem quo Christus; cùm tamen Christus in cubiculo, Ioannes in oraculo; quòd de tã sanctis ac nobilibus patribus; quòd de senibus, & sterilibus contra debitum naturæ, dono gratiæ; quòd antè sanctus quàm natus; antè propheta quàm prophetaret; quòd plusquam propheta, quia Angelus angelicũ officiũ vitamq; gerens in terris, in carne præter carnẽ viuens, & licet innocentissimus, pœnitentiæ tamen formã plus exemplo quàm verbo tradens, quòd in spiritu & virtute Heliæ præcurrẽs aduẽtũ Redemptoris, & viam ei parans in eremo; quòd corda patrum ad filios, & filiorũ ad patres conuertit: quòd Filiũ baptizare, Patrem audire, Spiritum sanctũ videre meruit; quòd denique vsque ad mortẽ pro veritate certauit: vt etiam ad inferos Christum præcurreret, ante passionẽ Christi martyr Christi fuit. Mirentur, inquã, hæc alii, si tamen est qui dignè possit mirari: nobis, Fratres non solùm mirãda, sed & imitanda proponitur virtus humilitatis eius, qua maior se credi cùm

o Luc. 3. d
Ioan. 1. p 4.
Elogia S. Ioan. summatim congesta.
Baptistæ humilitas nobis præcipue miranda & imitanda.

Potuit, noluit: imò credentes ne errarent, quantū valuit compescuit. Fidelis enim amicus sponsi, magis amator Domini sui, quàm sui, se minui, vt ille cresceret optabat p,

p Ioan. 3. d

& de minoratione sui gloriam illius augere satagebar, ante Apostolum opere & veritate dicens illud apostolicum q, *Non nosmetipsos prædicamus, sed Dominum Iesum Christum.*

q 1. Cor. 4. b

Ideo nimirum magna est gloria eius in salutari tuo, in Iesu tuo Domine, cuius iustitiæ & bonitatis est diligentes se diligere, & glorificantes se glorificare. Magna prorsus gloria eius in Iesu, magna à Iesu: qui & apud se glorificauit eum consortio gloriæ suæ, & apud homines testimonio vocis suæ. Persuasum sibi habebat Ioannes illud fidele Sapientis consilium r, *Qui gloriatur in Domino glorietur: non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Maluit itaq; in Domino sanè, quam in seipso vanè gloriari: quia & maluit veraciter à Domino, quàm fallaciter à seipso commendari. Ideo probatus est Deo & hominibus; & gloria eius veritas apud homines, felicitas apud Deum: qui si seipsum glorificasset, gloria sua nihil esset.

Non quæsiuit vanam gloriam.

a Ibid. d

ideò veram inuenit apud Deum.

5. O filii hominum vsquequo graui corde? vt qui diligitis vanitatem, & quæritis mendacium s? Vt quid vanam & mendacem gloriam diligitis, & gloriam quæ à Deo solo est, non vultis? Sed quomodo quæritis? Vtinam agendo fortia, non loquendo sublimia: vtinam saltem vera loquendo, licet vanè, & non mentiendo planè: vtinam denique mentiendo tantum de vobis, non etiam detrahendo de aliis. Hoc iam non est gloriam accipere vel quærere: sed magis furari & rapere. Quæreta siquidem gloriam, non sua, sed contraria via, non illa scilicet cui debetur gloria, sed contumelia, id est, non virtutis titulo, sed mendacii, & detractionis latrocinio: quid aliud est hoc nisi rapere, vel furari nequiter, quod concupieris turpiter? Certè si gloriam ab homine non quæreres, sed oblatam acciperes, iam ex hoc secundum veritatem non ambulares. Nunc autem quid cùm non solū accipis si offertur, sed & quæris cùm non offertur? Quid deniq;, cùm alium velut trucidas venenosa & insidiosa linguâ, vt gloriam eius tibi rapias: vt de malo eius tu melior, de contemptu eius tu gloriosior appareas? Si ergo illud, gloriam scilicet accipere vel quærere ab homine, insipientium vanitas: quid istud nisi sæuientium crudelitas? Sit certè illud, vt mitius loquar, tentatio humana: quid istud nisi imitatio diabolica? Planè imitantur diabolum qui sunt ex parte illius, id est, omnes superbi. Ipse est enim rex super omnes filios superbiæ.

a Psal. 4. a

Gloriam ab hominibus aucupantes arguuntur.

Præsertim si quæratur contraria via, id est, mendacio, detractione, &c.

6. Quomodo, inquis, imitantur? Diabolus quia superbiuit, meliori se, id est, Deo inuidit: quia inuidit, detraxit. Sic filii superbiæ eius, mox vt infecti sunt vitio eius, id est amore propriæ excellentiæ, inuident alienæ. Vt cœperint inuidere, incipient si possunt detrahere, vt scilicet accrescat eis quod derogauerint aliis. Quanto salubrius imitarentur humilitatem Ioannis, qui detrahebat sibi, vt adderet alii: qui contendebat minor credi quàm credebatur, vt alius inciperet apparere qood non putabatur? Denique si non placet humilitas ex sui honestate & æquitate, placeat saltem ex vtilitate: quia nulla via rectior, aut facilior ad gloriam diuinam, sed nec ad gratiā humanam vlla pulchrior aut iustior, & sæpe nulla compendiosior. *Quantò* inquit, *magnus es, humiliate omnibus, & inuenies gratiam coram Deo & hominibus.* Hæc beatum Ioannem glorificauit apud Deum & homines, sicut est dies hæc quæ de Natiuitate eius gloriosa consolationem præstat mondo, gaudium cœlo, gloriam Deo: cui honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Quiescalio-sum contemptus sibi gloriam quærūt, Diabolum imitantur.

Humilitate nulla via rectior ad gloriam.

Eccli. 3.

IN NATIVITATE S. IOAN. BAPTISTÆ SERMO IV.

Matt. 11. a

Cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne, Quid existis videre in deserto?

1. ECce illud quod sponsa de sponso gloriatur, in Cantico amoris sui a: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi:* Ioannes Iesu, & Iesus Ioanni: Ioannes Iesum prædicat, Ioannem Iesus commendat. Par pari redditur, & tam amica quàm iusta vicissitudine charitas inuicem prouocatur, aut remuneratur. *Ego enim,* inquit Iesus b, *diligentes me diligo, & glorificantes me glorificabo.* Habet pietas promissionem vitæ quæ nunc est, & futuræ; & Dominus dilectum sibi quem glorificaturus est in futuro redditione præmii, etiam nunc incipit glorificare* redditione præconii, testemque suum etiam apud homines proprii sublimat honore testimonii. *Quid existis,* inquit, *videre in deserto?* Vos hominem miramini commorantem in deserto, sed per istum pinguescent speciosa deserti, & florebit solitudo, cùm vbique noui cultores eremi de Ioannis succrescent exemplo. Tunc erit desertū quasi deliciæ paradisi, & solitudo quasi hortus Domini. *Tunc gloria Libani dabitur ei, decor Carmeli & Saron* c. Sed quid, inquam, *existis videre in deserto? arundinem vento agitatam?* Et si moretur in desertis, non est tamen arundo deserti, sed cedrus Paradisi; columna cœli; gloria generis humani; miraculum mundi; virtute & merito vltra mensuram hominum, conditione citra naturam Angelorum.

a Cant. 2. d

b Prou. 8. b

* al. exhibitione.

c Esa. 35. e

Ioannis encomium.

2. Non est arundo vento agitata, sed palma fortior omni procella, quam nullus turbo quatiat: aut certè cypressus in monte Sion æternæ plantata, altius scilicet quam vt ventorum rabiem timeat. Non est obnoxius tempestatibus huius aëris, quia superior est cunctis cupiditatibus mundi. In cœlo radicem fixit, quo nullus spiritus procellarum aspirat, vndè minas & bella ventorum, & cuncta in seculo aduersaria securus irrideat. Irascatur Herodes; insidietur Herodias; de interioribus eorum ebulliat tempestas, ac nequam spiritus procellarum, qui in abyssis cordium eorum cubat, omnes vires suas, & argumenta malitiæ commoueat: nihil illum terrebit, nihil à sententia mouebit, quo minus liberè nuptias eorum incestas arguat. Quomodò enim flecterent aduersa, quem mollire non potuerunt prospera? Flauerunt siquidem aliquandò & molles, atque blandientes venti, auræ scilicet fauoris popularis, sed nec illis à rectitudine sua potuit inclinari. Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati d. *Miserunt enim Iudæi Sacerdotes & Leuitas, vt interrogarent eum, tu quis es? Et confessus est, & non negauit, quia non sum ego Christus:* cùm tamen ei flaret fauor popularis, & blandiretur existimatio communis, non vt Christum prædicaret se esse, sed vt credentibus tantum non contradiceret. Sed & alias cùm discipuli eius dicerent ei e, *Rabbi cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum,* nunquid hoc vento potuit agitari, aut de sua desertione, & alterius frequentia & gloria ad dolorem, vel inuidiam moueri? Imò constantia immobili ventum repellens & frangens, respondit f: *Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quia dixerim non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum.*

Non fuit arundo vento agitabilis, sed fortissima arbor nullis cedens tempestatibus.

inuictus aduersus Herodem.

inter aduersa & prospera æquè constans.

d Ioan. 1. c

e Ioan. 3. e

f Ibid. d

3. Sed *quid existis videre? Hominem mollibus vestitum?* Laudauerat eum de constantia animi, & nunc laudat de contemptu corporis sui, ac postremò de superexcellentia gratiæ prophetalis, atque dignitate angelici officii & nominis. His etenim duobus gradibus ad spiritalia ac diuina nititur humilitas humana, si videlicet aduersus irruentium tentationum ventos immobilis persistat, & desiderio spiritualium bonorum corpus affligat. Sicut enim in initiis, vt vincamus tentationes, corpus est castigandum, ne regnet in eo peccatum: sic etiam victis tentationibus in eodem tamen est persistendum, non solùm metu recidendi, sed etiam desiderio proficiendi: vt scilicet de mortificatione carnis spiritus vegetior fiat, & quantò leuius ac subtilius vinculum gestat, tantò ad spiritalia liberior assurgat. Ioannes qui antequam exiret de ventre sanctificatus erat, cui illud dicere competebat g. *Ab infantia mea mecum creuit sanctitas, & de ventro matris meæ egressa est mecum,* quem nullus tentationis ventus agitare poterat, nec mollibus tamen vestiebatur, nec suauibus vescebatur, sciens vtique quia sicut peccatoribus, vt sancti fiant, sic sancti vt sanctiores fiant, necessaria est seuerior viuendi disciplina. Nunc autem Deo gratias, qui dedit nobis, si tamen dedit, sine pugna victoriā, sine pœnitentia veniam, sine opere iustitiam, sanctimo-

Gradus duo ad vitæ spiritualis perfectionem.

Mortificatio corporis tum initiis, tum in progressu vitæ spirit. necessaria.

g Iob. 31. b

Mortificatio seu seuerior viuendi disciplina & pecca-

tibus & iustis per necessaria illis vt sancti fiant: his, vt sanctiores.

niam sine labore: deliciis carnalibus simul & spiritalibus affluere. Induimur, si non purpura & bysso, certè mollioribus & calidioribus quàm sint purpura & byssus; & epulamur quotidie splendidè: & nihilominus distenti & ructantes crapulam, dormiemus cum Lazaro quondam paupere in sinu Abrahæ, vel potius in sinu Christi cum Ioanne? Planè si ita est, melius nobiscum actum est, quàm cum illis qui tantis emere laboribus, quod nos delicati gratuitò possidemus. Planè si ita est, ridenda est magis quàm prædicanda vita Ioannis. & omnem nationem filiorum DEI, qui dura & arcta via secuti sunt vnicum Patris, reprobare magis expedit, quàm imitari?

S. Ioan. vitâ tam asperâ cœlum petiit, & nos tam mollis illoc ducet via?

4.

Verisimilius autem videtur quod non ita fit; sed magis sicut Veritas dicit[h], quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum DEI*: & sicut Discipulus veritatis perhibet[i], quia *vidua in deliciis viuens mortua est.* Ideo Dominus cùm de asperitate vestis laudasset amicũ in omni domo sua fidelissimum, *Ecce*, inquit[k], *qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*: volens nimirum intelligi, quia qui sectantur delicias carnis, regno huius seculi militant, non regno DEI. Heu quàm terribilem sententiam cœlitùs audiuit contra molliciem illius magnæ & purpuratæ meretricis? *Quantum*, inquit[l], *glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Vtinam tamen his deliciis, tantùm mollicie vestium, & suauitate epularum contenta esset teneritudo delicatorum nec alias spinas vitiorum germinaret in eis ramus voluptatum, vt hoc esset omne peccatum eorũ, deliciari, non luxuriari. Ipsi viderint, si ita extinctus est in eis ingenitus ille pestifer ignis, vt tot fomentis circũpositis nequeat reaccendi: præsertim ventis ex aduerso flantibus, id est, verbis & visibus lasciuis tẽtantibus. Soleo tamen audire, quia sæpe viuit etiam in moriente, viget in sene: suscitatur & exurgit etiam sine fomite, furit nullo irritante. Ipsi ergò viderint sibi, nihil enim mihi de aliorum conscientiis iudicare, cùm sciam multos in omni copia & gloria mundi temperanter & pudicè vixisse: & è diuerso nonnullos in habitu asperiore & victu parciore nequiter egisse. Sed & scio regem Israel sub purpura sua cilicio ad carnem fuisse indutum[m]; & panẽ solum nonnunquam regibus appositum: cùm hodie delicatissima quæque ac mollia regat pulla vestis pœnitentium, vel magis pœnitentiam profitentium & fastidiis eorum non satis sint opes mũdi, non satisfaciant artes & tormenta coquorum. Verùm quia in huiusmodi causis facilè quisque sibi inuenit patrocinium, alius infirmitatis, alius societatis cui morem gerit, alius honoris quem gerit: esto, vestiant vt volunt, comedant vt volunt, tantùm ne excedat vlterius hoc malum, ad id scilicet, quod qui perpetrare volunt, confiteri nolunt, quia tueri non possunt: & incipiant notari prouerbio mulieris nequam[n], *quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum.* Nam & de magna illa Babylone, de cuius medio delicati pœnitentes isti videbantur exisse, audeam dicere, Quantùm vult purpurata sit, quantùm vult delicata sit, tantùm meretrix non sit, nec diuaricet pedes suos omni transeunti.

h Act. 14. d

i 1. Tim. 5. a

k Matt. 11. a

Qui delicias carnis sectantur, regno mundi militant, non Dei.

l Apoc. 18. b

Et ignem noxium in vitiosis nobis alunt.

m 4 Reg. 6. f

Religiosos delicatulos ac fastidiosos acriter perstringit.

n Prou. 30. c

5.

Tu ergò si non potes imitari Ioannem in asperitate vestitus, vel parsimonia victus: vel in hoc imitari contende, vt non sis arundo vento agitata, & vt Sapiens ait[o], *Non te ventiles in omnem ventum, & non eas in omnẽ viã.* Sic enim peccator probatur in duplici lingua. Sed *esto firmus*, inquit[p], *in via Domini*, ne te proiiciat ventus à facie terræ, seu loci cui profectus es, seu regni cui præparandus es. Solet repentè ventus vehemens irruere à regione deserti, & concutere quatuor angulos domus filiorum Iob[q], & fit ruina eius magna, si tamen super arenam fundata sit, non supra petram: si arundinea sit, non lapidea: imò si is qui ædificat eam, & inhabitat, arundo sit: foris per hypocrisim nitidus, iactantia vel promissione cassa sonorus, intus veritate vacuus. In secreto huius arundinis Behemoth dormire amat[r], quæ & in locis humentibus vbi nulla fluxarũ rerum penuria, sed ad luxum superfluunt omnia, sæpius & vberius crescit atque luxuriat. Huic arundini si quis innitatur, manum eius perforabit[s]: quia si quis in adiutorium operis eum asciuerit, vel alicuius ei muneris functionem imposuerit, sperantem in se graui scandalo vulnerabit. Patientia tamen Domini huiusmodi arundinem etiam quassatam non conterit[s], sed sustinet, vt in melius conuertatur. Nonnunquam etiam increpat feras arundinis[u], quæ cum principe suo in secreto eius dormiunt: nonnunquam iusti tanquam scintillæ æris candentis in arundineto discurrunt[x], qui tanquam carbones desolatorii, quicquid in eo sterilitet syluescit incendunt, nouisque fructibus purum præparant locum. Hoc agebat Ioannes Vox clamantis in deserto, non arundo, sed scintilla in arundineto, *cuius sermo*, vt scriptum est[y], *sermo scintilla ad commouendum cor* pigrum & stolidum, vt pararet viam Domino. Hoc etiam nunc in nobis agat eadem vox cooperante Verbo ipso, cuius erat vox, Iesu Christo Domino nostro, qui viuit & regnat per omnia secula seculorum. Amen.

Quid fructuosius quibus austerius Ioan. nimis ardua.

o Eccli. 5. c

Constantia & perseuerantia commendatur.

p Ibid.

q Iob. 1. d

r Iob. 40. c

s Esa. 36. b

s Esa. 42. a; Matt. 12. b

u Psal. 67. f

x Sap. 3. d

y Sap. 2. b

IN NATALI APOSTOLORVM Petri & Pauli,

Sermo I.

Et respondi, inquit Zacharias, *& dixi ad Angelum qui loquebatur in me. Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius? Isti sunt, inquit, duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.*

Zach. 4. d

1.

Christus candelabrum aureum.

DE candelabro quod viderat totum aureum, & septem lucernas eius super illud intellexerat Propheta: sed nec nobis dubitare iam licet, cùm in lumine eius videamus lumen. Hoc lumen cùm alia demonstret, seipsum ignorari non patitur, sed testimonium perhibẽs de seipso loquitur[a], *Ego sum lux mundi.* Lux ex diuinitate: candelabrum ex humanitate. Et ipsum totũ aureũ, non auratum: quia siue diuinitas siue sapientia, siue charitas auro significetur hæc omnia Christ[us] nõ per participationem, sed per substantiam. Nos cùm simus naturâ plumbei, vel magis lutei: gratiâ & participatione ipsius, non aurum vel aurei, sed vt multum aurati. Septem lucernæ super ipsum, septem spiritus, septẽ oculi Domini, qui discurrunt in vniuersam terrã. De his ergo Propheta certus, de duabus oliuis quidnam sint percũctatur, auditq; ab Angelo qui in eo loquebatur[b]: *Isti sunt duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.* Interpretentur alii vt volunt, aut possunt, vnusquisque pro sensu suo: siue Enoch & Eliam, qui apud Deum in secreto viuunt: siue Moysen & Eliam, qui cum eo in monte visi sunt: siue duos ordines prædicatorum, Veteris scilicet ac Noui Testamenti: vt qui *Veteris*, ad sinistram sint propter promissa temporalia: qui *Noui*, ad dexterã propter æterna. Ego quicquid à regula fidei non discrepat; aut à contextu lectionis non nimiè dissonat, suscipio, veneror, amplector.

a Ioan. 8. B

b Zach. 4. d

Sensus Scripturæ qui vel quales admittendi

2.

SS. Apost. Petro & Paulo verba Zachariæ adaptantur.

Puto tamen sine præiudicio melioris intellectus, Petrum & Paulum non absurdè posse intelligi; imò absurdum videri, qui hodie aliud interpretari velit, cùm hodie nihil aliud cantet aut tractet Ecclesia vbique terrarum, quàm præconia Patrum Doctorumque suorum. Nam & si aliis possit aptari, puto quia istis specialius congruit, seu illud quod tanquam duæ oliuæ circa candelabrum à Propheta videntur; seu quòd duo filii esse olei splendoris ab Angelo memorantur. Et alterum quidem altero exponitur, visio scilicet prophetica, interpretatione angelica: vt inde intelligantur oliuæ, quia filii olei splendoris: inde circa candelabrum, quia Domino assistunt. Qui enim ex oleo Spiritus sancti sunt regenerati, hodieque florent & fructificant sicut oliua fructifera in domo Domini: etiam oleastro gentili qui in ipsos insertus est, impertientes pinguedinis suæ succum ac dulcedinis, gratias illis agat sterilis dudum & amara gentilitas: & si non ab ipsis, tamen per ipsos est, quod nunc tam copioso, tam precioso fructu per orbem abundat;

Quantoperè nobis gloriandum in his apostolis

Vobis tamen, Fratres, quibus sicut substantia & domus vna, ita cor vnum & anima vna: vobis, inquam, A specialibus in ipsis censeo gloriandum qui sicut nouella oliuarum de eorum radice traduxistis non solùm fidei succum, sed & formam vitæ atque ordinis exemplum. Quod si nouella oliuarum vos, vtique & filii olei vos, filii vncti qui est Christus Dei: dicetur que et de vobis, cùm hodie ad altare accedetis^c: *Filii tui sicut nouella oliuarũ, in circuitu mensæ tuæ*. O nouella oliuarum nobilium, ô generosum germen tam pinguium tamque feracium arborum: semper obsecro recordare de qua pullulaueris stirpe, de qua succreueris radice, ne vnquam sterilitas operum, aut amaritudo morum te degenerem arguat, aut quod absit, inutilem ignibus addicat. Caue, quæso, notam infelicium temporum, de quibus meministi prophetatum d, *Mentietur opus oliuæ, & aræ non afferent cibum*. Duo tamen præcipuè tibi existimo cauenda: ne aut per teporem fias sicut oliua proiiciens florem suum, sicut legis in Propheta, vt videlicet fructum quem in initiis nouitii feruoris promittebas non facias: aut cùm feceris, ne per superbiam perdas, & dicat tibi Ieremias e, *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit* B *Dominus nomen tuum*: sed heu *ad vocem loquela grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt omnia fructeta eius*. Confidimus autem de vobis meliora dilectissimi, tametsi ita loquamur. Confidimus, quia oleum splendoris, vel magis olei splendor cuius estis filii, sicut & patres nostri Apostoli, vnctione sua docebit vos de omnibus: nec solùm deterget torporem, quia oleum est. sed & discutiet errorem, quia splendor est.

Sed præsertim religiosis.

c Psa. 127. b

d Habac. 3. d

e Ierem. 11. c

4. Scio posse intelligi *olei splendoris*, id est, quod de splendore Filio procedit, vel quod splendorem illuminationis diffundit: sed puto quia non inconuenienter etiam per intransitionem accipi potest oleum quod splendor est. Vtrumque siquidem Spiritus est in natura sui; & vnctio scilicet spiritalis, & splendor inuisibilis: vtrumque in nobis operatur munere sui. Vngit affectus ex eo quod oleum est: illuminat intellectus ex eo quod splẽdor est. Qui tamen non ex alio atque alio, sed ex vno ipso & oleum & splendor est: quia non nisi vnum ipsum est. Vngit affectus, quia charitas est: illuminat intellectus, quia veritas est. Vngit affectus, cùm deuotionem donat: illuminat intellectus, cùm mysteria reuelat: cùm bonitatem C docet, vt simus simplices sicut columbæ, vngit affectus: cùm scientiam docet vt simus prudentes sicut serpentes, illuminat intellectus. Illuminat, vt habeamus in nobis salem: vngit vt habeamus inter nos pacem. In hoc igitur te nobis probabis filium olei splendoris, si suauem & victum per beneuolentiam, discretum & maturum per sapientiam te nobis exhibueris: vt suauitas veritate sit condita, & æquitate charitas ordinata. Puto autem quod hanc geminam virtutem sui, vel effectum muneris sui, propter quam oleum splendor voluit dici, etiam in illo igne Spiritus sanctus significauerit, in quo ipse inuisibilis, inuisibiliter Apostolis apparuit. Qui enim splendor fuit in aspectu oculorum, oleum, nisi fallor, fuit in sensu corporum: vt velut in quodam lauacro olei viderentur sibi baptizati, cùm super eos effunderetur ignis iste cœlestis. Veruntamen qualiscunque fuerit in eis corporaliter sensus illius ignis, parum enim interest qualis sentiatur, sed qualiter operetur: illud, vt opinor, & probabilius dicitur, & religiosius creditur, quod idem ignis qui inflammauit & illuminauit corda, refrigerauit D corpora, vt per charitatem mentes arderent, & per castitatem membra frigerent, & vtrumque congrueret singulis, siue illud Ieremiæ^f, *De excelso misit ignem in ossibus meis*, siue illud Psalmistæ g, *Caro mea immutata est propter oleum*. Nisi fortè aliquid de lege membrorum contra legem mentis relinquere voluit Spiritus, vt virtus in infirmitate perficeretur.

Spiritus sanctus & oleum & splendor, nam vngit affectum, & illuminat intellectum.

Vtrumque in igne, quo apparuit Apost. significaturus.

f Thren. 1. d

g Psal. 108. e

5. Sed prosequamur quod proposuimus. *Isti sunt*, inquit, *duo filii olei splendoris, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ*. Ecce habes bonitatem in oleo, scientiam in splendore: accipe disciplinam in eo quod ait, *qui assistunt dominatori vniuersæ terræ*: vt agnoscas eos verè discipulos illius fuisse cui cantamus h, *Bonitatem & discipli-* A *nam & scientiam doce me*. Hæc est namque perfectio disciplinæ, tam in mente, quàm in corpore; vt proponentes Dominum in conspectu nostro semper, semper & vbique maiestati æternæ, quæ nos inspicit & iudicat sine intermissione, cum metu & reuerentia assistamus, peruigili fide ac iugi deuotione. *Sicut oculi*, inquit i, *seruorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominũ Deum nostrum*, intentissimè & indeclinabiliter obseruantes nutus eius, quid velit, quid iubeat, vt quàm celerrimè deuotio nostra obediat. Sic Moyses inuisibilem tanquam videns sustinebat, nec vnquam imminentis metum iudicis dissimulare poterat. Sic Helias & alii prophetæ qui dicebant: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto k*. Inde nimirum & gratiam & nomen assecuti sunt *Videntium*: quoniam quæ semper intuebantur per fidẽ non fictam, merebantur sæpius intueri per speciem, licet factam. Hæc fides vigil, nõ ficta, non dissimulatrix, ipsa est, vt arbitror, quæ sola vel maximè facili compendio ad perfectionem perducit: quæ grauitatem disciplinæ, sobrietatemque modestiæ, tam interiori quàm exteriori nostro tribuit, & velut in disciplina famulantium Domi- B no semper assistere facit. Hac virtute meruerunt Apostoli dici filii olei splendoris, vt sicut Domino astiterunt in terris contemplando per fidem, ita nunc et assistant in cœlis contemplando per speciem, regemque in decore suo videant oculi eorum, cuius timorem hic meditabatur cor eorum. Hac via, Fratres, sequimini patres fidei vestræ, & auctores ordinis, quatenus eorum prouocati exemplis & adiuti suffragiis, quo ipsi hodie præcesserunt, peruenire valeatis, adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat per omnia secula seculorũ. Amen.

h Psal. 118. f

Dei præsentia vbique metuenda.

i Psal. 122. a

K 4. Reg. 5. b

Fidei. qua Deum nobis vbique præsentem credimus, vtilitas.

IN NATALI APOSTOLORVM Petri & Pauli.

Sermo II.

Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Cant. 4. b

1. VIdete, Fratres, ne degeneretis. Vt taceã de nobilitate patris vestri, nobilis est mater quæ vos genuit, C generosa sunt vbera quibus lactari estis. Mater vestra est sponsa cui hæc dicuntur, cuius vbera voce sponsi laudantur. Quæ nimirum duo vbera Ecclesiæ Petrum & Paulum esse, non solùm interpretatur nobis dies ista, in qua potamur ab vberibus consolationis eorum satis iucundè & abundè, sed etiam euidentia operis ipsorum approbant argumenta ac monumenta doctrinæ. Quibus enim aliis vberibus nutriti sunt filii Ecclesiæ, siue ex præputio, siue ex circuncisione? Istos vtique ego reor esse, de quibus olim paruulæ & pauperculæ consolatio diuina promittebat Ecclesiæ. *Reges nutricii tui erunt* a, *& mamilla regum lactaberis* b. Nisi enim tam generoso lacte nutricia esset, nunquam ad hoc virtutis ac gloriæ culmẽ excreuisset. Ad vbera paruulos Petrus inuitabat, quibus dicebat c, *Sicut modò geniti infantes, lac cõcupiscite*. Vbera Paulus præbuerat quibus dicebat d, *Lac vobis potum dedi*. Et illud e, *Factus sum in medio vestri sicut nutrix fouens, & nutriens filios suos*. Quàm plenus autem lacte redundauerit spirituali, pulchrè significatum est vnda illi lactis visibilis, quod de corpore ipsius fertur exisse loco sanguinis, cùm decollatus hodierna die pro illis quibus dabat mamillam, dedit & animam. Planè nihil in eo sanguineum, sed totum lacteum: qui nihil carnale, nihil suum cogitabat, sed tantum quod aliis vtile erat. Nec tã habebat vbera, quàm ipse totus vber erat: qui ita misericordis vberi affluebat, vt non modò spiritum suum desideraret totum filiis immulgere, sed & corpus impendere.

Petrus & Paulus quasi duo vbera Ecclesiæ.

a Esa. 49. f

b Ibid. 60. c

c 1. Pet. 2. a

d 1. Cor. 3. a

e 1. Thess. 2. b

S. Paulus totus lacteus.

2. Antequam hæc duo vbera Petrum & Paulum accepisset primitiua Ecclesia sanctorum in terris, conquerebatur & dicebat Ecclesia beatorum spirituum in cœlis f: *Soror nostra parua est, & vbera non habet*. Cùm enim Christus rediens in cœlum reliquisset pusillum gregem discipulorum, ac nondum misisset Spiritum suum, quo

f Cant. 8. c

erant fœcunda viscera, & implenda vbera sanctorum: erat, vt opinor, illa Ecclesia in cœlis sollicita pro filiolis sponsi, siue iam natis, siue nascituris, cui videlicet committerentur alendi: eò quòd Ecclesiam istam viderent paruam numero, virtute, & auctoritate, & sine vberibus doctrinæ. Nam & ipse sponsus in diebus carnis suæ genuerat aliquos verbo veritatis, & quamdiu fuerat cum eis, lactauerat eos vberibus ædificationis & consolationis. Et ipse siquidem spōsus habet vbera meliora vino[g], id est doctrina legali, vel gaudio sæculari. Habet inquam sponsus vbera, ne vllum de omnibus officiis & nominibus pietatis eum prætereat: vt qui pater est creatione naturæ, vel regeneratione gratiæ, seu etiam auctoritate disciplinæ, sit etiam mater affectu clementiæ, sit & nutrix sedulitate officii & curæ. Erant igitur paruuli quos alebat initium aliquod creaturæ eius, sed non nisi initiū: multumque supererat curæ & laboris, donec adducerentur ad perfectum, & formaretur Christus in eis. Cùm autem & ipse reliquisset eos: superni Spiritus, etsi læti de reditu Vnigeniti, de noua tamen adoptionis progenie solliciti, quodammodò affectu suo videbantur apud eum conqueri. Quis illos nutriet? Lactasti eos, sed ante tempus ablactasti. Non enutristi iuuenes, nec ad incrementum perduxisti virgines. Quis illos nutriet? *Soror nostra parua est, & vbera non habet.* Dixisti Petro[h], *Pasce agnos meos*, sed nec ipse adhuc sufficientiam lactis in vberibus habet. Citò pietas eius aresceret, qui plus adhuc cuti suæ quàm animabus paruulorum timeret. Facilè relinqueret agnos in tentatione, qui Pastorem tam suum quàm illorum negauit in interrogatione. Ecce autem repentè Spiritu misso de cœlo, tanquam lacte de propriis Christi vberibus effuso, Petrus impletus est lacte plurimo: nec multò pòst de Saulo fit Paulus, prædicator de persecutore, mater de tortore, nutrix de carnifice: vt planè intelligeres totum eius sanguinem mutatum in lactis dulcedinem, sæuitiam in pietatem.

g Cant. 1. a

Christ⁹ nobis pater, & mater, & nutrix.

h Ioan. 21. c

Christus mūdum deserens visibili præsentia alias nobis matres seu nutrices prouidit, i. e. Apostolos.

3. His igitur vberibus geminis pectori suo affixis gloriatur Ecclesia, non modo matrem se esse fœcundam, sed & ciuitatem munitam. *Ego*, inquit[i], *murus & vbera mea turris.* Mille clipei pendent iam de turribus istis, omnis armatura fortium. Ipse quoque sponsus de eisdem vberibus in laudem sponsæ in carmine amoris, mystico sermone sic ait[k]: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Capream hoc loco accipimus Ecclesiam: acutam visu ad penetranda mysteria Christi, agilem saltu ad transiliendā spinosa huius seculi, potentem ad exuperanda venena serpentis antiqui. Cuius duo gemelli non inconuenienter, vt arbitror, intelliguntur hi duo Apostoli: germani fide, consimiles deuotione, pares merito & virtute, vnanimes charitate, coniuncti in ipsa etiam passione & morte. Quomodò enim in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati. Quia verò desideria suorum pascuntur in profectibus minorum; donec scilicet aspirante gratiā tollant se ad contemplandum sublimia; benè de his hinnulis subdit[l]: *Qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Animalia rūm declinant æstum diei, captāt vmbrosa pascua conuallium, vbi & liliorum solet esse prouentus vberior, donec spirante tepescentis aura vesperi, egrediantur ad aperta camporum, vel ardua montium. Sic & hinnuli nostri quamdiu non aspirat eis ad contemplandum clementior aura diei æterni, pascuntur in liliis conualliū: id est, delectantur in virtutibus humilium, aut etiam occupantur in actionibus eorum.

i Cant. 8. c

k Cant. 4. b

Caprea Ecclesiam signat.

Duo gemelli eius, Apostoli.

l Cant. 2. d

4. Cùm autem aspirat dies ille mentibus eorum, egrediuntur & saliunt ad vberiora & feliciora pascua montium æternorū. *Per me*, inquit pastor & ostium[m], *si quis introierit saluabitur, & ingredietur* Ecclesiam *& egredietur* sæpius contemplando, semel migrando ad cœlestem patriam, *& pascua inueniet*, & hic & ibi. Hic inter lilia agri, ibi inter ligna paradisi. Hic in floribus, ibi in fructibus. Hic in virtutibus Sanctorum, ibi in gaudiis Angelorum. Prorsus in loco pascuæ ibi me Dominus collocauit, cum Ecclesiæ Sanctorum associauit, cuius *venter sicut aceruus tritici vallatus liliis*[n], vt pascat simul & tritici gustu, & liliorum aspectu. Quid enim aceruus tritici, nisi copia diuini sermonis in tot libris vndique congestis? Quid lilia, nisi iusti, qui germinant sicut lilium, & florent in æternum ante Dominum, quorum tantus candor in sanctimonia corporis & cordis puritate, tanta fragrantia in opinione, tanta medicinalis virtus in opere & sermone? Non mediocre pabulum istud fidelis animæ videre circa se tot lilia tanta venustate & gratia florentia, vbi omnium virtutum ex eis, licet diuersarum ex diuersis, capere possit exempla. Iste fundator humilitate, ille amplior charitate: Alius robustior ad patientiam, alius velocior ad obedientiam: Iste frugalitate parcior, ille labore vtilior: Iste deuotior in oratione, ille in lectione studiosior: iste in administratione prudentior, ille in quiete sanctior. Sed licet aliquam insignius florentem in vnoquoque gratiam miteris: non vna tamen, sed multæ virtutes in singulis, sicut flores in liliis. Quot enim iusti tot lilia: quot virtutes eorum, tot flores liliorum. Qui igitur hæc videns gaudet in illis, aut etiam proficit ex illis, quid nisi pascitur in liliis?

m Ioan. 10 b

Virtutes aliorum in conuictu seu conuersatione obseruandæ, & sectandæ.

n Cant. 7. a

Aceruus tritici copia sermonis diuini. Lilia sunt iusti seu fideles animæ.

Alii aliis virtutibus ac donis excellunt

Iusti liliis, virtutes eorum florib. comparantur.

5. Pascebat Paulus, sed nihilominus in illis quos pascebat, pascebatur. Pascebat eos sermonibus, pascebatur eorum operibus. Ventrem quidem suum, imò & alienum pascebat manibus propriis[o]: mentem verò non tam suis pascebat bonis quàm alienis, qui non quærebat quod sibi vtile, sed quod aliis. *Nunc viuimus*, inquit[p], *si vos statis in Domino. Quæ enim gloria mea, aut gaudium, aut corona: nónne vos ante Deum*[q]? Ideò sæpius ei spirabat dies æterni luminis, atque afflabat eum lenior aura Spiritus sancti, cuius vi rapiebatur ad interna pascua: aliquandò paradisi, aliquando tertii cœli, *siue in corpore, siue extra corpus, nescio*, inquit[r], *Deus scit.* Dignum quippe erat, vt qui fideliter pascebat, fideliter pasceretur: & qui foris gaudebat in bonis dominicæ familiæ, in gaudium Domini sui iuberetur intrare, atque repleretur in bonis domus Dei: non solùm istius visibilis pro qua sudabat, sed etiam illius inuisibilis ad quam suspirabat, vnde & dies ei aspirabat.

o Act. 20 g & 1. Cor 4. c 1. Thess. 2. b 2. Thess. 3 b

p 1. Thess. 1 c

q Psal. 4. a

r 2. Cor. 12 a

6. Nec minora de Beato Petro sentienda puto cùm maxima sit gloria Pauli, illius coæquare meritis, quem iudicium veritatis potestate & primatu prætulit vniuersis. Cùm enim Pater qui est in cœlis veritatē Vnigeniti Petro reuelabat[s], quid aliud quam dies ei æternus aspirabat, & dies diei verbum eructabat? Cui autē magis peruium fuisse cœlum credendum est, quam ipsi ianitori, cuius lingua clauis cœli facta est? Qui potestatem habebat claudere cœlū nubibus, & aperire portas eius, quomodo ipse non sæpius intrasse creditur? Esuriit aliquando Petrus & cœlum ei apertum est, cùm adhuc in terra consisteret, tantaque ei inde ciborum copia missa est[t], vt adhuc multa supersint, licet plurima mactauerit, & manducauerit immunda & virulenta animalia in sancta & flosculenta conuertens lilia: vt videlicet delitiosè pasceretur in liliis, donec aspirante die, gloriosè in ipsis pasceretur cœlis.

S. Petri Encomium.

s Matt. 16. c

t Act. 10. b

7. Sed ecce dum commendamus vobis duo hæc vbera sponsæ, hora iam præteriit, qua de ipsis vberibus lac vobis cupiebamus immulgere, quanquam & aliis diebus, hoc ipsum facere possimus & soleamus. De vberibus siquidem Apostolorum lac vobis trahimus, quoties de verbis eorum ad ædificationem vestram tractamus. Nunc igitur pro tempore satis sit admonere, si tamen moneri indigetis: vt sicut vbera ista diligitis, ita lac eorum semper concupiscatis: vt in eo crescatis in salutem, donec formatum in vobis exhibeatis Saluatorem Iesum Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat, per omnia secula seculorum. Amen.

SERMO III.

De eo quod scriptum est, *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Cant. 2. d

1. ERratis Fratres in me, sed amore magis, vt arbitror, aut humilitate quàm temeritate. Putans me Scripturarum scientiam habere, qui vix vnquam attigi vel primum limen scientiæ. Displicet enim vobis, vt mihi

videtur, quòd capitulum Scripturæ de quo heri sum locutus, non sum ad finem vsq; persecutus: quasi illa mihi sit facultas, vt valeam Scripturas explanare, aut etiam explanationes aliorum dignè & congruè ad memoriam reuocare. Sed neque hoc mihi solet propositum esse, vt scripturarum vndè sermonem ordior, exponam: sed vt de ipsa & secundum ipsam sermonem debitum suo diei persoluam. Huc accedit quòd Magister noster ille interpres Spiritus sancti *, de toto illo carmine nuptiali loqui instituit, spemque nobis dedit; ex eisque iam edidit, quia si peruenerit ad locum de quo quæritis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ: vmbras ipsas ponat in lucem intelligentiæ: quod dictum est vel erit in tenebris, nobis dices in lumine. Vos tamen dicitis & rectè dicitis, quia vetera nouis superuenientibus proiiciens: quantòque magis incondita, seu rancida fuerit in vetera nostra, tantò noua illbus sapidiora erunt & gratiora. Nam & ipse Iesus seruat vinum bonum vsq; ad extremum, sciens vtique, quomodo nostro sit fastidio medendum.

* S. Bernardum Abbat. Claraualensem intelligit.

2. Quia igitur cogitis me: (nam impatientes dilationis vos video,) nec spes incerta futuri præsenti satisfacit desiderio: ecce vobis morem gero, finemq; versiculi de quo heri loquebamur, suo prout potero, reddam principio. Illud enim quærere videmini, quid sit aspirante die spiritali vmbras inclinari, cùm magis cõsequẽs videretur, vt non crescere, sed minui tunc & deficere diceretur. Nam si sequamur proprietatem verbi, hoc est vmbris crescere, quòd inclinari, cùm vmbrarum ea natura sit, vt quantò inclinantur, tantò procumbãt longiores: quantoq; surgunt, tantò fient minores. Vndè & Poeta vesperum significans ait: *Maioresq; cadunt altis de montibus vmbræ*. Sed sciendum, quia cùm hæc proprietas vmbrarum sit corporaliũ, longè alia est spiritualium, de quibus nõ dubitamus hic loqui Spiritum sanctum. Nam sicut corporalibus vmbris inclinari est crescere: sic spiritualibus hoc est inclinari, quod deponi, minui, vel deficere. Vmbræ autem spiritales sunt vmbrosi spiritus & tetri, seu dæmonum, seu hominum: vmbræ sunt tenebræ errorum: vmbræ suot obscuræ significationes veterum sacramentorum. Et vmbræ quidem significationum iam inclinatæ sunt ad occasum & finem: vmbræ autem errorum de die in diem inclinantur ad diminutionem: vmbræ verò tenebrosorum spirituum tandem inclinabuntur in infernum & mortem. Primum quidem factum est, cùm dies æternus aspirauit, apparens in carne: secundum quotidie fit cùm magis ac magis aspirat illustrans veritate: tertium nouissimè fiet, cùm aspirabit rutilans in maiestate.

Quid inclinare vmbras.

Virg. Bucol. Ecloga 1.

Vmbræ spirituales, quænam.

Vmbræ triplices, figurarum, errorum, dæmonum.

3. Videre autem mihi videor & alias vmbras intra nos, quæ velut in quodam speculo de rebus aliis nascuntur in sensu nostro, & obumbrant nobis, vel obumbrant nos. Obumbrant nos quæ refrigidant & obscurant nos: obumbrant nobis quæ refrigerant & illuminant nos. Istæ quidem noxiæ & graues; illæ delectabiles & salubres. Istæ namque de inferioribus sunt & mundanis, illæ de superioribus & diuinis. Anima nempe humana in quodam medio condita & posita est: vt sub ipsa esset mundus, supra ipsam Deus. Supra ipsam, à quo & ad quem & propter quem facta est: sub ipsa, quod propter ipsam factum est. Nam sicut propter animam corpus, sic propter corpus domus eius: id est, mundus. Cùm igitur incuruatur ad corporalia vel mundana, ascendunt in eam vmbræ de inferioribus: cùm erigitur ad diuina, inclinantur super eam vmbræ de superioribus. Illius enim rei quam cogitat, vmbram sibi format. Quanquam de diuinis satis dubia vmbra est, quantumcunque cogitationis exacuatur acies; aut certè non vmbra ipsius rei, sed aliud pro illa est, nisi cùm aspirat dies ille. Nam tunc quoque non videtur, vt arbitror, nisi vmbra, quæ & si luminosa, & si gloriosa est, tamen vmbra est: sicut cùm in facie speculi tersa & lucida, splendidissimæ rei splendens imago resultat. Cæterum videre faciem veritatis ipsius, vel veritatem faciei eius, sicut nũquam erit huius corporis: ita nec modò est huius temporis, nec aliquando erit, donec corpus dissoluet mortalitas; aut absolues immortalitas; & tempus absorbebis æternitas: & spiritum qui nunc grauatur corpore & mutatur tempore, subleuabit ad se; & firmabit in se immortalis & immutabilis diuinitas.

Vmbræ intra nos duplices: Aliæ obscurant, aliæ illuminant.

Anima humana in medio quodam constituta: nam supra ipsam DEVS, infra mundus.

4. Initium huius gratiæ, & perfectionem illius gloriæ, Paulus satis propriè distinguebat, cùm dicebat a: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Vt autem & hoc ipsum fiat, scilicet vt videamus per speculum & in ænigmate, opus est non solùm vt facies speculi nostri ab omni phantasmate & vmbra corporalium tersa sit: sed etiam vt ille sublimis, habitãs lucem inaccessibilem, dignetur ad nos inclinari, & vel per vmbram suæ imaginis manifestari. Quãtumcunq; enim contendamus à visibilibus ad inuisibilia, nihil nostra apprehendet humilitas, nisi condescendat illa maiestas. Moyses ascendit in montem[b], & Dominus inclinauit cœlos & descendit. Et alius[c], *Exurge*, inquit, *in occursum meum & vide.* Ideo nec vmbra videtur, nisi inclinetur: nec inclinari dicitur, nisi aspirante die: quia neque per speculum & in ænigmate possumus Deum videre, nisi inclinante se maiestate, & aspirante fauore gratiæ. Sanè hoc ipsum quod vmbra vocatur, comparatione manifestæ veritatis, ineffabilis plerumque gloriæ est & splendoris, in illis scilicet quorum est perlucidum speculum mentis. Cuius felicis experientiæ Paulus sibi conscius, de se sibique similibus loquebatur[d], *Nos verò omnes gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* Sic enim in promissione dictum est e: *Implebit splendoribus animam tuam.* Vt autem claritates istas vmbras esse noueris, audi David: *Dies mei*, inquit[f], *sicut vmbra declinauerunt.* Transibat quidem & ipse Dauid de claritate in claritatem, tanquam de die in diem. Sed heu, tam breues & obscuros dies, tam longas & laboriosas noctes habet hyems ista, vt & Propheta laborans in gemitu suo, lauansque per singulas noctes lectum lachrymis, meritò plangas: *Dies mei sicut vmbra declinauerunt.* Prorsus *melior est dies vna in atriis tuis super millia* dierum meorum, quia dies mei sicut vmbra quamuis lucida: dies illa vna, lux vera & mera: sicut sine vmbra, sic sine vespera: cùm dies meos faciat plurimos & breuissimos assidua longarum noctium interpolatio.

a 1. Cor. 13. d

Ad videndum DEVM etiam per speculum & in ænigmate quid requiratur.

b Exod. 19. d

c Psal. 58. a

d 2. Cor. 3. d

e Esa. 58. d

f Psal. 101. b

Vmbræ lucidæ quam breues.

5. Cæterum si quæratur cur vmbræ pluraliter dictæ sint, cùm res ipsa cuius vmbræ sunt, vna sit; ideò nimirum, quia nunc minus nunc amplius nobis Altissimi virtus obumbrat: nunc obscurius, nunc manifestius veritas sese nobis innotescens adumbrat: & sicut non æqualiter semper spirat, ita nec similiter semper nobis imagines format. Hoc & Apostolus innuit g qui transire se confitetur à claritate in claritatem, à minore, scilicet in maiorem: & Prophetа h qui non splendore sed splendoribus implendam promittit fidelem animam. Sic Iacobus Deum memorat patrem luminum i, cùm lumen cuius pater est & vnum sit & vnicum. Quanquam sic possit intelligi pater luminum, quomodo pater misericordiarum.

g 2. Cor. 3. d

h Esa. 58. d

i Iacob. 1. c

6. Iam verò vos, Fratres, qui laboratis portantes pondus diei & æstus, vel secundum Esaiam k, in spiritu vestro duro meditamini per diem æstus, ad vmbras istas placet inuitare; quas ille dies serenus aspirans rorem misericordiæ cupit æstuantibus inclinare. Audite ipsum diem, ad vmbrarum refrigeria clementer vos inuitantem l: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Seruus enim sub sole laborans, vt ait Iob m, desiderat vmbram, in qua scilicet à labore recreetur ad laborem, vel per horam dimidiam qua silentium fit in cœlo: quam cùm obtinuerit indulgentiâ Prioris sui, gloriatur & dicit n, *Sub vmbra illius quam desiderabam, sedi.* In qua nimirum vmbra, quia non sola sessio est ad quietem, sed etiam refectio ad satietatem, congruè subdit: *Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Sic enim dictum est per Prophetam o, *Conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico, & germinabunt sicut vitis.* Seruus seu mercenarius quem sæpius hæc vmbra recrea-

k Esa. 27. b

l Matth. 11. d

m Iob. 7. a

n Cant. 2. a

o Osee. 14. b

recreauerit, longanimiter præstolabitur finem operis sui. Sic enim habes p, *Seruus desiderat vmbram, & mercenarius præstolatur finem operis sui.* In vmbra quidem non finis, sed pausatio. Finis enim erit operis remuneratio, cùm euacuatis omnibus vmbris, videbimus eum sicuti est: cui modò dicimus q, *In vmbra tua viuemus inter gentes*: inter Angelos nempe, non in vmbra, sed in luce manifesta.

p Iob. 7. a
q Thren. 4.

7. Hoc autem notandum, quod cùm vmbræ illæ de superioribus inclinantur supra nos, vmbræ istæ de inferioribus inclinantur infra nos. Cùm enim diuinis propinquamus, mundana superamus: & quatenus vel ad vmbram lucis accedimus, eatenus mortis vmbram euadimus. Lux enim & vita in cœlo, mors in inferno: vmbra autem mortis in hoc terreno & tenebroso loco. Cùm igitur spiritus altius nos eleuat inter terram & cœlum, non tangimus vmbra terrenorum: & licet nondum plena luce fruamur cœlorum, tamen vmbris illuminamur montium æternorum: vel certè montis illius vmbrosi & condensi, de quo venit Sanctus sanctorum. Mox tamen pondere nostro, in regionem vmbræ mortis reuoluimur, vbi & diutissimè sedere cogimur, donec visitatione orientis ex alto consolemur. Cogimur, inquam, & vtinam cogamur & non delectemur: vtinam quod patimur, necessitatis tantum sit, non etiam voluntatis aut voluptatis. Sed heu tam facilè, tam libenter proiicimus nos, & obdormiscimus sub graui vmbra iuniperi spinosæ & infructuosæ arboris, tam negligentes & securi torpescimus & immorimur curis & desideriis huius mundi. Propterea Leuiathan qui sub vmbra dormit r, cubile sibi, nisi præcaueamus, ponit in nobis: quia videlicet amicas sibi vmbras huius seculi inuenit in sensibus & affectibus nostris. Istæ siquidem vmbræ, teste Iob s, protegunt vmbram eius, quia nimirum curæ & desideria secularia quæ sunt in nobis, vmbram nobis abscondunt imminentis damnationis, vt eam non præuideamus, donec in ipsam impingamus.

Accessus ad vmbram lucis, est recessus ab vmbra mortis.
Curæ & desideria seculi sunt vmbræ mortis & perditionis.
r Iob. 40. c
s Ibidem.

8. Aspira ô dies dierum, obumbra supra caput nostrum in die belli, inclina super nos vmbras salutis & refrigerii: & inclinentur subtus nos vmbræ torporis & tædii, imò cæcitatis & mortis. Et licet contingant nos vmbræ de cogitatione terrenorum, non nos contegant tenebræ, id est, vmbræ crassiores de amore eorum: Sed semper respiramus in luminosum amorem tuum, ô Pater luminum, qui viuis & regnas per omnia secula seculorum Amen.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ,

SERMO I.

in offic. de Virgin.

Veni electa mea, & ponam in te thronum meum.

1. MVlti vocati, pauci verò electi. *Beati quos elegisti Domine, habitabunt in atriis tuis* a imò tu in eis habitabis, tu in eis regnabis, thronumque regni tui in eis collocabis. Sanè omnium beatorum beatissima est Maria, quæ de numero omnium electorum singulariter est electa & præelecta: quoniam elegit eam Dominus, elegit eam in habitationem sibi, dicens b, *Hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Habitauit in ea nouem mensibus, habitauit cum ea & sub ea, annis pluribus. Habitans in ea replebat eam singulari gratia charismatum, habitans cum ea pascebat eam incomparabili piorum suauitate morum, & diuinorum desiderabili sapientia sermonum. Nunc autem in ea & cum ea, sicut interminabili æuo, sic incomprehensibili modo habitans, satiat eam beatificantium gloria visionum foris quidem glorificatæ carnis formam exhibens, intus autem formam verbi glorificantis imprimens. O Maria *non vocaberis*, ait Dominus c, *vltra derelicta, & terra tua non vocabitur vltra desolata*, vt quia virgo, ideo sis infœcunda: Sed *vocaberis voluntas mea*, id est, dilectus filius meus in ea, *quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.* Habitabit enim iuuenis in virgine, & habitabit in te filius tuus, imò si magis placet, vt non recedamus à verbis Scripturæ, *habitabũt in te filii tui.*

a Psal. 64. a
Maria omniũ beatorum beatissima.
b Psal. 131. d
c Esa. 62. a

Quid hæretice caput erigis? Quid mysterium pietatis, ad occasionem perfidiæ rapis? Vnum quidem genuit, qui sicut vnicus est Patri in cœlis: ita vnicus est matri in terris. Neque enim sicut tu impie blasphemas, alios postea filios genuit: sed inuiolatum manet, sicut signaculum perpetuæ virginitatis in matre, ita sacramentum catholicæ vnitatis in prole. Ipsa tamen vnica virgo Mater, quæ se Patris Vnicum genuisse gloriatur, eundem vnicum suum in omnibus membris eius amplectitur, omniumque in quibus Christum suum formatum agnoscit, vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur. Eua vetus illa, non tam mater quàm nouerca, quæ filiis antè propinauit præiudicium mortis quàm initium lucis, dicta est quidem mater cunctorum viuentium d, sed conuicta est verius interfectrix viuentium, seu genitrix morientium: cùm suum generare nihil aliud sit, quàm mortem ingenerare. Et quia illa non potuit fideliter interpretari nomen suum, ista impleuit mysterium: quæ & ipsa sicut Ecclesia, cuius forma est, mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est vitæ, qua viuunt vniuersi: quam dum ex se genuit, nimirum omnes qui ex ea victuri fuerant, quodammodo regenerauit. Vnus generabatur, sed nos omnes regenerabamur: quia videlicet secundum rationem seminis, quo regeneratio fit, iam tunc in illo omnes eramus. Sicut enim in Adam fuimus ab initio propter semen carnalis generationis: sic in Christo ante initium, propter semen spiritalis regenerationis.

2. Maria vnicũ genuit filium Dei Patris vnigenitum.
Omnium quoque fidelium mater est.
d Gen. 3. d
Maria potiori compensat nomine Matrem viuentium, quam Eua.

3. Porro beata Mater illa Christi, quia se matrem Christianorum cognoscit ratione mysterii; curà quoque se matrem eis præstat & affectu pietatis. Neque enim durescit ad filios, quasi non sint sui, cuius viscera semel quidem fœta, sed nunquam effœta, nunquam desinunt fructum parturire pietatis. Benedictus siquidem fructus ventris tui, gratiarum te ô pia mater, inexhausta pietate reliquit; ex te quidem semel nascens, sed in te semper manens & affluens, & in horto concluso castitatis, fontem signatum charitatis semper abundare faciens: qui licet signatus sit, foras tamen deriuatur, & in plateis aquæ eius nobis diuiduntur. Licet namque fons charitatis proprius Ecclesiæ, incommunicabilis sit alienis, beneficium tamen eius impartire gaudet etiam inimicis. Denique si seruus Christi filiolos suos iterum atque iterum parturit d, cura atque desiderio pietatis, donec formetur in eis Christus; quantò magis ipsa Mater Christi? Et Paulus quidem genuit eos, verbum veritatis quo regenerati sunt prædicando: Maria autem longè diuinius atque sanctius Verbum ipsum generando. Laudo quidem in Paulo prædicationis mysterium, sed plus miror ac veneror in Maria generationis mysterium.

Non tantum mater nostra est ratione mysterii, sed & curã seu affectu pietatis.
d Gal. 4. c
Paulus parturit filios verbum prædicando, quantò magis Maria Verbum generando?

4. Vide autem si non & Filii Matrem videntur agnoscere, dictante vtique ipsis veluti quadam naturali pietate fidei, vt ad inuocationem nominis eius, primò vel maximè refugiant in omnibus necessitatibus & periculis, tanquam paruuli ad sinum matris. Vndè nimirum de his filiis puto non absurdè intelligi, quod per Prophetam promissum est ei e, *Habitabunt in te filii tui*: saluo duntaxat intellectu, quo de Ecclesia hæc prophetia principaliter accipitur. Et nunc siquidem habitamus in adiutorio Matris Altissimi, in protectione ipsius commoramus, tanquam sub vmbra alarum eius: & postmodum in consortio gloriæ ipsius, tanquam in sinu ipsius confouebimur. Tunc erit vox vna lætantium & congratulantium Matri f. *Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix.* Nullatenus autem credideris maioris esse felicitatis & gloriæ, habitare in sinu Abrahæ, quàm in sinu Mariæ, cùm thronum suum in ea posuerit Rex gloriæ.

Maria vt Mater à fidelibus agnoscitur.
e Esa. 62. b
f Psal. 86. b & Eccl. in off. B. V.

5. *Veni*, inquit, *electa mea, & ponam in te thronum meum.* Non poterat significantius, aut elegantius describi prærogatiua gloriæ eius, quàm vt thronus Dei regnantis esse diceretur. Nulli siquidem animæ tanta plenitudine, aut familiaritate copiam sui diuina maiestas videtur indulgere, sicut illi in qua specialiter præ cæteris residere delegerit. Discipulis quidem

Maria thronus Dei.

Dominus loquebatur, qui pauperes facti pauperem sequebantur g. *In regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes.* Alibi quoque promittit idem Agonotheta noster, de cœlo spectans & incitans decertantes. *Qui vicerit*, inquit h, *dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici & sedi in throno Patris mei.* Matri verò cuius longè differens est meritum, nihilominus differens promittit præmium. *Veni*, inquit, *electa mea & ponam in te thronum meum.* Parum est, inquit, vt iudicanti consedeas, nisi & ipsa mihi sedes fias: vt maiestatem regnantis eò felicius quò familiarius in te contineas, & specialius præ cæteris incomprehensibilem comprehendas. Continuisti paruulum in gremio: continebis immensum in animo. Fuisti diuersorium peregrinantis: eris palatiũ regnantis. Fuisti tabernaculum pugnaturi in mundo: eris solium triumphantis in cœlo. Fuisti thalamus Sponsi incarnati: eris thronus Regis coronati.

g Matt. 19. d

h Apoc. 3. d

B. Virgo primum fuit thalamus Sponsi incarnati, postea thronus Regis coronati.

6. O Fili Dei nihil tibi nihil in illo tuo displicuit hospitio: quod tam libenter repetis, tamq; affluenter remunerat tua dignatio. Nihil vtique in illo sordidum offendisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas: nihil ruinosum, quia nulla erat superbia, sed fundatissima humilitas: nihil obscurum, quia exclusa erat infidelitas: nihil angustum, quia diffusa erat charitas. Adornauerat thalamum Virgo prudentissima, te Regem Christum non solùm hospitem susceptura: sed & sponsum habitura. Adornauerat, inquam, multiplici decore virtutum & gloria, tantò fortasse locupletius, quantò interius totum erat i. Hunc ornatum mirabatur qui dicebat, *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbriis aureis, circumamicta varietate.* Et alius, *O quàm pulchra est casta generatio cum charitate* k. Domum tuam decet Domine huiusmodi sanctitudo & decor. Is decor te inuitauit, vt intrares: illexit, vt redires. Intrans benedictionis gratiã multiplicasti: sed rediens cumulasti. Cùm intrasti, homo natus es in ea: cùm sedisti, Deus glorificatus es in ea. Tunc tibi posuisti in ea sacrarium gratiæ: nunc autem thronum gloriæ.

i Psal. 44. a

k Sap. 4. a

7. Dicuntur quidem & sunt alii throni, quidam scilicet Spiritus diuini, præ aliis, vt putamus, subiectis ordinibus, Dei præsidentis maiestate pleni: quorum quæ sit prærogatiua Scriptura non exprimit, licet innuat ex vocabulo quod nonnulla sit. Sed & anima cuiuslibet iusti dicitur sedes sapientiæ. Quæ autem nunc est sedes sapientiæ, profectò tunc' erit & gloriæ. Sit igitur illud cœli palatium plenum sedibus & thronis, sedeatque Deus in omnibus, accommodans se & aptans cuiq; pro meritis. Non immeritò tamen creditur, sine iniuria vel inuidia cæterarum sedium quoddam esse speciale Regis solium excelsum & eleuatum super gloriam omnium, Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, vt nihil contempletur supra se Mater nisi Filium solũ; nihil miretur supra se Regina nisi Regem solum; nihil veneretur supra se Mediatrix nostra nisi Mediatorem solum: cui nos ipsa precibus suis conciliet, commendet, & repræsentet vnico Filio suo Iesu Christo, cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

Angelorum quidam etiam Throni Dei.

Sed his sublimior Maria.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ,

Sermo II.

Filiæ Hierusalem nunciate dilecto, quia amore langueo.

Cant. 5. c

1. VErba ista quæ à nobis hac nocte cantata sunt, qualiter ad Assumptionem beatæ Mariæ possint videri pertinere, volumus si placet cum vestra charitate tractare. Id autem eo genere sermonis faciendum videtur, quo non modò secularium, sed etiam Ecclesiasticarum auctores litteraturo nonnunquam vsi sunt: maxime in tractandis Canticis, vndè hæc sunt sumpta. Hoc namque genus sermonis, salua veritate quadam ampliori vtitur libertate, cùm videlicet sumpto themate causæ, vt beatus Hieronymus ait, non tam loquitur quæ tenera facta vel dicta sint, quam eiusmodi fuisse negotium ostendit, vt ea quæ dicuntur, & si facta vel dicta non fuerint, fieri tamen vel dici potuisse, aut etiam in affectu facientis, vel dicentia fuisse non absurdè credi possint. Maria igitur migratura à corpore decumbebat, vt est humana infirmitas. Porro filiæ Hierusalem quæ sursum est, id est angelicæ virtutes, scientes nimirum quia obsequiis matris captanda est gratia Filii, visitabant satis officiosè Dominam suam, Matrem Domini sui. Et fortasse aliquid huiusmodi primò post salutationis officia locuti sunt ei Angeli: sicut speciem humano vultus, ita sermonem humano nimirum conformantes affectui vel vsui.

NOTA Modum tractandi themata Ecclesiastica gratia Cantica Cant v. S Bern. Ser. 9. in Cant. init.

Obsequiis Matris captanda est gratia filii.

2. Quid est obsecro mi Domina, quod sic ægra videris & languida? Quid est quod præter solitum tristia & pigra, ab heri & nudiustertius sicut solebas non sancta remissis loca, quorum contemplatione amorem tuum pascebas? Iam per aliquot dies non vidimus te, aut rupem Caluariæ ascendentem, vt ibi locum crucis impleres lachrymis; aut ad sepulchrum Filii adorantem gloriam resurrectionis; aut in monte Oliueti deosculantem extrema vestigia ascendentis. Ob hoc ipsum siquidè creditur in valle Iosaphat commorata (vbi & sepulchrum eius monstratur, vt ait beatus Hieronymus) in Ecclesia miro lapidem fabricata tabulatu: ne scilicet à sanctis locis longius recederet, sed sæpius ea inuisens, licet omnia memoria teneret, formam tamen gestoturo velut corporaliter in ipsis effigiatam locis dulcius amplecteretur, vt vel sic suum aliquatenus amorem solaretur.

Maria in valle Iosaphat commorata, vt locis Sanctis esset vicinior.

3. Caussam itaque percunctantibus illis, cur ab his modò vacaret, & ex toto decumberet: langueo, inquit. Quare langues? Languor enim quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus mundi tam diu habitauit? De corpore illius Filii tui virtus exibat & sanabat omnes, adeò vt etiam fimbria vestimenti Hæmorrhoissam sanaret a; & tu quæ tamdiu ipsum in vtero, vllis infirmitati, aut languori, vel accessibilis esse potuisti? Non est, inquit, quod id miremini: si illud ipsum corpus Filii mei, quale aliquando fuerit recordemini. Et ipsum enim quam infirmum, quantisue defectibus subditum fuerit, voluntate tamen, ego noui, quæ ipsum in vtero alui, vberibus lactaui, sinu foui: nec solùs infantiæ, sed & sequentium defectus ætatum vidi, & eis vt potui ministraui: ad extremum non sine passione mea, ludibria & supplicia passionis & crucis aspexi, per singula discens quàm verè de eo noster Esaias dixerit b, *Vere languores nostros ipse tulit: & dolores nostros ipse portauit.* Cur * ego doleam non eum meo dedisse corpori, quod suo non dedit? Non sum ita delicata aut superba: vt quod ille dignatus est pati, ego quantulacunque ex parte, pati non possim aut nolim. Et ille quidem misericordi voluntate, ego naturali necessitate. Sanè aliud est sanitas, aliud est sanctitas. Sanctitatem dedit corpori meo, concepti sui corporis sacramento: sanitatem se daturum promisit, suscitati corporis exemplo. Denique vt minus miremini languorem meum: amore langueo: Langueo plus impatientia amoris: quàm passione doloris. Plus vulnerata charitate, quàm grauata infirmitate.

a Matt. 9. c

Mariã cum Angelis languore suo pulcrè sermocinantem inducit.

b Esa. 53.
* ergo.

4. Heu inquiunt illi; quàm frequentes imò continuæ causæ languoris! Bone Iesu quomodo hæc Mater tua postquã te genuit, nunquã ferè nisi in lãguore fuit! Primò languit timore, postea dolore, nunc amore. *Timor* à natiuitate vsque ad passionẽ; cùm semper vitam Filii insidiis appeti videret: *dolore*; toto tempore passionis, donec sedicium reciperet: nunc *amore* & desiderio felicius, sed mirabilius cruciatur, quia sedẽtem in cœlo nõ tenet. Quomodo Iesu bone qui summi fructus es gaudii, tam longi factus es illi causa martyrii, vt charissimã tibi ipsius animam, tot & tam acuti sine cessatione pertranseãt gladii! Sed obsecramus te Domina, quid vis faciamus tibi? Vis saltem vt resideas hic iste Gabriel symmistes tuus, vt assideat & ministret tibi, qui ab initio cõscius & minister mysterii tui, custos quoq; tui cubiculi meruit deputari? Non opus est, inquit. Sufficit mihi Virgo, rocus nouus in carne angel', Discipulũ dico quẽ diligebat Iesus, cuius me dilectionis hæredẽ reliquit. Cùm

Maria semper languit primo timore, deindè dolore, demum amore.

illum mihi & me illi in cruce commendauit: cuius obsequio nihil mihi gratius, quia conuersatione & affectu nihil castius, moribus nihil suauius, nihil syncerius fide, nihil sanctius sermone. Nos ergò, aiunt illi, in quo tibi esse poterimus officiosi? *Filiæ*, inquit, *Hierusalem, nunciate dilecto, quia amore langueo*. Ipse nouit quomodo meo medendum sit languori.

5\. NOTA Dulcissimum inter Mariam & Angelos colloquium, in quo quid magis mitet nescio: an ingenium sermonis, an vim & dulcedinē amoris. Osculum oris Filii sui petit Virgo Maria.

At nosti, inquiunt, quia cùm sciat omnia, de multis quasi nescius interrogat. Si ergo quæsierit, quid illud sit quod tuo vulneri velis adhiberi, quid respõdebimus ei? Sodales, inquit, estis sponsi, Gabriel iste meus paranymphus; non puto vobis esse celandum amoris mysterium. Dicam igitur tantùm ne iudicet temeraria, quòd maiora me quærere videar. *Osculetur me osculo oris sui*. Si quid mihi cõscia essem, cõtenta essem cum Maria Magdalene osculo pedum, vbi indulgentiæ sumitur delictorum. Sed quia in omni vita mea non me reprehendit cor meum, non puto me arroganter flagitare de osculo oris, gratiam gaudiorum. Cur autem arrogans videar, si illud os mihi reposco, quod de me sibi formauit ipse conditus & conditor? Cùm paruulum tenebam inter brachia, quotiens osculari speciosum forma præ filiis hominum mihi libebat, satis licebat: nunquam faciem auertebat, nunquam matrem repellebat. Et si fortassis impatientia desiderii eram nimia: ipse tamen more suo, morem matri gerebat. Gaudebat eã replere gratia, quæ diffusa erat in labiis eius, & dulcedine qua totus erat plenus, totus concupiscentia & desiderium, castarum scilicet animarum. Vndè sicut ipse de se confitetur[c], *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient*: quantò gratiam oris illius gustaui suauius, tantò nimirum repeto nunc ardentius. Creuit quidem gloria & maiestate: sed nihil ab illa ingenita mutatus est mansuetudine & bonitate. Nihil ad illum illud superbiæ secularis elogium: *Honores mutant mores*. Sublimior est, sed non superbior: Gloriosior, sed non dedignantior. Non fastidiet matrē quam elegit, nec æternam electionem suam nouo iudicio reprobabit.

c Eccli. 24. e

6\. Gabrielis Archang. allocutio.

Ne timeas Maria, ait Gabriel more suo: inuenisti enim gratiam apud Deum. Etiam in ceteris qui longè iacent tuis sub vestigiis, probare consueuit improbitatem hui⁹ affectus & precis: qui nihil nimium, aut iniuriosum sibi deputat, quod in eum vera duntaxat charitas præsumat. Et conuersus ad sociam multitudinem, eamus, inquit, eamus ne ipsi Filio facere videamur iniuriam, si gloriam Matris differamus. Cùm ergo reuersi nunciassent hæc Domino suo, quid putamus Iesum nisi tale aliquid locutum.

7\. Christ⁹ annuens & respondens voto Matris.

Ego sum qui patrem & matrem filiis honorandos commendaui, ego vt facerem quod docui, & exemplo essem aliis, vt patrem honorarem, in terram descendi: nihilominus vt matrem honorarem, in cœlum reascendi. Ascendi & præparaui ei locum, thronum gloriæ: vt à dextris regis regina coronata consedeat in vestitu deaurato, circundata varietate. Neque hoc dico quod in parte thronus ei collocetur: quin potius ipsa erit thronus meus. Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum. In te mihi quandam regni sedem constituam, de te iudicia decernam, per te preces exaudiam. Nullus mihi plus ministrauit in humilitate mea. *Communicasti* mihi præter alia quod homo sum: communicabo tibi quod Deus sum. Flagitabas osculum oris, quinimò tota de toto osculaberis. Non imprimam labia labiis, sed spiritum spiritui osculo perpetuo & indissolubili: Quia concupiui speciem tuam, etiam desiderantius quàm tu meam, nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu conglorificeris.

Gloria tibi Domine Iesu, subintulit chorus Angelorum. Gloria tibi Domine Iesu, ingeminet cœtus fidelium. Glorificatio Matris tibi proficiat ad gloriam, nobis ad veniam: te præstante cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ SERMO III.

In omnibus requiem quæsiui. Eccli. 24. a 1.

GRate quies fessis, gratè igitur & opportunè vobis qui fessi estis dies iste quietis & feriationis interuenit, vt dum sanctæ DEI Genitricis requiem celebramus, non solùm corpora recreentur hac diurna quiete à labore messis*, sed etiam corda respirent in recordationem & amorem illius æternæ quietis. Et ibi tamen ò Fratres, ibi etiam metetis, sed requiem metetis qui nunc laborem huius messis seminatis: fructus huius laboris, illa requies erit: requies à labore, merces pro labore, cui⁹ etiam recordatio fideles vires reparat in labore. Vmbra est æstuantibus, cibus esurientibus. Sic enim ait illa, quę memoriam abundantiæ suauitatis eius eructabat: *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo*. O qui laboratis, ò qui portatis pondus diei & æstus, sub vmbra alarum Iesu inuenietis requiem animabus vestris, firmamentum, (vt scriptum est,) virtutis, tegimen ardoris, vmbraculum meridiani: vt ex sententia cordis sit illa confessio oris[b]: *Domine Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli*, in die æstus & laboris, certaminis & tentationis. Cùm enim meditatio æternæ requiei capitibus laborantium obumbrat, non solùm ab æstu tentationũ refrigerat, sed etiam ad laborem animos innouat: iuxta illud quod scriptum est de asino fortis Issachar. *Vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima, & supposuit humerum ad portandum*: id est, desiderio illius quietis & hæreditatis sponte humiliauit se ad laborandum. Et iste ergò dicere potuit, *In omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor*.

a NOTA ubiter olim rusticos labores ab ipsis Religiosis susceptos; cuius etiam vestigia non raro extant in Scriptis. S Bern. a Cant. h. a

b Psal. 139. a

Laborantium & æstuãtium solatium.

c Gen. 49. b

2\. Requies beata semper quærenda.

Felix qui in omnibus laboribus & viis suis requiem quærit beatam: semper festinans ingredi, vt Apostolus monet,[d] *in illam requiem*, eius desiderio corpus affligẽs, animum autem iam illi requiei parans & componens: cum omnibus hominibus, quòd ex ipso est, pacem habens; requiem & otium Mariæ voluntate præeligens: laborem autem & negotium Marthæ necessitate quidē suscipiens: sed quanta præualet pace & quiete spiritus eadimplens, & semper ad illud vnum necessarium de illa multiplici distractione sese recolligẽs. Homo huiusmodi etiam cùm laborat, quiescit: sicut è diuerso impius etiam cùm quiescit, laborat. Quomodo enim quiescerent, quibus Deus immittit rotam malorum: quibus iurauit in ira sua si introibunt in requiem meam e? Extra illam non est nisi afflictio & miseria, & in circuitu eius tẽpestas valida: Sicut & in natura rerũ fit, vt quicquid extra simplicitatem & vnitatem puncti fuerit, in motu & agitatione sit: tantoq; concitatiore quilibet circulus impetu rotetur, quantò ab immobilitate principii sui, id est, à medietate centri recesserit longius. Sanè *in circuitu impii ambulant*, [f] quibus Deus immittit rotã malorum, ideoq; in illam internam & æternam requiē intrare non possunt. Ideò *contritio & infelicitas in viis eorum, quia viam pacis non cognouerunt* [g]: quie nec quæsierunt, vt dicere possint, *in omnibus requiem quæsiui*: vt videlicet in multiplicitate actuum suorum quibus turbantur, & turbant, vnum quod est necessarium, cogitent aut requirant. Iustorum potius est vox illa, qui & dicere possunt[h]. *Vnam petii à Domino hanc requiram*: Vultum tuum Domine quæsiui, vultum tuum requiram: qui non nisi quietis illius amore laborant, qui omninò præoptant ingredi putredinem in ossibus suis, vt requiescant in die tribulationis, quàm in bonis ducere dies suos, & in puncto ad infernum descendere.

d Heb. 4.

Homini pio etiam in labore quies est, ut impio etiã in quiete & otio labor. e Isa. 9a b. Simile.

f Psal. 11. b

g Psal. 13 a

h Psal. 26 b

Si quis tamen curiosius inquirere velit, cuius potissimum vox illa sit, *In omnibus requiem quæsiui*: vox est vtique Sapientię, vox est Ecclesiæ, vox est Mariæ, vox est cuiuslibet sapientis animæ. *Sapientia* in omnibus requiem quæsiuit, sed in solis humilibus inuenit: *Ecclesia* in omnibus mundi nationibus requiem quęsiuit, sed in solis credentibus inuenit. *Maria* sicut & quęlibet fidelis anima, in omnibus actionibus suis requiem

3\. Quorum sit illa vox in omnibus req. quæsiui.

[Maria sicut & qualibet fidelis anima non inuenit req. nisi post labores & dolores.]

quæsiuit, sed hodie demum inuenit, cùm post persecutionem Herodis, & fugam Ægypti, post tot insidias & atrocitates Iudaicæ impietatis, post tot passiones suas, de passione & morte Filii: postquam tot & tam acerbi ipsi animam pertransierunt gladii, tandem hodie dicere datum est ei i: *Conuertere anima in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* [i Psal. 114. b] Qui creauit me, creatus ex me, requieuit in tabernaculo corporis mei, negare non poterit mihi requiem cœli sui. Qui enim gratiam vltrò cumulat aliis, pro parte quomodo non referet matri? [Requies à B. Maria quæsita, quanto ei iure adoptat.] Perge Maria, perge secura in nobis Filii tui; fiducialiter age tanquam Regina, Mater Regis & sponsa. Requiem quærebas, sed amplioris gloriæ est, quod tibi debetur, regnũ & potestas: Indiuisum habere tecum cupit imperium, cui tecũ in carne vna, & vno spiritu indiuisum fuit pietatis & vnitatis mysterium: dum scilicet saluo honore naturæ, geminato munere gratiæ, iuncta est mater in matrimonium. Requiesce igitur, ô felix, inter brachia Sponsi, replicabit tibi (ni fallor) inter amplexus & oscula, quàm suauiter requieuerit in tabernaculo corporis tui, quàm suauis in cubiculo cordis tui. Non est iniustus Deus, ô Fratres, vt obliuiscatur operis boni, viuit semper apud eum memoria beneficii semel accepti. Beatus apud quem Deus vel semel requiem inuenerit, in cuius tabernaculo vel hora vna requieuerit.

4. Ecce nunc quoque Sapientia clamitat in plateis, *In omnibus requiem quæsiui*, pulsaui, nec fuit qui aperiret: vocaui, nec fuit qui responderet. Filius hominis factus secundum Prophetam k, *velut vir vagus, & quasi viator declinans ad manendum*, [k Ierem 14. b] [Sapientia Dei requiẽ quærit in cordibus hominum.] non habet vbi reclinet caput suum, foris stat plenus caput rore, & cincinnos guttis noctium. Quis ille in nobis tam humanus atque hospitalis, vt surgat & aperiat ei, & inducat in cubiculum suum, aut certè ostendat ei cœnaculum grande stratum, vbi cum discipulis pascha manducet nouum? Hoc enim dico, Fratres, nisi requiem quam quærit inuenerit apud nos, nec nos optatam requiem inueniemus in illo. Ait quidem Dominus per Prophetam l. *Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium.* [l Esa. 28. c] Beatus *qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala m* potabit ei Dominus, vicissitudine debita, requiem & refrigerium. [m Psal 40. a] Si ergò humanitatem membris suis exhibitam Deus imputat sibi, quantò magis quod ipsius sit spiritui, cum gratiarum actione recolet, hospes, inquiens, fui & suscepistis me? Nunquid enim multorum paupertas sanctorum, quæ vagos colligere, esurientes pascere non sufficit, Domino qui magis apud pauperes hospitari cõsueuit, inhumana & inhospitalis erit? [Sed ad humiles amat diuertere] *Super quem autem requiescam*, inquit n, *nisi super humilem & quietum & trementem verba mea?* [n Esa. 66. a] O humilitas angusta tibi, ampla diuinitati; pauper & insufficiens tibi, sufficiẽs ei quem non capit orbis: copiosè ac delitiosè reficiens illum, qui & Angelos pascit. *Super quem*, inquit, *requiescam nisi super humilem?* In omnibus requiem quæsiui: sed apud humilem ancillã inueni. Non est inuenta similis illi in gratia humilitatis: ideò in plenitudine humilitatis requieuit etiã corporaliter omnis plenitudo diuinitatis. Quanquam aliter requieuerit in Filio, quia & si mater humillima, longè tamen filius humilior. Idcirco Spiritus septiformis non solùm super ipsum requieuit: sed etiam omnibus qui mites & humiles ab eo esse didicerunt, diuersas in eo fœlicissimæ quietis mansiones præparauit, [Christus reclinatorium nostrum.] imò totum ipsum quoddam aureum fecit reclinatorium ad quiescendum. Huius nimirum reclinatorii beatissimam requiem visus est quadam specie prælibasse, qui supra pectus eius meruit in cœna recumbere.

5. Sed adhuc libet intueri: quàm plenum rationis & cõgruentiæ sit quod ait, *Super quem requiescam, nisi super humilem & quietum?* [° Esa. 66. a] Quomodo namq; super inquietum aliquid quiesceret, quomodo super basem, quæ nutaret aut vacillaret, columna immobilis staret? Quis autem nisi humilis, quietus esse potest? [Nemo quietus, nisi humilis.] Quis nisi humilis in pace quieti & modesti spiritus, seipsum possidere potest? Impium proiicit ventus à facie terræ o, circũfertur q; omni vento doctrinæ. [o Psal. 1. b] [p Esa. 57. d] *Impius*, inquit Propheta p, *quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Feruet ira, æstuat auaritia, intumescit superbia: seipsum iugiter pugna quatit intestina, ac seditione collidit domestica. Vt ergo requiescat in vobis, ô Fratres mei, amator ille largitorq; quietis: date operam iuxta consilium Apostoli q, vt quieti sitis. [q 1. Thess. 4. c] Quonam modo istud erit? Dico, inquit, vobis: Vt vestrum negotium agatis, & operemini manibus vestris. [Quietos esse oportet in quibus Deus quiescere velit.] Opus est onus quo velut pondus nauibus, ita quies & grauitas inquietis additur cordibus: sed exterioris hominis fundatur atque componitur status. Magnorum initium malorum est, sicut legistis r, mulier vaga, quietis impatiens, nec valens consistere in domo pedibus suis: nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians. [r Prou. 7. b] [Inquietudo animi plurium malorũ causa.] Nec sine causa est quod Magister gentium hoc inquietudinis malum sic habet suspectum: vt non solùm correptione, sed etiam separatione censeat illud persequendum. *Rogamus*, inquit s, *vos fratres, corripite inquietos.* [s 1. Thess. 5. a] Et item in secunda ad eosdem Thessal. inter alia quæ super inquietos velut è cœlis tonabat: *audiuimus*, inquit t, *inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. His qui eiusmodi sunt denunciamus, vt cum silentio operantes, suum panem manducent. Quòd si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate: & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* [t 2. Thess. 3. c] [S. Apost. Paulus grauiter corripit inquietos.]

6. Si quis fortè, (quod absit.) eiusmodi inuenitur inter vos, pulchrius & honestius, antequam iam grauiter & publicè notetur, vltrò confundetur: inde scilicet, quia notabilis est, & dissimulatur: reprehensibilis, & toleratur. Sic autem eru fundatur, vt confusione corrigatur, correptione lætetur, ædificetq; non modò nos, sed spiritum Dei: qui cùm dicat, *In omnibus requiem quæsiui*, non inuenit eam nisi in quietis, nec præstat nisi quietis. Vnde & inquietos per Prophetam reuocat & compescit u: *si reuertamini, & quiescatis, salui eritis.* [u Isa. 30. d] Omnes ergo pariter sic operam demus, vt quieti simus, vt in quiete nostra semper in meditatione æternæ quietis occupemur: ac desiderio illius ad omnem parati laborem inueniamur. Hoc nobis impetret beata Dei genitrix, cuius requiem celebramus, ab eo qui requieuit in tabernaculo corporis & cordis eius. Ipse est requies æterna Christus Iesus: cui est honor, & gloria per omnia secula seculorum. Amen.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ
SERMO IV.
Maria optimam partem elegit.

HOc de Maria sorore Marthæ scriptũ est: sed in Maria matre Domini hodie plenius & sanctius impletum est. [Luca. 10. g s.] Hodie namq; beata virgo Maria optimam partẽ elegit, imò quã dudũ elegerat, hodie perpetuò possidendã accepit: vt scilicet inseparabiliter adhæreat Domino, perenniterq; fruatur Dei verbo. Nec alienum aut incõgruum, si quod de illa Maria dictũ est, in istã transsumatur: cùm ad cõuenientiam transformationis, similitudo non solùm nominis, sed etiam operis suffragetur. Illa siquidem Dominum hospitio tecti, hæc thalamo suscepit vteri. *Et qui creauit me*, inquit a, *requieuit in tabernaculo meo.* [a Eccli. 24. a] Illa *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius* b: hæc sedula circa curam humanitatis eius, conseruabat omnia verba quæ de illo erant, conferẽs in corde suo c. [b Luc. 10. g] [c Luc. 2. a] Sed & cùm euangelizans circumiret Iesus ciuitates & castella, Maria comes indiuidua vestigiis eius adhærebat, pendebatque ex ore docentis: adeò, vt nec procella persecutionis, nec horrore supplicii à consectatu Filii & Magistri potuerit absterreri. *Stabat*, inquit d, *iuxta crucem Iesu Maria mater eius.* [d Ioan. 19. a] Planè mater, quæ nec in terrore mortis filium deserebat. Quomodo enim morte terreri poterat, cuius charitas fortis vt mors, imò fortior quàm mors erat? Planè iuxta crucem Iesu stabat, cuius mentem dolor crucis simul crucifigebat, suamque ipsius animam tam multiplex pertransibat gladius, quantis confossum corpus Filii cernebat vulneribus. Meritò igitur ibi mater agnita est, & cura ipsius, idoneo tutori delegata est e, vbi maximè [e Ioan. 19. e]

Christus cui Matrem in Cruce potius quam alias agnouisse videatur.

probata est & Matris ad filium syncera charitas, & filii de Matre vera humanitas. Nam aliàs velut dissimulasse A
Matrem visus est: siue cùm in nuptiis flagitanti miraculum ait, [f] *quid mihi & tibi mulier*, siue cùm in mediis sermonibus Euangelii dicenti cuidam g, *ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te: quæ est*, inquit, *mater mea?*

* f Ioan. 2. a
g Matth. 12 d

Sed & Matri cùm miraculum posceret, sic respondendum erat, vt aliundè quàm à Matre se miracula habere significaret: & illi qui sermonem Euangelii parentes annunciando interrumpebat, melius respondere non poterat, vt videlicet spiritalia carnalibus præferenda mõstraret. Ac si more suo diceret parentibus, occupatum in negotio Euangelii quærentibus h: *Quid est quod me quæritis? Nescitis, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse?*

h Luc. 2. g

2\.
Christus non aspernatus est Matrem. Christus charitatis ordinẽ exemplo nos docuit.

Absit enim vt matrem aspernatus sit, qui tanta curà de parentibus honorandis legem dedit. Absit inquam, vt in terra fastidierit matrem: cuius è cœlo concupiuit decorem. Imò potius ordinabat in nobis charitatem, tam verbis quam exemplis nobiscum agẽs, vt carnalium affectibus necessitudinum, non solùm Dei præponamus dilectionem: sed etiam eorum qui Dei faciunt voluntatem. Ille siquidem affectus de cordibus exigitur omniũ B
nostrûm, quos summi Patris adoptauit dignatio: quo fideliter dicamus cum ipsius Vnigenito i: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Prorsus filiis Dei competit vox ista, nec vllum fidelius testimonium reddit ipse Spiritus spiritui nostro quod sumus filii DEI: quam vt sonet de cordibus nostris hæc vox Vnigeniti DEI. Itaque Mariã quæ secundum carnem Mater erat, alia quoque ratione matrem sibi Iesus probat: quandoquidem & ipsa voluntatem Patris in tantum faciebat, vt de ipsa prædiceret Pater K. *vocaberis voluntas mea in ea.* Igitur vbi eam visus est ignorasse Filius, ibi amplius honorasse inuenitur: cum ei scilicet materni nominis honor duplicauit, pro eo quòd eundem Filium quem aluo gestauerat incarnatum, etiam nunc animo gestabat inspiratum.

i Matth. 12 d

Maria duplici titulo mater Christi

K Esa. 62. b

3\.
Christus velut testamento suo duobus prædilectis discip. dedit carissima sua. Petro Ecclesiam, Ioanni Mariam.

Cæterum cùm dilexisset eam Iesus, in finem dilexit eam, vt non solùm propter ipsam finem viueodi, verùm & in ipsam finem penè faceret loquendi: dum velut inter vltima verba testamenti curam Matris, cuius debitorem se cognoscebat, charissimo transcribit hæredi. Sic C
quippe inter Petrum qui plus diligebat, & Ioannem qui plus diligebatur, hæreditatem suam Christus diuisit: vt Petrus sortiretur Ecclesiam, Ioannes Mariam. Huic planè competebat hæc portio non solùm iure propinquitatis, sed etiam amoris priuilegio testimonioque pudoris. Decebat namque vt non nisi Virgo Virgini deseruiret, quatenus & virgo beata diuino languens præ amore, floribus fulciretur castitatis: & virginitas adolescẽtis id interim perciperet remunerationis, vt de contubernio proficeret tantæ sanctuaris. Qui etiã quia fidelis probatus est in obsequio incorruptæ matris: mysteria quoque diuinitatis, & arcana Verbi incorruptibilis sibi credi promeruit. Decebat, inquam, vt Matri Domini non alius obsequeretur quàm Dilectus Filii, quatenus & Mater semper suspirans Filium in Dilectum Filii suauius respiraret: & Discipulus Magistrum sibi conquerens nimis cito subtractum, magistram totius veritatis se reperisse gauderet. Idque satis commodè prouisum, vt scripturus Euangelium familiarius de singulis conferret cum ea, quæ conscia erat omnium: quippe quæ ab initio omnia Filii sui diligentius obseruauerat, conseruans omnia D
verba quæ de illo erant, cõferens in corde suo l. Sic nempe se Martham exhibuit in cura pueri nutriendi: vt nihilominus Mariæ partes executa credatur, in studio verbi cognoscendi.

NOTA
Cur Ioanni commendata Maria.

Ioannes scripturus Euangel. cum Maria contulit
l Luc. 2. e

4\.

Maximè tamen postquam idem Filius ascendit vbi erat prius, Mater absoluta omni sollicitudine temporali, sanctoque Spiritu (quem præter singulares illas conceptus sui primitias, communiter cum Apostolis acceperat) plenius illuminata, gaudebat nimirum vacare & videre quoniam Iesus est Deus. Visio prorsus ineffabilis gaudii, summæq; delectationis omnibus qui diligunt

Iesum: sed præ omnibus illi quæ genuit Iesum. Cui sicut singulariter excepta est gratia Deum generandi: sic A
& prærogatiua gloriandi in eo quem genuit. Omnino singularis atque incomparabilis gloria Virginis matris videre Deum regem omnium in diademate carnis, qua coronauit eum, vt & Deum agnoscat & adoret in corpore proprio, & corpus proprium glorificatum videat in Deo. Hiriotenim, vt opinor contemplationibus pascebatur Maria, hanc optimam partem elegerat: quæ non ablata, sed perfecta est hodie in ea. Quia enim negligens aut segnis non extitit in opere Marthæ, nequaquam vacua derelicta est à fructu Mariæ. Labor in actione, fructus seu merces in contemplatione. *Propterea*, inquit [m], *quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur.*

m Esa. 53. c

5\.
Mariæ opt. partem optãtibus non negligenda pars Marthæ

Vobis hæc dicimus, Fratres, vt si quis desiderio tangitur illius optimæ partis, quæ in Maria laudatur, sciat quia hæc præmium est illius, quę in Martha non improbatur: nec æquum est vt præmium ante meritum requiratur. Iacob prius oportet iungi Liæ quàm fruatur amplexibus Rachel n: sed & ipsum prius vocari & esse Iacob, quàm Israël. *Rectorem*, inquit o *te posuerunt, curam* B
illorum habe, & sic considera, & omni cura tua explicita recumbe, vt læteris propter illos: & ornamentum gratiæ accipias coronam. Labor siquidem operis, seu sollicitudo administrationis, semina sunt iustitiæ: pro quibus gaudia metenda sunt ex ore consolantis misericordiæ. Sic enim ait Propheta p, *Seminate vobis in iustitia, metite in ore misericordiæ.* At enim q, *Qui parcè seminat, parcè & metet. Et qui seminat in benedictione, de benedictionibus & metet.* Nullus sanè tam profusa benedictione seminauit: sicut illa benedicta in mulieribus; quæ benedictum semen de ventre profudit. Sed semen dicam an fructum? Melius vtrumque. Qui enim semen est operantibus iustitiam; fructus erit merentibus gloriam. Semen in passione: fructus in resurrectione. *Potens in terra semen* istud r, quod cadens in terram mox excitauit potentiam suam, vt multum fructum afferret: & in semine illo benedicerentur omnes gentes. Vndè & ibi sequitur s, *generatio rectorum benedicetur.*

n Gen. 29 e
o Eccl. 32. a

Labor semen iustitiæ.

p Osee 10. e
q. 2. Cor. 9 b

Christus semen & fructus, quo modo.

r Psal. 111. a

s Ibid.

6\.

De benedictionibus suis itaque Maria metat: & quæ benedictionem omnium gentium seminauit, benedictionem omnium gentium singulariter accipiat. *Beatam me dicent*, inquit t, *omnes generationes.* Parum est hoc. C
Beatam te dicent omnes beatorum Spirituum ordines. *Viderunt* hodie ascendentem *filiæ Sion* cœlestis, & *beatam dixerunt, & reginæ laudauerunt eam* u. Prorsus de benedictionibus suis hodie Maria metit, quia refusa est spiritaliter in eam omnimoda benedictio illa, quam de se profudit. Date ei, inquit Spiritus sanctus, de fructu ventris sui: & saturetur illo quem genuit. O Mater misericordiæ saturare gloria Filii tui: & dimitte reliquias tuas paruulis tuis. Tu iam ad mensam domina, nos sub mensa catelli. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita familia hæc famelica de te præstolatur alimoniam vitæ. Per te fructum vitæ communicauimus in mensa præsentium sacramentorum, per te eundem fructum vitæ communicemus in mensa perennium gaudiorum, Iesum benedictum fructum ventris tui: cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum, Amen.

t Luc. 1. e

u Cant 6 c

Suspirium ad B. Virg.

IN NATIVITATE S. MARIÆ, SERMO I. D

Eccl. 24 c

Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.

1\.

NAtalem beatissimæ Virginis matris celebramus, de qua vita omnium accepit natalem. Nata est hodie Virgo de qua salus omnium voluit nasci: vt natis ad mortem, daret ad vitam posse renasci. Nata est hodie Mater noua, quæ primæ Matris maledictionem dissoluit: vt per istam benedictionem hæreditate possideant, qui per illam sub præiudicio maledicti æterni fuerãt nati. Prorsus noua mater quæ nouitatem attulit filiis inueteratis, vitiumque sanauit, tam ingenitæ quàm superadditæ

Solemnitatis hodiernæ magnalia elegãter expendit.

vetustatis. Prorsus noua mater quæ tam nouo miraculo parit, vt pariat & virgo sit: ipsumque pariat qui omnia matremque ipsam inter omnia creauit. Mirabilis quidē nouitas fœcundę virginitatis, sed longè mirabilior nouitas editæ prolis. Nulli enim incredibile iam erat Virginem permansisse quæ peperit, qui Deum agnouerit esse qui natus fuit. Nullatenus siquidem cùm iniuriâ maternæ nasceretur integritatis, qui etiam corrupta redintegrare consueuit: nec veritas assumpti corporis, potentiæ præiudicauit Creatoris, quo minus seruaret sibi, quod pluribus dedit creaturis. Multas nempe creaturas inuenies nasci sine corruptione gignentium, & quadam voce sua Creatori super inuiolabili partu suo perhibere testimonium.

Creaturæ quædam nascuntur sine corruptione gignentium.

2. Sed loquatur Mater ipsa quæ sui conscia est mysterii, & nos edoceat, quomodo vel quid ipsa genuerit. Loquatur autem non nouæ assertionis argumento, sed antiquo prophetiæ oraculo: quia, vt ait Petrus Apostolus a, etiam *miraculis firmior* testis est *propheticus sermo*. Quid enim minus patet calumniæ, aut suspitionem admittit falsitatis, quàm testimonium diuinitus de nondum natis prolatum? Longè igitur antequam nasceretur Maria, B vocem ipsius assumebat Spiritus, qui in ea futurus erat: & tam diuinitatem filii, quàm integritatem Matris, opus videlicet suum contra blasphemias impiorum defendebat, & in persona ipsius (si modò communem intellectum sequimur) quod nunc audistis dicebat[b]: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris*. Quod enim personę Sapientiæ, id est, ipsius Filii tribuit hæc verba contextus lectionis, sicut ipsi scitis, qui regulas nostis Scripturarum, nihil huic præiudicat intellectui, quò minus sicut alia multa, possint aptari personæ quoque virginis Matris. Sed neque illud ignoratis quod satis superque supperant alia testimonia, familiarius ac manifestius huic negocio seruientia: sed non erit fraudanda expectatio vestra, de his quæ lectio proposuit hodierna.

a 2. Pet. 1, d

b Eccli. 24. e

3. Respondeat ergò Maria blasphemis tam pro se quam pro Filio, cunctasque hæreses solo interimat verbo, & dicat: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris*. Ac si apertè dicat: Partus quidem meus non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæris quomodo virginitas genuit Saluatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inueneris florem, C pro eo quod dedit odorem, violatum crede pudorem, quia edidit Saluatorem. Quid potes calumniari in proprietate similitudinis? Quid enim aliud est virginitas, quàm flos inuiolati corporis? Quid aliud est Filius virginitatis, quam suauitas odoris? Tu tamen caue ne bono moriaris odore. Bonus enim aliis odor vitæ in vitam, his qui scilicet salui fiunt: aliis odor mortis in mortem, his scilicet qui pereunt; nimirum tanquam odor vineæ florentis animalibus venenatis. Sanè suauitate huius odoris refocillabatur spiritus Patriarchæ senis, qui filium tangens, & fragrantiam Christi sentiens de memoria abundantiæ suauitatis illius eructabat, dicens[c]: *Ecce odor filii mei, odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Suauitatem huius odoris odoratus est DEVS Pater & delectatus, repropitiatus est humano generi, cùm filius offerret semetipsum oblationem & hostiam DEO in odorem suauitatis. Hoc suaui odore trahimur, cùm per conuersionem currimus ad ipsum: hoc trahuntur adolescentulæ, cùm per deuotionem currunt post ipsum. Quanquam alius sit odor ille qui de fama prędicationis percipitur; alius odor iste qui de vestimentis vel vnguē- D tis, vel de ipso fortassis corpore eius quodammodò crassior aspergitur. Qui vtique non est aliud quàm virtus quæ de illo exit, quæ pigros excitat, & feruorem amoris innouat, vt ad currendam viam mandatorum exultare faciat.

Maria salua integritate peperit filiū. Exemplo seu similitudine vitis id pulcrè ostenditur.

c Gen. 27. d

Odor Christi nos attrahens alius oblationis, alius prædicationis, siue alius hostiæ, alius doctrinæ, alius gratiæ.

4. Quia ergò tam odoriferum fructum edidit, glorietur Maria & dicat: *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris*. Pulchrè *quasi vitis*: nam botrus Cypri dilectus suus illi[d], de quo non solùm torcular passionis rubens mustum expressit preciosi sanguinis, quo calix præclarus inebriat; sed & quotidie deuotio sancta sibi vinum ex- A primit, quod lætificat cor hominis, & inebriat voluptate gaudii & amoris. Verùm non prius inebriat gustus saporis, quàm trahat suauitas odoris: nec lætificat gaudium visionis, nisi prius alliciat pietas opinionis: quia nisi crediderimus non intelligemus[e]: nec gustabimus quoniam suauis est Dominus. Fides siquidem est quæ odoratur, experientia quæ gustat & fruitur. Ideò fortassis Maria Iesum suum describens per virtutes ipsius & efficientias, primò suauitatem odoris eum nominat: quia videlicet hoc initio Iesus in nobis habet subsistere, si redolentia sanctæ opinionis suæ ad se nos trahat. Quis sit autem fructus vndè iste odor prodit, & quo nos trahat, aperit cùm subdit[f]: *Et flores mei fructus honoris & honestatis*. Prorsus iste est Iesus suauitas odoris inuitans, honestas sanctificans, honor glorificans. Suauitas odoris, qua velut ad viam adducimur: honestas per quam deducimur: honor ad quem perducimur. Pulchrè autem honestas dicitur, quasi honoris status. Neque enim honor ille summæ dignitatis & gloriæ, statum tunc in nobis habere posset, nisi nunc honestas vitæ & morum sedem ei præpararet. Nullus tunc sicut nunc passim cernitur ho- B noratus sine honestate, sicut nec vllus honestus sine honore. Est ergo Iesus primò suauitas odoris, his quos vocat: deinde honestas, his quos iustificat: demum honor illis quos magnificat. Nam *quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit; Quos autem iustificauit, illos & magnificauit*.[g]

d Cant. 1. d

Christus viti & bono cōparatur.

Non præbet saporem, nisi postquam dedit odorē.

e Isai. 7. b

f Eccli. 24. g

g Rom. 8. f 5.

Talis est igitur Dilectus meus, ait Maria: & iste est filius meus ô filiæ Hierusalem. Iste est benedictus fructus ventris mei, hunc fructificauerunt *flores mei*. Non ait flos, sed *flores*: quia cùm virgo sancta est, flos virginitatis in ea multiformis est. In Maria tamen gratia singulari præ omnibus multipliciter floruit, quæ tota pulchra intus & foris, tota vernabat quadam florulentia & venustate pudoris. Nam & in te quoque si castimonia perfecta sit, non solùm reflorebit caro tua, sed & super te totum efflorebit sanctificatio quædam diuina. Non erit aspectus petulans, aut vagus, sed pudicitiâ floridus: non sermo lasciuus aut ineptus, sed verecundiâ gratus, aut sapientiâ conditus: Non prurient aures libidine audiendi noua vel turpia, nec palatum desiderio sumendi dul- C cia: Non erit incessus inordinatus, sed modestus: non ipse habitus non dicam meretricius, sed neque superstitiosus, imò religiosus; totusque hominis tui status, sanctimoniæ gratia florulentus, vt rectè sponso dicere possis, cùm eum ad secretum tuum inuitaueris[h], *Lectulus noster floridus*. Quinimò ipse totus erit quidam flos pulcherrimus, qualibus sponsa languorem amoris sui fulciri ac recreari desiderat, cùm ait[i]: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo*. Huiusmodi iustus etiam cùm senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquę viuæ in resurrectione, id est, in refloritione iustorum germinabit sicut lilium: & florebit in ęternum ante Dominum, florem de flore, natum virginem, virginis filium sponsum, & coronam virginum, florem, inquam, quo coronanda est non solùm integritas virginum, sed & castitas continentium: ipsi gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

Flores quibus Virginitas & castimonia vti insignibus suis ornatur.

h Cant. 1. d

i Cant. 2. a

Iustus quomodo reflorebat.

IN NATIVITATE B. MARIÆ
SERMO II.

Ego Mater pulchra dilectionis & timoris & agnitionis & sanctæ spei. Eccli. 24. e 2.

MEminisse potestis cùm pręterito anno loqueremur de principio lectionis hodiernę, non inconuenien- D ter, vt arbitror, beatæ Dei Genitrici nos illud assignasse, saluo tamen intellectu illo, quo tota lectio Filio eiusdē propriè competit, id est, Dei Sapientię. Multò autē manifestius in eo quod modò de eadem lectione proposuimus, eiusdem Virginis se demonstrat vox & persona, si tamen aduertamus, in eo quod ait, *Ego mater pulchra dilectionis*, &c. quàm pulchrè & commodè Filium his virtutum nominibus describat. Notus erat Matri Filius: nec minus vtique quàm illi qui dicebat[a]: *Et si cognouimus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus*. Primò nouit eum secundum formam carnis in qua eum

a 2. Cor. 5. d

ipsa genuit, sed longè hoc à cognitione illius formæ, in qua Pater eum genuit. In illa visus est aliquando, & non erat ei species neque decor [b]: in ista splendor est gloriæ & candor lucis æternæ [c], apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio [d]: Visio illius formæ incredulis auxit peccatum, visio istius iustis seruatur in præmium. Igitur inter formam carnis & formam Verbi, quasi medius de ista ad illam gradus est, quædam alia forma Christi, spiritalis quidem, sed quam in carne palam exhibuit, forma scilicet vitæ quam in corpore gessit: ad informationem eorum qui erant credituri. Si enim secundum exemplar vitæ & morum quod in eo monstratum est, formatus fuerit in nobis Christus, tunc demum idonei erimus videre non formam solùm quæ formata est propter nos, sed etiam illam quæ formauit nos.

b Esa. 53. a
c Sap. 7. d
d Ia. 1. a

2\. Est vtique in Christo alia forma corporalis, alia moralis, alia intellectualis. In corporali *frater* est, in morali *magister* est, in intellectuali *De⁹* noster est. Corporalem suscepit, vt impleret sacramentum: moralem exhibuit, vt præberet exemplum: intellectualem seu diuinam reuelabit ad præmium. Quanquam etiam corporalem tunc cernere, in quam Angeli concupiscunt prospicere, non minima sit portio gloriæ. Beatus autem qui nunc amator factus est formæ huius, quæ in exemplū est proposita, nam qui scrutator est illius quæ in præmium est seposita, opprimetur à gloria [e]. Huius formæ mirator & amator factus erat, qui dicebat [f]: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Vis scire quia non formam corporis, sed cordis, non pulchritudinem membrorum, sed morum prædicabat? Audi sequentia [g]: *Specie tua*, inquit, *& pulchritudine tua, intende, prosperè procede & regna.* Adhuc fortassis dubium est, nisi addat, *Propter veritatem*, inquit, *& mansuetudinem & iustitiam.* Prorsus hæc est species tua & pulchritudo tua, qua regnū acquisiuisti pulcherrimè regum, veritatis vtique sermonum, mansuetudo morum, iustitia iudiciorum. Hac pulchritudine facilè illexisti & subiecisti tibi etiam corda inimicorum, quippe totus concupiscentia & desiderium. Mirabilis triumphus gratiæ, omninò nouum ac pulcherrimum genus victoriæ, hostem non perdere ad mortem fortitudine, sed conuertere ad amorem pulchritudine. Ecce mundus totus post eum abiit concupiscens speciem decoris eius, non quia faciem eius viderit, sed quia tam multa amabilia de mansuetudine, veritate & iustitia eius audiuit. Ex Sion species decoris eius [h], quia *de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Hierusalem* [i]: vndè scilicet Euangelium ad nos missum est, in quo quædam pulchrior Christi facies ostensa est: forma scilicet vitæ & doctrinæ, quam & tradidit verbo, & in se expressit exemplo.

Formæ in Christo diuersæ. Corporalis, moralis, intellectualis.

e Prou. 25. d
f Psal. 44. a
g Ibid.

Christus nouo triumphi genere sibi cuncta subiecit.

h Psal. 49. a
i Mich. 4. a

3\. In hac forma nosse Christum, interim pietas est Christianorum, cùm nosse in forma carnis scandalum fuerit Iudæorum: nam nosse in forma diuinitatis felicitas est, & gaudium Angelorum. Ideò & Paulus sciens quia caro non prodest quicquā, sine spiritu videlicet qui viuificat, nosse iam Christum secundum carnem repudiat [K]: nimirum vt spiritui viuificanti studiosius totus intēdat. Hoc ipsum & Maria sapere videtur, quæ dilectum vteri sui, dilectum votorum suorum insinuare cupiens affectibus omnium, describit eum non secundum carnem, sed secundū spiritū: quasi diceret & ipsa: Et si cognoui Christum secundum carnem, sed nunc iam non noui. Cupit namque & ipsa formare Vnigenitum suum in omnibus filiis adoptionis, qui & si geniti sunt verbo veritatis; nihilominus tamen parturit eos quotidie desiderio & curâ pietatis, donec occurrant in virum perfectum in mensuram plenitudinis ætatis Filii sui, quem semel parturiuit & peperit, imò vt Esaias ait [l], *Antequam parturiret peperit:* quia peperit sine dolore, nec experta est difficultatem & molestiam parturitionis, cùm pareret gaudii fructum æterni.

K 2. Cor. 5. d

Maria Virgo dilectum suū describit secundum spiritum.

l Esa. 66. c

4\. Hunc igitur commendans nobis sic ait [m]; *Ego mater pulchræ dilectionis & timoris & agnitionis & sanctæ spei.* Ergo ne est iste filius tuus ô virgo virginum? Ergo ne talis est dilectus tuus ô pulcherrima mulierum? Planè talis est dilectus meus, & ipse est filius meus ô filiæ Hierusalem. Dilectus meus est pulchra dilectio in seipso: dilectus meus est pulchra dilectio, timor & spes & agnitio in illo qui natus est ex ipso. Ipse enim est non solùm quē diligimus, timemus, agnoscimus, & in quem speramus, sed hæc etiam omnia in nobis operatur, atque his virtutibus veluti quibusdam membris & partibus in nobis perficitur atq; formatur. Tunc enim perfectè pro modulo huius vitæ Christus in te formatus est, tunc veritas ipsius in te expressa est, si veritatem quæ ipse est agnouisti, & agnitam glorificasti, timore videlicet & spe; & ne spes confundat, charitas diffusa sit in corde. Si huic sensui iudicas incongruum, quod alius sit istarum ordo virtutum vel profectuum, & alius ordo positionis nominum, non enim ait: Ego mater agnitionis & timoris & spei & dilectionis, sed ait: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis & sanctæ spei*, fortassis & in hoc ordine ipso quem ponit, inueniri poterit aliquid congruentiæ & rationis. Sicut enim de agnitione timor nascitur, quem ne in desperationem concidat, spes adiuncta consolatur, ipsique spei ne confundat, dilectio suffragatur: ita versa vice dilectio castum parit timorem, timorque cum dilectione illuminat agnitionem: secundum illud Sapientis [n]: *Qui timetis Dominum diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Quantò autem verius illuminato corde Deus agnoscitur, tantò fiducialius in eum speratur. Vndè est illud [o]: *Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum Domine.* Spes verò sancta est, sicut Ioannes de spe videndi Deum loquens ait [p]: *Omnis qui habet hāc spem in illum sanctificat seipsum:* sicut & ille sanctus est.

m Eccli. 24. c

Ordo & congruentia virtutum timoris, spei, & charitatis.

n Eccli. 2. B

o Psal. 9. B

p 1. Ioan. 3. a

5\. Pulchrè autem & propriè dicta est *pulchra dilectio*; cùm charitas Deus sit, ac per hoc summa pulchritudo; sitque virtus ista ferè tota pulchritudo Ecclesiæ, quam ipse sponsus eius in Cantico amoris inuenitur tantùm ac toties in ea mirari & extollere. Prorsus dilectio pulchra: quæ de corde puro est, & conscientia bona, & fide non ficta. Vbi enim cor purum est, nulla est ruga: vbi conscientia bona, nulla est macula; vbi fides nō ficta, nō est aliquid eiusmodi quod oculis sponsi displiceat; quò minus sibi Ecclesiam nunc gratiosam, tunc gloriosam exhibeat. Distinguenda etiam erat hoc nomine *dilectio sanctorum* ab amore hominum, siue *turpi*, qui nec nominandus est inter fideles; siue *naturali*, quo amantur parentes; siue *seculari*, quo se inuicem amant propter seculi necessitates vel cupiditates. Procul ergò procul, imò nusquā prorsus sub oculis Dei amor turpitudinis; seorsum autem interim cedat amor necessitudinis; solusque regnet amor internæ & æternæ pulchritudinis, quo solum Deum vel propter Deum amant verè pulchri.

Pulchra dilectio quæ.

Distinguitur ab amore carnali, naturali, & seculari.

6\. Tu verò, bone Iesu, pulchritudo Sanctorum, speciosus formâ non modò præ filiis hominum, sed & præ virtutibus cœlorum: Specie tua & pulchritudine tua, Intende, prosperè procede & regna. Tamque latè regnet pulchra dilectio tua, vt turpem de finibus rerum perturbet & eliminet; secularem ad se conuertat & inclinet; naturalem sub se regat & ordinet: vt illa pulchra & vera dilectione te diligat mundus, qua dilexisti mundum Saluator mundi, qui viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

Aspiratio ad Christum pro pulchra seu sancta dilectione.

IN SOLENNITATE OMNIVM Sanctorum

SERMO

Beati pauperes spiritu.

Matth. 5. a

1\. AGnosco notum illud ac nobile prognosticū, quod in testimonium sui, necdum natus in carne Dei Filius protulit: iam verò natus, sed nondum notus, sibi cōpetere docuit. *Spiritus*, inquit [a], *Domini super me, euangelizare pauperibus misit me.* Ecce pauperes euangelizātur, ecce pauperibus euangelium regni nunciatur. *Beati*, inquit [b], *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Lætum prorsus ac nouæ plenum gratiæ noui testamenti principium, etiam quantumlibet infidelem

a Esa. 61. a

b Matt. 5. a

aut pigrum prouocans ad audiendum, sed amplius ad faciendum: cùm scilicet beatitudo miseris, exulibus, & egenis promittitur regnum cœlorum. Gratum, inquam, & auspicatum nouæ legis initium, quando in ipso statim initio, tot beatitudinum benedictiones dat Legislator, quibus deiectati erant de virtute in virtutem: per istos videlicet octo gradus ascensionis, quos in corde nostro disposuit structura Euangelii, secundum exemplar & imaginem cœlestium, quod Ezechieli quoque ostensum est in monte visionum Dei. Est enim manifestè quidam ascensus cordium, & profectus meritorum iste per ordinem digestus octonarius virtutum, gradatim de imis ad summa perducens virum euangelicæ perfectionis, donec ad videndum Deum deorum in Sion ingrediatur templum, de quo Propheta dicit [c]: *Et in octo gradibus ascensus eius.*

c Ezech. 40. e

2. Gradus virtutum, secundum ordinem 8 beatitudinum.

Prima siquidem virtus inchoantium, est *renunciatio* seculi, qua pauperes efficimur spiritu: secunda *mansuetudo*, qua nos obedientiæ subdimus, & assuescimus: deinde *luctus* quo peccata plorantur, vel virtutes implorantur. Ibi omnium gustamus, vndè amplius *esuriamus*, & *sitiamus* iustitiam, tam in nobis quàm in aliis, zeloque contra peccantes incipimus commoueri. Sed ne zelus immoderatior in vitium feratur, sequitur *misericordia* qua temperetur. His ergo studiis vel exercitiis, cùm quis iustus & misericors esse didicerit, idoneus erit fortassis contemplationi vacare, & *mundando* cordi, quo Deus videatur, operam dare. Exercitatus autem & probatus tã in actione, quàm in contemplatione, tum demum dignus erit, qui nomen & officium filii Dei gerens, pater & minister factus aliorum, tanquam mediator & sequester *pacificet* inter ipsos & Deum: pacificet ipsos adinuicem, vel etiam ad eos qui foris sunt: sicut scriptum est, in laude sanctorum patrũ [d], *Pacificantes in domibus suis.* In hoc officio qui fidelis & constans fuerit, sæpè virtutem & meritum sibi martyrii comparabit, *persecutionem* patiens propter iustitiam; aliquando & ab his pro quibus pugnabit: vt sic ei dicere [e], *Filii matris meæ pugnauerunt contra me*, & [f], *Cum his qui oderunt, pacem eram pacificus, cùm loquebar illis impugnabant me gratis.*

d Eccli. 44. a

e Cant. 1. b
f Psal. 119 b

3. Quantæ autem gloriæ, quamque copiosæ mercedis in cœlo sit culmen huius perfectionis, inde vtcumque licet æstimare, quod ipsa etiam abrenunciantium seculo primordia tantæ Dominus prædicat felicitatis, vt dicat, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Planè beati qui proiectis vilibus, sed grauibus sarcinulis huius mundi nolunt diuites fieri, nisi de solo Creatore mundi, propter ipsum tanquam nihil habentes, & per ipsum omnia possidentes. An non possident omnia qui possident continentem & disponentem omnia, quorum Deus portio est & hæreditas; qui, vt nihil desit timentibus eum, cætera prout expedire nouit, dispensat ad vtendum, & seipsum seruat ad fruendum? Cùm hæres Dei, cohæres autem Christi, adultus & emancipatus introducetur in plenariam possessionem expectatæ hæreditatis, tunc profectò ius absolutum, ac liberum imperium habebit in creaturis: qui modò, quãto tempore paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium; sed sub tutoribus, & actoribus est vsq; ad tempus præfinitum à Patre. Tunc mundus agnoscet iustum ac legitimum hæredem dominum suum [*], propter quem creatus est; agnoscet, inquam, quia iam non conformem sibi, sed reformatum in nouitate sensus sui ad imaginem Dei ad quam factus est. Sed & nunc quoque *fideli homini totus mundus diuitiarum est* [†], non solum quia ad agnoscendum vel diligendum auctorem mundi, mundanis omnibus vtitur tanquam ad hoc sibi datis: & in via testimoniorum Dei (quæ videt facturam, sicut & scripturam per bibere factori,) delectatur sicut in omnibus diuitiis: sed etiam, quia ita sufficiens & gratus esse didicit, vt quasi totius mundi diuitias computet illud propè nihil quod habet, siue hoc ipsum quod nihil habet. Ideo iure beatificat Ecclesiam sanctorum Salomon, quæ pauper pro Christo, tamdiues est in Christo. *Multæ*, inquit [g], *filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Alii siquidem rapiunt non sua, & semper in egestate sunt: sancti diuidunt propria, & ditiores fiunt. *Diuites enim eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* [h].

Pauperes spiritu cur seu vnde beati.

Possident omnia.

* nempe virum iustum ac religiosum qui modò velut minorennis & pupillus ex arbitrio tutorum, non vt dominus vtitur mundo.

† Prou. 17 iuxta LXX. Lectio hæc, August. Gregor. Bernardo aliisque PP. familiaris.

Felicitas & opulentia pii pauperis.

g Prou. 31 d
h Psal. 33. b

4. Auarus quo plura possidet, pluribus eget. Quãtoquã nil minus habeat, quàm quod habere se putat: cùm habeatur, non habeat, seruus pecuniæ, mancipium auaritiæ, cultorq; crumenæ, idololatra detestandus, cui nummus est Deus. Pulchrè autem iam nunc quoque vindicat in peccatores iustitia diuina, res ipsas quas amant conuertens eis in tormenta, & vitia faciens esse supplicia. Pecunia enim, quæ iustum amplius iustificat, & verius ditat dispensata, vel semel data; auarum cruciat seruata, prodigum polluit profligata. Prorsus beati pauperes Christi, quorum fides sic elusit sapientiam mundi, vt sola, quis sit optimus diuitiarum vsus, inuenerit: quòd videlicet diuitiæ, quæ pauperem faciunt & miserum, si diliguntur; tunc demum faciunt diuitem & beatum, si pro Christo contemnuntur. Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis [i]: id est humilibus qui vtique non sunt alii quàm pauperes spiritu, quorum hic beatitudo prædicatur.

Auarus non dominus opum sed seruus, non habet sed habetur.

Optimum diuitiarum vsus solis pauperibus Christi cognitus.

i Matth. 11. d

5. Hoc enim licet scientes tamen commonere vos velim, Fratres, quòd vera ac beata paupertas spiritus, plus est in humilitate cordis, quàm in angustia rei familiaris: plus consistit in abdicatione superbiæ, quàm in contẽptu substantiæ. Substantia nonnunquam vtiliter habetur, superbia nũquam nisi damnabiliter retinetur. Diabolus nihil in mundo possidet, aut possidere desiderat, quem sola vel maximè superbia damnat. Parum igitur prodest renunciare seculi possessionibus, nisi renuncietur & moribus: imò stultum, ac ridiculum est nudari diuitiis, & diuitum implicari vitiis: pauperem fieri rebus nec ditari virtutibus: relinquere omnia, nec sequi Christum, sed magis forsitan in castris Christi, iuuare partes Antichristi. Planè Antichristi partes adiuuat, quisquis superbiæ militat, nomenque sanctum quod verbis vel habitu profitetur, moribus impugnat. Vexillum Christi humilitas, Antichristi superbia, vel potius capitis eius diaboli, qui super omnes filios superbiæ regnat, & ab initio per superbiam peccat. Gloriemur igitur fratres, quia pauperes sumus pro Christo: sed operam demus, vt humiles simus cum Christo. Paupere superbo sicut nihil detestabilius, ita nihil miserabilius: cùm eum & paupertas nunc affliget, & superbia in perpetuum addicat. Pauper autem humilis, & si vritur & purgatur in camino paupertatis, exultat refrigerio conscientiæ diuitis: consolatur se promissione sanctæ spei, sciens & sentiens, quoniam ipsius est regnum Dei: quod iam intra seipsum velut in semine vel radice gerit, primitias scilicet spiritus, & pignus æternæ hæreditatis. An non vestrum est, Fratres, vndè toties sicut vobis conscii estis, fructus suauissimos, & beata gaudia decerpitis, quorum gustus amarescere vobis iam omnem fecit dulcedinem mundi? Gustastis enim, ni fallor, & vidistis, quoniam bona est negociatio vestra, qui pro re gratis contemnenda ac proiicienda, summa comparastis bona. Denique non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto [k]. Si hæc ergò sentimus in nobis, cur non confidenter pronunciemus intra nos esse regnum Dei? Quod autem intra nos est, illud verè nostrum est: quia nobis inuitis eripi non potest.

Frustra est renunciare diuitiis, & non diuitum vitiis.

Vexillum Christi humilitas, Antichristi superbia.

Paupere superbo nihil detestabilius.

Solatium pauperum.

Gustus cœlestium facit amarescere dulcedinem mundi.

k Rom. 14. c

6. Rectè itaque Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait, *ipsorum erit*, sed *est regnum cœlorum* non solùm propter ius firmissimum, sed etiam propter pignus certissimum vsumque felicissimum: non solum quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam quia iam in quandam ipsius possessionem cœperunt introduci, iam habentes thesaurum cœlestem in vasis fictilibus, iam portantes Deum in corporibus suis & cordibus. Quàm beata gens cuius est Dominus Deus eius [l], quàm vicini sunt Dei regno qui regem ipsum, cui seruire regnare est, iam possident, & gestant in corde suo. *Funes*, inquit, *ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas*

l Psal. 15. b

mea praeclara est mihi. Litigant alii de diuidenda hæreditate huius mundi, *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei* m. Pugnent inter se quis eorum fiat misetior, nihil omnium quæ ambiunt, illis inuideo; ego enim & anima mea delectabimur in Domino. O præclara hæreditas pauperum, ô beata possessio nihil habentium! quoniam non solùm omnem sufficientiam nobis subministras, sed etiam ad omnem gloriam abundas, ad omnem lætitiam redundas, tanquam in sinu reposita supereffluens mensura. Prorsus tecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia.

m Ibidem.

7. Superbiat, ô pauperes, superbiat, ô humiles, anima vestra, glorians in humilitate sua, omnemque altitudinem huius mundi longè sub pedibus suis iacentem despiciat: indignumque iudicet gloriæ suæ, ad concupiscentiã vilis prædæ suam vlterius maiestatem inclinare. Quid? iam iam tollenda es in cœlum, & nunc te demum mergeres in cœnum? Parata tibi sunt æterna, & præeligeres transitoria, somnoque similia? Te præstolatur curia Sanctorum, & præponeres societatem dæmoniorum? Quàm miser homo, qui cùm in honore esset, non intellexit, ac perinde comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis n. An non manifestè hoc illis cõtingit, quos cùm beata paupertas fecisset honorabiles cælo, mirabiles mundo, vt nihil præterirum sit, etiam formidabiles inferno: postea arbitrantes miseriam, cæcato sensu paupertatem, humilitatem, ignauiam voluerunt diuites fieri, & inciderunt in tentationes & laqueos diaboli: cumque essent Domini vniuersorum, vendiderunt se ipsos sine precio propter ea quæ nihil sunt. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient cùm inspicere cœperit Dominus? Ipsi viderint, quid facturi sint. Vos enim quibus amica est paupertas, & grata spiritus humilitas, securos fecit de possidendo regno cælorum incommutabilis veritas: vestrum illud esse asserens, vobis illud repositũ fideliter custodiens: si tamen & vos ipsi spem istam in sinu vestro repositam firmiter custodiatis vsque in finem, cooperante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

Superbia pauperum laudabilis.

n Psal. 48. c

Fastidio religiosæ paupertatis denuo sectari opes, miserum, & periculosum.

SERMO IN VERBA CANTICI CANT.

Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Cant. 8. d.

1. IN conuentu sodalium & amicorum, id est Ecclesia sanctorum cuius vocem deceat audiri, sponsus ipse sponsæ loquens, innuit cum ait: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Non sum ego cui hoc dictum debeat videri; non sum qui habitem in hortis; magis mihi videor esse de illis qui habitant in sepulchris. Corpora enim peccatorum, quid sunt nisi sepulchra mortuorum? Qui ergo dediti sunt corporibus suis non in hortis habitant, sed in sepulchris: Deũque exasperant, donec qui educit vinctos in fortitudine, forti voce inclamet b. *Lazare veni foras*, suisque discipulis super eo præcipiat *soluite eum & sinite abire.* Magna sanè differentia est sepulchrorum & hortorum. Hæc plena omni spurcitia & ossibus mortuorum, illi omni suauitate & gratia florum, aut fructuum. Quid enim si aliquando sepulchra videntur in hortis? Nam & Dominus in horto sepultus fuit. Et si enim sepulchra in hortis, nunquid tamen horti in sepulchris? Ita fortassis, sed in sepulchris iustorum. Ibi planè vernabit gratissima quædam amœnitas hortorum, verno scilicet illo tempore resurrectionis eorum, cum reflorebit caro eorum, & non solum ossa iusti sicut herba germinabunt, sed & totus iustus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Non sic impii non sic, qui sepultura asini sepeliuntur c, & sine omni spe melioris resurrectionis subditi corruptioni, hac præsenti futuram auspicantur. De sepulchris eorum dicere cœperã, quod quantum à spurcitia illorum abhorret florentium species hortorum, tantum imo incomparabiliter amplius distat oblectatio spiritualium à voluptate gaudiorum carnalium.

a Cant. 8. d

Corpora peccatorum sepulchra mortuorum.

b Ioan. 11. f

Sepulchra in hortis

Horti in sepulchris iustorum.

c Ierem. 22. c

2. Vos igitur, ni fallor, estis qui in hortis habitatis, qui scilicet in lege Domini meditamini die ac nocte, & quot libros legitis, tot hortos perambulatis: quot sententias eligitis, tot poma carpitis. Et beati quibus omnia poma noua & vetera seruata sunt: id est, tam Prophetarum, quàm Euangelistarum, vel Apostolorum eloquia reposita sunt, vt & vnicuique vestrum illud sponsæ ad sponsum videatur dictum d: *Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* Scrutamini igitur Scripturas. Vos enim non falso vitam in ipsis putatis vos habere, qui nihil aliud in illis quæritis quàm Christum, cui testimonium perhibent Scripturæ. *Beati planè qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum* e. *Mirabilia testimonia tua Domine, ideò scrutata est ea anima mea.* Scrutinio quidem opus est non solum vt eruantur mystica, sed etiam vt sugantur moralia. Ideoque vos qui perambulatis hortos Scripturarum, nolite negligenter & otiosè transuolare, sed scrutantes singula velut apes sedulæ mel de floribus, spiritum de sermonibus colligite. *Spiritus enim meus*, inquit Iesus f, *super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.* Ita probantes quid sapiat manna absconditum, eructabitis illud Dauidicum g. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo.*

Pii & Religiosi habitant in hortis. Nempe Scripturarum.

d Cant. 7. d

e Psal. 118 a

f Ibidem. t

Scripturæ serio & sedulo scrutandæ.

f Eccl. 24. e

g Psal. 118 n

3. Ab his hortis in alios, vbi requies secretior & voluptas beatior, & species mirabilior, sponsus, ni fallor, vos introducit, cum intentos laudibus suis in voce exultationis & confessionis, rapit in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, lucem scilicet inaccessibilem, vbi habitat, vbi pascit vbi cubat in meridie. Si enim deuotio psallentium & orantium, habet aliquid de illa pia curiositate quærentium h, *Rabbi vbi habitas?* puto quia merentur audire, *venite & videte. Venerunt*, inquit, *& viderunt, & apud eum manserunt die illo.* Quandiu apud Patrem luminum sumus, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, noctem nescimus, tantummodò die beato fruimur. Cùm inde labimur, in noctẽ nostram recedimus. Heu mihi quàm citò defecerunt dies mei, quàm citò sicut fœnum arui. qui quãdiu fui in horto cum illo, sicut paradisus Dei virui & florui. Cum illo hortus voluptatis: sine illo locus horroris & vastæ solitudinis. Existimo enim qui in hortũ illius intrat quod & ipse hortus fiat; fitque anima illius velut hortus irriguus, vt & sponsus in laudem eius dicat i: *Hortus conclusus soror mea sponsa.* An non sunt hortus, in quibus fit quod ipse hortulanus loquitur plantationi quã plantauit Pater suus? *Audite me*, inquit k, *diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate.* Quasi libanus, odorem suauitatis habete, florete flores quasi lilium, date odorem & frondete in gratiam.

Item Religiosi commorantur in horto orationis & diuinæ laudis.

h Ioan. 1. f

i Cant. 4. e. Hortus est anima iusti.

k Eccli. 39.

4. O Domine Iesu vere hortulane, operare in nobis quod exigis à nobis. Nam sine te nihil possumus facere. Tu enim verus es hortulanus, idem creator qui cultor vel custos horti tui, qui verbo plantas, spiritu rigas, virtute incrementum das. Errabas Maria quæ cum existimabas hortulanum illius horti pauperis & exigui, in quo sepultus fuit. Hortulanus est totius mundi, hortulanus est cœli, hortulanus est Ecclesiæ, quam hic plantat & rigat, donec incremento consummato transplantet eam in terram viuentium, secus decursus aquarum viuentium, vbi non timebit cum venerit æstus, sed erit folium eius viride, nec aliquando desinet facere fructum. Beati qui habitant in illis hortis tuis Domine, in secula seculorum laudabunt te. Paulus habitabat in illis, cuius conuersatio erat in cælis; qui mente sæpius excedẽs perambulabat paradisum beatæ voluptatis, hortos deliciarum Dei, vbi & pertransiens rosas Martyrum, & lilia Virginum, desinens etiam mirari altitudinem cedrorũ Dei, delectabatur potius carpere de fructu ligni vitæ, quod est in medio paradisi, in ipso nimirum gustans plenius & felicius quàm suauis est Dominus. Ideoque cum inde redibat, amicis auscultantibus memoriam abundantiæ suauitatis eius profusius eructabat, & ex abundantia cordis os redundabat. Quia enim sicut adipe & pinguedine repleta erat anima eius, ideò labiis exultationis laudabat os eius. l *Cor quippe Sapientis erudiet*

Christus hortulanus totius mundi.

Cæli & Ecclesiæ.

Paulus Apo in hortis cælorum versatus.

Quid inde rediens eructaret.

l Prov. 16. c

os eius: & labiis illius addet gratiam. Eructabat itaque cor eius verbum bonum, ac de bono thesauro bonus bona proferebat, sponsumque ipsum qui in amicis auscultabat, velut iucundo carmine oblectabat. Prorsus carmē iucundum, suauisque melodia, vbi tam canorum Spiritus sancti organum, tanta morum & sermonum consonantia, tanta dulcedine amoris, tanta gratia oris Christum Iesum iubilum cordis sui personabat. Si enim lingua suauis vim carminis non haberet, scriptum non esset m: *Tybia & Psalterium faciunt suauem melodiam, &*
m Eccl. 40. c *super vtraque lingua suauis.* Si carmine huiusmodi Psalmista Deum oblectari nesciret, nequaquam diceret n,
n Psal. 103. d *Iucundum sit ei eloquium meum.* Sed nec ipse sponsus diceret o, *Fac me audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus*
o Cant. 8. *meis. Vox enim tua suauis*, quia exaltationes Dei in faucibus tuis: tanquam habitantis in hortis in deliciis paradisi: Econtra verò: *Non est speciosa laus in ore peccatoris* p, qui habitat in sepulcbris: Cuius enim vita Deum
p Eccli. 15 b exasperat, lingua non delectat; sed terribiliter increpatur voce diuina: *Quare tu enarras iustitias meas q? cantica*
q Psal. 94. c *lira tua non audiam* r.
s Amos 5. f

5.
Sensus verborum thamansduplex.
Sed quoniam Scriptura quam assumpseram in excusationem sermonis, occasionem & materiam ministrauit sermonis, si placet finiamus quod de illa cœpetamus. Dupliciter itaque potest intelligi, quod à sponso dicitur.: *qua habitas in hortis amici auscultant, fac me audire vocem tuam*: vel quod deuotum amatorem inuitet ad
Primus de orantibus.
psallendum vel orandum; vel quod sanctum prędicatorem excitet ad loquendum. Quod vt magis persuadeat, amicos auscultare memorat, Angelos scilicet orantem vel psallentem: fideles, prædicantem. Vbi primò insinuemur, qua disciplina cordis & corporis nos oporteat in conspectu Angelorum psallere vel orare, ne vacui dimissi vacuos nos dimittant, qui venerant vt vota deferrent, & dona referrent, imò recedant inimici qui venerant amici. Quinimo sponsus ipse, qui stat ad ostium & pulsat, si nulla ei digna deuotio deintus respondens aperiat, secedet conquerens & dicens s: *Attendi & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur. Nullus est qui agat pœnitentiam super peccata sua, dicens, quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium.*

Quomodo orandum vel psallendum in conspectu Angelorum.
s Hiere. 8. 4

6
Alter sensus de prædicatoribus.
Si autem prædicatorem exhortatur, fiduciam ei loquendi tribuit de beneuolentia & attentione auditorum, quia scilicet non increduli obloquuntur, aut litigant; non æmuli detrectant, aut subsannant, non tepidi dormitant, aut oscitant, sed amici attenti auscultant, quorum amor & meritum possit euangelizanti impetrare verbum & spiritum. Et benè amici auscultant. Est enim velut proprium amici, scilicet quod deuotus audiat vocem sponsi, sicut Ioannes ait t: *Amicus sponsi est qui stat* non vagans animo, aut prostratus somno, *audit & gaudet gaudio propter vocem sponsi*, quam agnoscit etiam in seruis. Et nos itaque inde probemus nos amicos, vt siue per os loquentis, siue legentis aut cantantis vox sponsi sonuerit, sic stemus ad audiendum, quatenus auditui nostro det gaudium & lætitiam: & non solùm cum gaudio suscipere verbum, sed & fructum afferre in patientia.
t Ioan. 3. d

Qui in aliis Editionibus hic sequuntur sermones, S. BERNARDI *sunt, non* GVERRICI, *unde nec in MS. Carthusiæ Colon. extant: necesse est, cur suo loco positi, hic repetantur.*

FINIS Operum D. GVERRICI *Abbatis Igniacensis.*

GILLEBERTI DE HOYLANDIA
ABBATIS SVVINSHETENSIS
in Anglia,

DISCIPVLI S. BERNARDI,

Epistolæ seu opuscula, nunc primum ex M. S. Bibliothecæ Oxoniensis edita.

AD LECTOREM.

Vm nuper post recensita S. BERNARDI Opera, & iam prælo tradita, ad cætera, quæ secreueram, (vt potè, aliena, dubia, notha, qualia hactenus in Bernardo *permulta) castiganda, & in singularem Tomum colligenda accingerer; Ecce primum obtulit sese GILLEBERTVS* de Hoylandia: *ille, inquam, qui S. BERNARDVM feliciter insecutus,* Canticum Salomonis *ab eo loco, vbi Doctor mellifluus morte præuentus desiit, simili via & ratione per* Sermones *explanandū sibi sumpsit. Hunc ergo dum attentius legerem, mox rapuit me, (cur dissimulem?) sensuum sublimitas, piorum affectuum vbertas spiritus ardor; quin & Sermonis stylique suauitas; Prorsus, vt paucis dicam, ipsum pene BERNARDI genium & ingenium, nec non melle a Suada. Nimirum in Helisæo spiritum Eliæ; in Discipulo sensum stylumque Magistri; in filio parentis indolem geniumque deprehendi. Quâ face enim, vt verum fatear, quod helluo quispiam, cuius auidus venter, quasi non saturandus præsentibus, aliis atque aliis inhibeat eduliis; & stimulante fame cibique desiderio inquirit num plura restent, quæ deuoret & abliguriat. Idem, inquam, mihi vsu venit. Nam dum GILLEBERTI lectio ita meum oblectaret palatum, & orexin acueret; illicò* Catalogos Scriptorum Angliæ *consulo, exploraturus, quid præterea ab hoc authore litteris mandatum foret, cuius potiundi spes aliqua superesset. Et ecce dum apud PITSEVM, BALEVM, aliosque complura tum huius, tum aliorum opera recenseri viderem; dolui sane & ingemui videns tot viris sanctis & eruditis olim floruisse Angliam, nunc vero tam pios ac eruditos eorum labores librosque latere, vel cum tineis blattisque luctari, nec esse qui eos tandem è tenebris latebrisque in apertam lucem vindicent.*

Porro dum ex Catalogo Bibliothecæ Bodleianæ Oxoniensis *EPISTOLAS GILLEBERTI M. S. illic ex are cognoscerem, exarsi protinus earum desiderio, & tentandum censui, quid ab Anglia sperare posset hac in re fauoris & subsidii votis meis ad incrementum publicæ vtilitatis. Tentaui; scripsi Oxonium; & ecce obtinui, quod optaui, citius etiam, quam sperauerim, nempe è longinquo, & ab exteris, ne dicam, ignotis, factus tam facilè voti compos, qui vicinos, ipsos etiam quorum res propius agi videbatur, non semel expertus eram illubentes, & difficiles.*

Vt verò, & tu, mi LECTOR, nôris, quibus vnà mecum gratiam debeas (nam ingenui est agnoscere per quos profeceris, & à quibus beneficium acceperis) non sunt mihi hic ingrato silentio prætereundi VIRI Clarissimi, Ioannes Ressus & Gerardus Langbainius; *quorum ille Oxonii Bibliotheca Bodleiano Præfectus primarius, Exemplar GILLEBERTI M. S. libens describendum dedit. Hic vero Collegii Reg. ibidem socius, industria manuque propria descriptum liberaliter ac perhumaniter transmisit, quin & auctarii loco Censuram* Lelandi de Gilleberto, *cum NOTIS adiunxit. Quæ si hoc loco sibi vnà cum EPISTOLA ad me data legenda dedero, nihil videbor abire, aut tuo commodo fructuque facturus.*

EPISTOLA sic habet.

ACcepi tuas Nonis Iuliis ad nos datas: inde de proposito tuo in recudendis S. BERNARDI Operibus, bonis omnibus meritò laudando edocti sumus. Quod nos tibi serio gratulamur: Et si momenti quicquam in tanti Patris gratiam conferre possumus, operam nostram prolixè pollicemur. Habet quidem instructissima hæc nostra *Oxoniensis Bibliotheca* (præter eos quos *Iamesii Catalogus* agnoscit) ad aliquot Auctorum millia, MS. omnia. Quem penum litterarium, cum benefactoribus aliis, tum vel maximè N. Cantuariensis munificentiæ acceptum ferimus. Inter hæc vt & aliorum Patrum BERNARDI quædam adhuc inedita, sed an ab illis diuersa, de quibus spem nobis facit noua hæc quam adornas Editio, pronunciare non possum. Et certe nondum mihi per otium licuit omnes Bibliothecæ nostræ foruloss excutere, quo absolutum ὑπόδειγμα istiusmodi syllabum tibi repræsentarem. Interim quod maximè ex votis habuisti *Gilleberti Abbatis de Hoylandia Epistolas*, partim mea manu descripsi, partim ab alio, grauioribus ipse negotiis districtus, meo sumptu transcribendas curaui. Quas ecce tibi ad Exemplaris fidem diligenter collatas transmitto. Opus haud dubie [illegible], nec in alium parentem, quam *Homilia in Cantica* referendum. Sunt enim aureo vtrique libello tamentu quædam communia; nec dubitauit Author de suo mutuare. Adieci insuper & quæ LELANDVS noster in libro *de illustribus Britanniæ Scriptoribus* de GILLEBERTO hoc litteris mandauit; vnde (vt reliqua fere omnia, præter impotentis linguæ rabiem) in nouissima editione sua hausit *Baleus*; & ex Baleo, licet reclamet vsque *Pitseus*. Qui quanquam *Lelandum* passim iactet, permulta tamen sunt in ipso Lelandi autographo (quod M. S. apud nos seruatur) quæ fidem faciunt non ex Lelandi fontibus, sed Balei lacunis *Pitseum* hausisse. Sed quid tum postea? Hæc certè in eum finem à me dicta, ne diutius te torqueri pateter (?) illa spe iua de S. BERNARDI vita à *Gilberto* conscripta. Persuasissimum enim habeo, frustra futurum, quisquis opus illud sollicitius quærat. Primus (quod scio) errorem istum errauit *Gesnerus*, qui non modo *Bernardi* vitam à *Gilberto* scriptam, sed & operibus eius Parisiis impressam tradit *Anno* 1513. Postremum hoc à vero quam sit remotum, non est quod te moneam. Si coniecturæ indulgere liceat, Gesnerum fefellisse dixerim, siue nominis ipsius, siue implicati characteris affinitatem, & Gilhelmus siue Guillermus in schedis repertus, in Gilbertum, siue Guillebertum transiit. Certe antiquæ Scriptionis formulæ non ita abhorrent: Hoc Gesnero imposuit, Gesnerus Baleo, Baleus Pitseo, & [illegible] Vossio, cæterisque. Accedit, quod apud *Bernardum Bonavallis Abbatem*, qui de *Claravallensis* nostri vita librum secundum priori illi à Guilhermo conscripto adtexuit, altum prorsus de Gilberto silentium, Guilhermi aperta mentio. Imò quod caput rei est, disertè asserit. Claræ-vallensium nullum si Guilhermum excipias, in arenam istam ante se descendisse. Nec credibile est, *Gilberti* Authoris non adeo longo temporis interuallo ex otiori commentarios vel latere Bernardum potuisse, vel ipsum commissurum vt prudens sciensque prætermittet. Sed de his ipse melius statueris, coniecturam interim hanc meam æqui bonique consulens, & in re adeo ancipiti πάντα λίθον κινῶν. Gesnerus in Gilberto & Bern.

Quod ad Epistolas *GILBERTI*, velim vt viro mihi amicissimo *D. IOANNI ROSSO Bibliothecæ Bodleiano Præ-*

fello primario promissi reus grates persoluas; vt qui M. S. Codicem describendum nobis haud grauatè permisit. Et si quid vlt a sit, in quo vel ipsius, vel mea opera tibi vsui esse possit, fidem obligo non defuturos Viro mihi ob studiorum similitudinem meritò colendo. Nam & nos etiam in Authoribus aliquot non vltimæ antiquitatis è situ & tenebris in lucem asserendis operam ponimus. Scilicet cum nobis diu viuere negatum sit, hoc agimus; vt posteritati aliquid relinquamus, quo testemur nos aliquando vixisse. Perge porrò, & tu clarissime Merlone, quod facis facere, & nos ama. Deus opt. Max. studiis nostris benedicat. Vale. Dabam Oxonii in Collegio Reg. A. D. 5. Calend. Octob. 1640.

Gerardus Langbainus Collegii Reg. apud Oxonienses socius.

LELANDI ANNOTATIO
DE GILLEBERTO ABBATE.

Ex libro de *Viris Illustribus Britanniæ*.

Gilbertum monachum Cisterciensis Ordinis *fuisse scribit* Trithemius; *eundemque affirmat non mediocriter in litteris profecisse, ac tandem Abbatem factum. Porrò meminit eius* Operis in Cantica Canticorum. *Insumma colligit hominem Anno Domini 1200. floruisse. Breuiter hac ille quidem tam obscurè, vt illustri opus sit facula, quæ tenebras discutiat. Sed næ ego parum verecundus sum, qui Trithemii obscuritatem, in re quam ipse illustrare non possum, notem. Ne tamen omninò temere notauisse videar; non fenestram, sed rimulam, qua radiolus illuceat aperire volo.*

Fuit hic Gilbertus *Anglus, vt ego nuper* ex Epistola oraculo Cyrilli Carmelitæ *præfixa didici: quæ licet nullius præ se ferebat nomen: habebat tamen nescio quid, quod* Ioechimum Florensis Cænobii Abbotem *sapiebat. Cuiuscunque erat, pro me loquatur ipsa,* Frater Gilbertus Anglicus magnus ille theologus, Cisterciensis monachus, qui & ipse hunc libellum curiose exposuit. *An non iam aliquantulum lucis promissi attulimus? Cum & Anglum fuisse constet, & interpretem vaticiniorum Cyrilli è* Anglicus, *ne hic ignarus sis, lector, Gilberti cognomen non fuit. Solemne olim erat exteris* Anglici *cognomentum, minus quidem proprium: at plausibile satis, nostris procul à patria studentibus indere. Hinc Gilbertus Anglicus dictus.*

Fuit & alter Gilbertus Anglicus, *professione medicus, sed memoria recentioris; cuius practicen & compendium medicinæ multi ad quæstum properantes diligentissimè legebant.* Tertius* *quoque accedit* Gilbertus Visimonasteriensis Abbas, *qui homilias 47. super Cantica scripsit. Quæret à me forsitan curiosus aliquis verum* Gilberti *monachi cognomen. Certè ita vsus inualuit, vt nobis tam monachi quam medici propria nomina prorsus abstulerit.*

Iam quod scribit Trithemius *Gilbertum Abbatem fuisse, nec probare, nec improbare intendo, in vtramque tamen partem quod dicam aliquid habeo. Ex verbis* Epistolæ *cuius supra mentionem feci, nihil elucet, vnde rectè colligere possim* Gilbertum *Abbatem fuisse: Nihilominus cum nuper essem Bellolandæ monasterio Eboracensis agri Cisterciensibus consecrato, incidi in theologicas conciones cuiusdam* Gilberti Abbatis, *(si vera fuit inscriptio)* Hoylandiæ. *Sed quæ sit ista* Hoylandia: *nondum percognitum habeo. Scio Batauorum patriam vulgò appellari* Hoylandiam, sine Holandiam: quo etiam nomine vocatur & apud nos regiuncula qua* Velandæ *&* Lindi *magnorum fluminum ripis inferioribus complectitur. Num tamen apud Batauos siue apud Lindios nostros cænobium sit* Hoylandia *dictum, mihi planè incertum est. Denique vt paucis concludam, non mirum est quod Anglis* Gilberti *vita obscura sit: nam vt ego mihi persuasi, studuit, longum vixit, forsan & Cistertii, ac tandem procul à patria obiit.* Trithemius *eius vitam designat* Anno Domini 1200. Ioannes* Baleus Carmelita *correxit numerum, ac annos octoginta super addidit, at quâ authoritate planè incertum.*

* Hæc de tertio Gilberto ex secundis curis addita sunt, & certè melius abessent: infesti enim erroris est hûc à primo distinguenti.

* Eo nomine etiamnum appellatur Lincolniensis agri pars tertia, in quo Monasterium Suuinettense olim situm: cui præfuisse creditur Gilbertus.

* Prima Balei editio Lelando paulo antiquior, secunda & tertia longè recentior & post Lelandum fato functum emissæ. In quarum nouissima manifesti plagii in Lelandum passim tenetur.

Plura de Gilberto nostro vide initio Tomi V. præmissa Sermonibus Eiusdem in Cant.

GILLEBERTI ABBATIS DE HOYLANDIA ORDINIS CISTERCIENSIS EPISTOLAE ET DISSERTATIONES ASCETICAE.

EPISTOLA AD Fr. RICHARDVM.

Richardum correptione, vt apparet, vel nescio quo asperiore verbo offensum; sed iam denuò placatum, & amicum factum miratur ac prædicat.

1. Prouerbium. a Mich. 7. b. Non facile credendum cuiuis amico. Amicorum delectus.

TAm vero quam veteri vteris, mi Richarde, prouerbio. *Omnia cum amico deliberanda esse; de ipso tamen prius. Noli*, inquit Propheta [a], *amico credere; & in duce ne habueris fiduciam. Ab ea qua dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.* Simulatæ amicitiæ veras in suspitionem adducunt, & virtutis huius raritas facit, vt de veritate dubitetur. Felix qui neutram impingit in partem; sic in contrahendis amicitiis prudentem se exhibens, ne sit in prouidendo nimius. Inutile siquidem arenæ mandare semina; miserius multò non seminare omninò, ad ventos & nubes respectantem. Vilissimis in rebus solliciti possessores sumus; in preciosissimo possessionis genere (amicitias dico) omnino inutiles. Lapsantē amicum quis fere est qui releuet, cum domum ruentē nemo non suffulciat? Hæc idcirco dixerim, vt virtutem hanc in te commendet ipsius raritas, & multitudini collata negligentium clarior emineat.

2. Perspectâ Epistolæ tuæ facie philosophicū mox illud recensui. *Et post malā segetem serenū est.* Tanta auiditatē ad amicitiarū mihi videris æstuare cōmercia, vt vbi paulo ante naufragiū pertuleris, nauigatione iterata restaures. (Seneca Epist. ad Lucil.) Prudenter planè vnius forsitan horæ felicior prouētus, longi temporis recompēsabit incommoda. Et vt de domestica aliquid Philosophia ingerā, Apostolicū illud in te experior [b] (b 1. Pet. 4. b), *Charitas operit multitudinem peccatorū*, Tantâ verecūdiâ amici castigas erratum, vt credaris veniam prætendere, non intendere querelā. Deniq; sic me amicâ mordacitate corrodis, illo vt me sale leniter perfricari sentiā, quē Domini sacrificiis abesse nō licet [c] (c Leuit. 2.). Volâsti ad me vnus de Seraphin succensus ac flammigeris totus: & vrenti carbunculo quem de altari tulisti, labii nostri lapsū expurgas. Quanto mihi grauior culpa tātò gratior correptio. Verè alium te experior quā arbitrabar. Nunc tandē aliquē mihi gustū prudētiæ tuæ dedisti. Siquidē in patiētia sapiens dignoscitur [d] (d Prou. 19. d). Patientiam tuā admiror & veneror. Dissimulas iniurias, prouocantē reformas ad gratiam; complanas exasperantē & immeritū numeras, immò malè meritum. Munera tua munera mihi grata sunt, grata auctore, grata & vsu. Illa & te mihi præsentant, & me informant. Nesciunt muta esse munera sapientis. Quod enim mihi in baculo innuis, nisi vt rectus sim & rigidus? Ne sim arundineæ flexibilitatis & fragilitatis, iuxta illud Prophetæ [e] (e Esa. 36. a & 4. Reg. 18. d). *Baculus confractus arundineus Ægyptus, in quo qui innititur perforabuntur manus eius.* Talē tu me inuenisti; & confractionis nostræ hastulis manus tuæ cruentari poterant; nisi quod illæ solidiores sunt, & oppositos retundunt aculeos. Benedictæ manus quæ nesciunt calamum quassatum conterere; magis autem considant [*] (* fort. consolidant.): neque linum fumigans extinguere. *Confundentur qui operantur linum, pectentes & texentes subtilia*, ait Propheta [f] (f Esa. 19. b). Propterea confusionem indutus sum, qui lanæ simplicitatis tuę, simulationis meæ linum subtexui. In cuius duplicitatis suggillationem geminum mihi forsitan calicem transmiseris. *Pondus & pondus mēsura & mensura, vtrumque abominabile* [g] (g Prou. 20. d). *Væ qui potū dat amico suo, mittens fel suum & inebrians, & aspiciat nuditatem eius* [h] (h Habac. 2. c)? *replebitur ignominia pro gloria.*

3. Quorsom ista, Frater, nisi & lenitatem tuam cōmendem, condemnē autē iniquitatem meā. Sed quoniā longum est per singula currere capitula, verbū tibi abbreuiatū & consommans facio. Insipienter locutus sum, & quasi vna de stultis mulieribus. Agnosco delictū: Ignosce tu. Rogatus non negabis veniam quam gratis offers.

A Possem excusationes prætēdere, attenuare immanitatē reatus, peccati pondus alii impingere; & in ferientis caput quo vulneratus sū ferrū vibrare, sed parco, ad precē magis supplicationesque cōuersus. Nolo enim, dū scissa resarcio, vtcūque sarta rescindere: & vt latus meū protegam, alterius vulnerare. Hoc tamen non sileo: Domus vestra non benè compacta est; squamis se prementibus; vna vni nō firmiter cohæret: & nimis facilè nō pacis sed dissensionis spiritus incedit per eas [i]. (i Iob 41. b) De cætero quod diem protraxerim, quod diu noluerim, quod tarde faciā, quod oneri te mihi futurū dixerim, strictim respondeo. Multa inter loquendum proferimus, alienū magis animum prætentādo, quam præcipitando nostrum. Nam & vnde tecum loquar, & ex cordis mei sententia, societatem tuam optaui & opto: sed distuli, vt cōmodius fieret, solatio te magis, quam oneri mihi futurum præsumens; propter morum forsitan studiorumque similitudinem: Vtinam æternùm te magis, quàm ad tempus recipiam; ad manendum, non ad remeandum. Vale.

EPISTOLA AD ADAM.

B *Hortatur Adamum, vt aliquando meliori proposito de amplectendo statu Religioso, reiecta seculari fiducia, ad altiorem, id est, diuinam, aspiret, nec differat obsequii gratia verbum.*

1. QVantum te cupiam in visceribus Christi Iesu, mi Adam, vtinā ipse nosses; quod noster tibi sermo explicare non sufficit. Iam pridē id optaueră, sed temperabat votum desperatio quædam. Nunc autē solido vberius excreuit, & increbuit desiderium, exarsitq; in cōcupiscentiam conuersionis tuæ, conceptâ iam spe, sed satis tenui, de verbis tuis; verius (quod pace tuâ dixerim) ne verba illa leuī tibi quodā exciderint mētis impulsu momentaneo. Sed dixeris ea vt liber, & fuerint vel nimis promptulo subitaneoq; elapsa affectu, vel prouida deliberatione prolata, omninò, nisi bena de te sperare non possum, domestico commonitus exemplo. Atq; vtinā ipsum te nostra commoueant, immò commoueant exempla: & arreptis pennis columbæ in locū quietis felicimē compendio præuoles, qui tardius cœperis. Quam latā & patentē ad æmulandū fenestrā dederis, mox aliis futurus exemplo! Et vt de nostris interseram, ingens ostium ad virtutis viā. Deniq; audire mihi videor de Canticis illud tibi decantatum iri. *Trahe nos post te; in odorē vnguentorum tuorum curremus.* (a Cant. 1. a)

C 2. Felix planè, & bisfelix, si conuersionem tuam salutis occasionē aliis effeceris: si ad virā veritatemq; traxeris, qui post te currunt modo; volebā dicere in vanitate, sed veritus sum, ne fortè tenerū & nascentē adhuc in Christo affectum contristem. Non quod ego artium eruditioni derogo, & liberalium doctrinarū promptæ memoriæ & perspicuæ intelligentiæ, in quibus scientiæ consistit integritas. Bona enim artium notitia, sed si quis eâ legitime vtatur, id est, tanquam gradu quodā & vestigio, nō quo stetur & inhæreatur, sed quo vtendū sit ad superiora quædam & sanctiora, & magis intima arcana sapiētiæ; in recōditos & suaues recessus, & in ipsam lucē inaccessibilē, quam inhabitat Deus. Quam artiū omniū artē dixerim, & legem, & formam, & normā, & rationē, & exemplar vniuersale, vniforme inuariabile: vltra quam sicut nec progredi possumus, sic nec citra subsistere debemus. Cuius respectu omnis alia quæcumq; & quātacumq; fuerit sapientia, non modo vana est, si istam non æquat, sed etiam iniqua, si ad hanc se non dirigat. Si ita studiū nostrū (Studia artiū liberalium quatenus probanda.) (NOTA De studiis & eruditione in debitum finē scopumque referendis.)

sollicitet & alliciat ad se, vt delectationem nostram detineat & deludat in se, hocque fine contritus conquiescat animus, repulsam pastus ne pergat ad secretiora: pastus in anitate & quasi pictis epulis, vt nũquam esuriat & nũquam degustet quã suauis est Dominus? Quid enim nisi suauis Dominus [a]? Delectat te vehementer, animum amotemque abripuit attraxitque ad se tuũ exigua hæc & ambigua naturarum rationumque notitia, ad quam vix longo circuitu vt sinuosis anfractibus peruenitur. Quid ergò ipsa à qua omnia hęc & instituũtur vt sint, & illustrãtur vt nota sint, creatrix sapientia? Nonne multò ambitiosius eius se tibi commendabit perceptio? suauitatẽque suam blandius serenatis infundet sensibus, inusitatis affectibus inexplebilem in se prouocatura concupiscentiam? siquidem *qui edunt me*, inquit b, *adhuc esurient: spiritus enim meus super mel dulcis.*

a f. *quid nisi suaue nisi Dom.*

Sapientia diuina quantò augustior naturali.

b *Eccli.* 24. c

3\. Ampla quædam habes (amice) ad hoc ipsum mel receptacola; acre dicn & exercitatum ingenium, multarum subtiliumque rerum scientiam. Sed ego hæc quasi capaces fauorũ cellas reputauerim, & adhuc vacuas. Accede ergò, vt infundatis, vt repleantur receptacula tua: exuberent & redundẽt & refundantur in nos, iure tibi applausuros in illud Cantici. c *Fauus distillans labia tua.* O si quando in domo Domini disputantem te audiam! secretos sacratosque exponentem sensus! attingentem & distillantem tenuiter nobis aliquid de diuinæ maiestate essentiæ! de æternitate, immensitate, simplicitate: vbi nihil exiguum est, quia simplex est; nec multiplex, quia immensum est; sed totũ infinitum est: Nõ temporali successione, nec mole & distensione locali, sed vi essentialique potentia. Quæ quidẽ tota vbique est, sed in se tota: quoniam in nullo tota eius virtus, veritas, voluntas vel expẽditur, vel exprimitur. Vbi possunt disputandi * gradus quidam esse, & distinctæ secundũ nos significationes nominum, res autem vnica & inseparabilis. Plena sunt omnia admiratione, & digna veneratione, & inuestigatione delectabilia. Denique vt scriptum est d, *Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.* De huiusmodi te libenter prophetantem audiam; & cum te in immẽsum pelagi huius profundum immerseris curiosus scrutator, aspergentẽ his qui ad vberiora habiles nõ sũt, suauẽ vitalis rorẽ sapientiæ. Cũ verò diuina te conuerteris ad beneficia, tũc profusius explicantẽ, & expedientẽ copiosius quæ senseris de venia, gratia, gloria, de his quæ vel dedit, vel reddidit, vel addidit, & vniuersis quæ pro nobis pertulit & contulit nobis Dominus, proponentem nobis præcedentes in Christo passiones, & futuras glorias, patientiam tribulationum, & expectationẽ retributionum, elemẽta fidei, & morũ instituta, & singulos percurrentem renouationis & profectuum gradus.

c *Cant.* 4. c

A secularis scientiæ studio ad diuina studia hortatur.

* f. *disparata.*

d *Eccles.* 1. b

4\. Copiosa hæc planè materia & concupiscibile negotiũ. Nec est vbi se fæcundius & fructuosius exercere potest quamlibet vel ardens vel eruditum ingenium. Hæc idcirco dixerim ne inanium te studio excuses literarum vmbrã secteris priuandus lumine: ne Aristotelicis districtus argutiis silentiũ nostrũ & simplicitatẽ causeris. In his enim vel maximè administratur occasio, vt reuelata facie gloriam Domini speculante in eandẽ imaginẽ transformemur à claritate in claritatẽ tanquã à Domini spiritu e. Otiosum ne tibi nostrum videtur & iners silentium, in quo istud geritur negotii? In quo & traditur & exercetur ars quædam vel directam ad lineam progredi in Deum? transformandi & transmutandi se in nouum hominem? in nouum Adam? Et pertingendi vsque ad sensũ Christi, in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ Dei f? Perennes omninò hic & ferè in promptu sunt radiantes omninò metalli venæ, si tamen in altum quis fodere maluerit, quam foris mendicare.

e 2. *Cor.* 3. d

f *Coloss.* 2. a

5\. Non ego tibi nunc collata in te diuina recenseo beneficia, gratias Domini & ingratitudinem tuam; immò malam mercedem optimo relatam muneri. Non perniciosa sæculi oblectamenta, in quæ ardenti pronius studio, ita vt Domino terga vertamus, & non faciem, quantum possum verbis extenuo; nec medicioales in præsenti expono molestias; Nõ futuras intendo pœnas, & propo-

A no gloriã, nec in longinquũ metũ vel expectationẽ tuã mitto. Tãtum de instanti persuadeo pingere †. nõ de futuro præmio: de primitiis, nõ de plenitudine. Nõ est facultatis meæ rem verbis prosequi; nec dignum est tantæ maiestatem materiæ angustiis oris nostri coarctari. Tantum experiri velis, & scies, quoniam cantabiles iustificationes Domini g. Etiam in loco peregrinationis huius: & futuræ in fine sæculi messes, primitiuis seminantur in gaudiis. Noli dulcia † differre in annum. Noli, quæ se tibi vltrò ingerit, obsistere gratiæ. Væ mihi si illam excluseris à te quem inueni penes te. Sequere alacri & impigro pede, quo te prima eius vocant blandimẽta. Iussisti vt mitterem ad te, atque vtinam ibi inueniatis vbi dereliqui te, in ipsis dico ianuis, & ferè in limine, iamiamque exiturum de conuersatione sæculari. Si tibi in aliquo necessarius videbor, totum me impendam, quia totum debeo. Præsentiam magis, quam epistolam expecto. Vale.

† f. *pingere* vel etiam non incommodè *pangere* i. e. paciscere

g *Psal.* 118. a

† al. *dulcia.*

EPISTOLA AD GVILLELMVM.

Dehortatur eum à periculosa profectione in Curiam; & aliam quandam spiritualem profectionem seu motum & progressum illi commendat.

B Dilecto Fratri Guillelmo Fr. G. Salutem in Domino.

DEsideratissimus Frater noster R. abundè suo nos exhilarauit aduentu: & nũciata incolumitate vestrã gaudio vberiore perfudit; salutationis obsequia deportans, repostulans suffragia orationum. Vtinam copiosius solito ad munus istud manus nostra sufficiat, & tantò plenius absoluã quantò parcere nobis in reliquis decreuisti. Audiui etenim te satis crebrò repetitisque verbis plenis significantẽ frequentius ingessisse, orationes vt tibi solicitus impenderem; de cætero fore me securum. Pręclarè, Frater, omninò, & vt virtutis virũ decet. Quid enim? aliud ne est quod vel quisquam libentius rogare debeat, vel monachus licentius possit? Erubesce ad quorundã impudentiã, qui cum omnia sperare debẽt, necessaria quidem, à Patre Monasterii; emẽdicatis vndecũque suffragiis, subtiles quasdam & exquisitas exinde pelliculas comparant; portentuosas vestes & peregrina palliola, cæteraque quę enumerare longũ est, in odoribus, coloribus, saporibus, voluptatis irritamenta; instrumẽta vanitatis. Denique quos reparare oportuerat ab his quæ concessa sunt viui; ostentui impudenter inseruire videas. 1.

Religiosus nihil petit securius quam orationes.

Religiosorũ quorundam procacitatem perstringit.

C Quem næuum longe abesse moribus tuis, vox illa tua toties replicata declarat, & detergit à te lepræ huius colorem nimis latè respersum. Durus ego & inhumanus, & cum in reliquis formosus sim, vt ipsi aiunt, denigrata est in hac parte super carbones facies nostra, quod erogare non noui, nisi quæ consueui rogare. Obloquantur quantum voluerint; improbitatem suam auaritiam nostram faciant, & de mollicie suã cudant mihi duritiam. Ego quidem posui faciem meam vt petram durissimam; & confracto illorum malleo, spero, quoniam non confundar. Fuerim minus communis, fuerim tenacior; libenter hoc me næuo decolorari sinam: dummodò panem filiorum canes, imò catelli isti delicati & tenelli nõ comedant, nec sordes pauperum Christi, superuacuas aliorum munditias faciant: neque de fugiente fratris ventre vanum mihi nomen & falsos conquiram fauores. 2.

Prælatus Monasticus qualis esse debeat erga suos.

D Sed me interim omisso ad te vt reuertar, commoneamque al quid à nobis esse petẽdum; orationes tu postulasti, ego ex abundanti ad exhortationem me verto; æmulor enim te Dei æmulatione. Timeo autem ne corrũpantur sensus tui à simplicitate quæ est in Christo: ne incassũ pro te preces effundantur, qui vltro prorumpis ad casum; frustraque liberari te roges, ad laqueũ consultò festinans. Profecturus es, vt audio, ad Curiã, eoque profecturus, vbi impeditũ iri te suspicaris. Veteres vadis eũ Duce renouare necessitudines, sepulta imò sopita suscitare desideria, iuxta illã de Struthione parabolã a, compressas diu & complicatas in aliũ alas euecturus, cũ tempus acceperis. Sed & ciconia & hirundo visitationis suæ diem cognoscunt b, cum aura cœperit flare tepidior. Manifestè ad te loquor, quæ alii in occulto forsitã loquuntur de te. Ad curiam vadis, & ignoro, an vocatus. Quid illic tamen acturus? animæ tuæ curam cum Duce com- 3.

Curiæ commercium religiosi propositi detrimentum.

a *Iob.* 39. b

b *Ierem.* 8. c

mnnicaturus; æſtus cordis tui eius refrigeraturus allo-
c Matth. 24. a quo. Ira fortaſſis, ſed eo frigore, de quo ſcriptum eſt [c].
d Oſee 6. b *Refrigeſcet charitas multorum.* Audi denique huiuſmo-
di exprobrantem Prophetam [d]. *Quid faciam tibi E-
phraim? Quid faciam tibi Iuda? Iuſtitia veſtra quaſi nu-
bes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.* Matutina
planè, magis autem momentanea; cum enim vix ſpiri-
e Cant. 5. a tu cœperint, mox carne conſummantur [e]. Tales mul-
tos toleraſſe ſe queritur ſponſus in Canticis [f]. *Caput me-
um plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Nam
cum propter vitæ ſublimitatem quaſi Domini in caput
aſcenderint, hærent in crinibus; & maiore in exteriori-
bus, & à vitali ſpiritu alienis occupatione inſenſibiles
redditi, quæ Dei ſunt, ſapere neſciunt. Denique non
habens in talibus, vbi caput reclinet, ſi quem intus re-
pererit, aperiri ſibi rogat.

4. Vtinam & tu intrinſecus commoreris, & pulſantem
ſtatim ad oſtium Ieſum, cum cordis ſuſceperis hoſpi-
tio, glorieris, & dicas; *Secretum meum mihi, Secretum*
g Eſa. 24. c *meum mihi* [g]: Viciſſimque gratam illam laudis vocem
accipies. *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus conclu-*
o Cant. 4. b *ſus, fons ſignatus* [o]: Signaculo quidem luminis & cordis
lætitiâ, ſignaculo ſeptiformis Spiritus, quod ſoluet ne-
mo niſi ſolus ipſe poterit, qui portam orientalem ſin-
gulariter ingreditur alienis clauſam, iuxta illud Pro-
h Ezech. 44. a phetæ [h], *Alieni non tranſibunt per Ieruſalem amplius.* Ta-
li incluſus paradiſo voluptatis, immò ipſe ſicut ager ir-
riguus, & ſicut fons hortorum, cuius non deficiunt a-
quæ, alienorum obſurdeſces ad vocem. Si ſæculi te ve-
xauerit ambitio, ſi dignitatem occaſio vocauerit, & in-
uitauerit blanda peſtis, ſpes honorum aliqua, ſponſæ
i Cant. 5. a continuo reſpondebis verbis, *Exui me tunicâ meâ, quo-
modo induam eam? Laui pedes meos, quomodo illos inqui-
nabo?*

5. Vides certe, Frater, quid eſt quod dimidiatis verbis
& vmbratum ſimilibus, tenui magis comprimens quam
premens, ſciens eſſe mihi cum ſapiente ſermonem: Vi-
des, inquam, quid eſt totum quod tibi ſuggerere volo;
vt periculoſa ab hac profectione te reuocem, & falce
quadam commonitionis noſtræ celeris lapſus occaſio-
o Eſa. 62. d nes præcidam; ad Prophetæ [o] præceptum, planum tibi
faciens iter offenſionis lapides eligens de via. Multa
mihi eſt ſollicitudo pro te, multa fiducia apud te. Alio-
quin mallem inueteratas tecum neceſſitudines attenua-
ri ad tempus, quam ſilentio ſupprimere, quæ ad ſalu-
tem tuam ſpectare crediderim: perdere familiarita-
tem, quam teneram & creſcentem adhuc in te humi-
litatem periclitari. Currebas benè, caue ne faſcinatio
k Sap. 4. c nugacitatis obſcuret bona tua [k], & illibata manente
conſcientiâ, in diſcrimen ne vel fama ducatur. Currebas,
inquam, benè, vbi nunc impigrè properas? Currebas
benè, ſed quid ſi non conſummaueris? Conſumman-
dus in breui conſumere vis tempora multa: vt iam tibi
l Gal. 3. a exprobretur à Paulo [l]. *Tanta paſſus es ſine cauſſa*, ſi tamen
ſine cauſſa.

6. Vtinam præſens eſſem modò, & iniectâ quadam
impigrâ viuæ vocis manu deducere te poſſem cum A-
braham in terram Chanaan, id eſt, *motus*. Qui enim *con-
m Eſa. 40. g fidunt in Domino, mutabunt fortitudinem* [m]. Bona mu-
n Eſa. 19. c tatio, quam loquitur idem Propheta [n]; *Erunt quinque
ciuitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan;
ciuitas ſolis vocabitur vna.* Bona planè, de Ægypti te-
nebris educi in lucem; & poſt Pharaonis domum in
ſolis iuſtitiæ ciuitatem dedicari. Bonus, inquam, mo-
tus; vbi transfunduntur & in lumen obſcura, & in v-
num plura. Denique & in pluribus perturbatio eſt, &
o Luc. 10. g vnum neceſſarium [o]. Bonus motus vbi conuertitur
& lippitudo Liæ, & ſollicitudo Marthæ in Rachelis cla-
ritatem, & Mariæ tranquillitatem. Hoc enim eſt quod
quæ Ægypti, id eſt tenebrarum, ciuitates fuerunt, Solis
dicuntur: & pro quinarii numero vnius tantum fit
mentio. Commutatum ſe nouerat qui loquitur in
Pſalmo [p], *Benedic anima mea Domino & noli obliuiſci om-* p Pſal. 102. b
A *nes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitati-
bus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de
interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſe-
rationibus.* Loquitur hic linguâ Chanaan, qui tot in ſe
recolit commutationes: de iniquitate propitiationem,
de infirmitate curationem, æternitatem de interitu, &
per ſingulos gradus gratias exhibet auctori: pióruṁque
indicus profectuum, quaſi quadam commutationis lin-
guâ, illud cum Pſalmiſta eloquitur [q], *Nunc cœpi, hæc mu-* q Pſal. 76. b
tatio dextera Excelſi. Et vt de Prophetico ſemine apo-
ſtolicas fruges metamus, quod Eſaias claudit Paulus de-
clarat [r]. *Fuiſtis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem* r Eph. 5. b
lux in Domino. Commutationem audiuimus; de con-
ſummatione nos admonet *Vt filii*, inquit, *lucis ambulate.*
Qui ambulat in die non offendit, creſcat lux tua vſque
ad conſummatum diem; & * cum conſummaueris in- * f. vt
choaſſe videatis. Audi quomodo ipſe Paulus currebat &
creſcebat, non modo de tenebris in lucem, ſed de luce
in lucem. *Nos*, inquit [s], *reuelatâ facie gloriam Domini* s 2. Cor 3. d
*ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate
in claritatem.*

B Cum aliquos, qui ſæculo renunciârunt, in ſæculo 7.
proſperari videris, greſſus tui non effundantur, ſed illis
impingentibus quaſi cæcis in meridie, ipſe glorieris &
dicas; Non laboraui te Domine ſubſequens [t]. Qui e- t Eſa. 40. g
nim ſperant in Domino innouabunt fortitudinem, vo-
labunt, & non laborabunt; ambulabunt & non defi-
cient. Longum erit ſi per ſingulas virtutum innoua-
tiones, quaſi per quaſdam manſiones terræ Chanaan du-
cere te velim. Et quidem primo loco pio Patriarchæ imi-
tatori veniendum eſt in *Sichem*, vbi humiliatis ſuppoſi-
tiſque humeris (Sichem enim humeri dicuntur) leniſſi-
mum Chriſti onus ſuſcipiat. Si quidem *bonum eſt homini
cum portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua* [u]. *Dabit* u Thren. 3. d
percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis [x]. Simul- x Ibid.
que obſerua in ſaturitatis verbo non leuem quandam
tolerantiam, & ſummis prælibantem labris, proiicien-
témque quæ amara præſenſerit; ſed inexplebilem eda-
citatem aduerſa tolerandi. Indéque poſt felicem affli-
ctionem & medicinalem moleſtiam pertranſitis *Geraris*
[y], & diſſipatâ veterum maceriâ inimicitiarum, de fora- y Gen. 26. e
minibus petræ & cauernarum fiſſuris, liberis ad ſponſi
C inuitationem elapſus volatibus, ad *Berſabea* [z], fluenta z Ibid.
euadat. De *Sichem*, inquam, id eſt, de humiliatione &
oratione ad *Berſabea* veniat; ad puteum *ſeptem agnarum*
[a], magis quidem omnium gratiarum. Humilibus namque a Beer-Sabe;
dat Deus gratiam [b]. Et quoniam alia ratione *puteus ſa-* i. e. puteus ſe-
tietatis dicitur, iuxta inuitantis vocem [c], *Venite ad me* ptimus. Vel
qui onerati eſtis, & ego vos reficiam. Poſt afflictionem ad puteus ſaturi-
refectionem properat, ſuauiſſimique liquoris hauſtu tatis
maiorem prouocatus in eſuriem, verum illud in ſe Sa- v. Gen. 21. d
pientiæ præconium experiatur [d] *Qui edunt me, adhuc* b Iac. 4. b
eſurient. Tacere iam decreui, quoniam te pridem forſi- c Matt. 11. d
tan tædere cœpit ad garrulitatem noſtram Vale; & Hie- d Eccl. 24. c
ronymum ſuper Eſaiam mihi, ſi placet, perquirito; vt
eum miſero, paratum eum habeas.

Breui Epiſt. poſtulatis ægrè ſe annuere ſignificat.

D PAce veſtrâ loquor, nimietas veſtra obſtinatum me
reddit: immò illorum qui interceſſorem te parant,
maior importunitas, meritorum in me tuorum aliqua-
tenus pondus attenuat. Miror, quod non etiam Domi-
num de fontibus adduxere ſuper nos, vt grauium nube
interceſſorum iteratò me obruerent. Vt breui tamen
tibi reſponſo ſatisfaciam; rem hanc quam poſtulatis, ſi-
lentio magis quam ſermone negare volui. Verecundè
quidem more meo, vt cætera, quæ nequaquam facere
decreui. Differo tamen magis quam definio reſponſum,
donec in breui ſimul conferamus. Vale.

DISSERTATIO I. ASCETICA, Seu,

De contemplandis reb. diuinis, ad Amicum missa.

R. caussante de breuitate litterarum, nunc satis copiose respondet non tam litteris, quam prolixis dissertationibus. Sed vnde sumat materiam; non quidem à rebus familiaribus, (nedum nimibus fabulis) quales inter amicos agitari solent; sed à rebus grauissimis, ac prorsus diuinis. Videas enim hoc sublimes de rerum cælestium contemplatione, ac diuina fruitione sermones siue discursus planè sublimes, & tantum non extaticos. Talibus quippe cum Amico colloquiis se delectari scribit; Nihil mihi iucundius, *inquit*, hoc commercio, nihil suauius; dummodò ipsi habeamus sermonis materiam, quem amoris caussam. *Nempe vere religiosi de litteris religiosè scribendis. Sed vide S.* Bern. *Epist. 89. & vid.* NOTAS.

1\. Satisne protractum tibi videor sermonem texuisse; & quod in superioribus decurtatum fuerat, supplêsse in istis? Nimius fortasse & in hac parte fuerim, & oneri tibi nunc sit nostra prolixitas, qui prius de breuitate caussabaris. Breues enim à me tibi dari non epistolas, sed clausulas verborum questus es, mi R. & dum adhuc ordirentur succisas. Illud adiiciens periocundū tibi fore, si amici raritatem colloquii pagina compensaret prolixior. Me autem occupationes caussante tuas, fastidioq; parcendum esse lectoris, tu de reliquo iubebas esse securum. Itaq; vt pro me fateat, nihil mihi iucundius hoc cōmercio, nihil suauius; dummodò ipsū sermonis habeamus materiam, quē amoris caussam. Si ipse sonet in ore, serenet in corde; intus parturiat, quod depromat foras. Deniq; & legis[a], *Si quis loquitur quasi sermones Dei*, quasi à Deo datos, & quasi ad ipsum relatos. Ab ipso enim est gratia; penes ipsum caussa; in ipso materia copiosa planè. Quis illā explicet? Quis, vt taceam de essentia sileā, eius loquatur beneficia? Eius & iudicia? Nullus hic sermo nimius: nullus satis multus. *Exaltate*, inquit Scriptura[b] *Dominum quantum potest: maior est enim.* Diues sanè materia; dulce negotiū. Quid enim dulcius? quid hac occupatione gratius; quæ sola fruitionis angelicæ & futuræ cōuersationis superinduit & vestit imaginem. *Bonū est*, inquit Psalmus[c], *confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime. Quia delectasti me in factura tua: Et in operibus manuum tuarum exultabo.* Si sic delectat, sic lætificat magnificentia tua Domine, essentia quid faciet? Si complaces in operibus tuis, in te ipso qualis nobis eris?

Vide quale vir sictus velit colloquiū cum amico; nempè vt ipse sit sermonis materia, qui amoris caussa Deus.

a 1 *Pet.* 4. c

b *Eccl.* 43 d En qualis religiosos viros sermo decet.

c *Psal.* 91 a

2\. Felices qui id prælibare possunt; vacare & videre quā suauis est Dominus! Heu me quod nō in hoc ipsum liberè labuntur tempora? quod distracto mundacibus curis animo curiosus quodāmodò & dimidiatus, ad tam pium accedo spectaculū. Quod de eius iugitate cum Propheta gloriari non licet[d]. *Super speculā Domini ego sum stans iugiter per diem: & super custodiam meā ego sum stans totis noctibus.* Non illi in vacuum diffluebant tempora; immò non ipse vagabatur & volitabat cum tempore, qui tempora religata tenebat, in sui custodia, vel Domini specula illa expendēs. Saluberis quidē illa, sed ista suauior. Denique aduerte illā nocti comparatam, istam diei. Quid enim, ait Apostolus? *Nos autem reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Optimum planè, immaculatum se custodire; nec conformari huic sæculo: sed longè præstantius futurum reformari, & transformari à claritate in claritatem. Huic speculationi instare, super speculum Domini stare est; & stare per diem. *Stans*, inquit, *iugiter per diem.* Quid ergo? Non sunt infirmata genua tua, benedicte Propheta à iugitate? Non sunt infirmata à ieiunio? Et quidem non ieiunium, sed suauis est magis epulatio huiusmodi speculatio. Denique qui habitat in excelso panis ei datus est: aquæ eius fideles sunt.

Viris pugnandū non posse continuo vacare diuina

d *Isa.* 21. b

e 2. *Cor.* 3. d

3\. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, vt volare possim in tam fidam & fœcundam stationem, vbi requies est, & refectio? Rarus nimis illò accessus; si tamen vllus. Rarus sed fortè & interruptus statim; & sicut vmbra cum declinat, ablatus: donec iterum locustarum more subitum excutiar in saltum. Bonus quidem saltus, de quo legis in Psalmo[f]. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est.* Denique & pro Idithun, id est, *pro transiliente*, hic Psalmus inscribitur. Transilierat cuncta quæ transeunt, ad ea quæ sunt & manent, mente transmigrans. Numerus ille sine numero, finis sine fine; finis miseriam exterminans, felicitatem non terminans[g]. *Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Finis idem ipse fidei ad lætitiam omni cernenti. Siquidem ipse Sapientia *attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter*[h]. A fine ad finem; à fide ad spem; attingens quasi via; disponens, quasi vita. *Ego sum*, inquit,[i] *via, & veritas, & vita.* Via deducens, veritas docens, vita dulcescens. *Hæc enim est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum*[k]. Cognitio hæc plena dulcedinis. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque ad finem*[l]. In hoc fine disponemur suauiter, quando ipse fuerit omnia in omnibus; delensque omnibus veteris hominis deliquia, absorpta erit à vita mortalitas, à virtute infirmitas, à veritate cæcitas; & carnalis concupiscentia ab abundantiâ spiritali.

f *Psal.* 38 a

Transiliendo temporalia vt videantur æterna.

g *Rom.* 10. a

h *Sap.* 8. a

i *Ioan.* 14. a

k *Ioan.* 17. a

l *Psal.* 15. a

4\. Quæ quoniam sibi, dum hic viuitur aduersantur, pugnandum est fortiter, vt pausemus feliciter; & pugna vertatur in pacem: Sicut scriptum est,[m] *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* O vera pax & plena pax! tantò magis vera, quantò minus varia: tantò plenior, quantò perennior. *In idipsum*; diuersitatem excludit; pax aduersitatem. *Non laborabunt frustra, nec generabunt in conturbatione*[n]. Quasi dicat. Non laborabunt sine fructu; nec laborabunt ad fructum. Nullus hic sine labore fructus, sine fructu labor frequens. *Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos*[o]. Modò parturimus & gemimus, tunc de partu gauisuri. *Non meminit pressuræ mulier cum puerum peperit*[p]: peperit enim masculum, in quo imago est & gloria Dei. Sed quando fiet istud; quando adimplebitur quod legitur? *Scimus cum apparuerit quod similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*[q]. Ad hanc visionem omnis creatura ingemiscit, suspirat, & parturit vsque adhuc[r]. Ipsa est verè sapientia diuinam nos suauiter disponens ad imaginem. In multis nunc vexati, tunc in cunctis benè disponemur[s]. Non per vices temporū, non per gradus profectuum: non de virtute in virtutē, nec de claritate in claritatem; sed simul & semel in omni virtute & omni veritate. An non hoc ipsum Esaies dicit[t]? *Antequam parturiret, peperit; antequam parturiret, peperit masculum.* Quæ est ista, quæ tanta cum festinatione sine omni fatigatione peperit? Vtique ipsa de qua loquimur, Sapientia; quæ dicit[u]. *Ego mater pulchræ dilectionis & agnitionis.* In his sine parturitione nos ad plenum pariet, quando sine difficultate in æternitate, in æternitate veritatem contemplabimur; charitati contemperabimur. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in nobis*, ait Paulus[x]. Ergo nunc parturit Apostolus, tunc ipse Dominus pariet. *Si ego qui cæteros parere facio, ipse non pariam; qui generationem præsto cæteris, sterilis ero; dicit Dominus*[y]: Immò erimus omnes docibiles Dei[z], conformes ei.

Hic pugnandum & laborandum, vt perueniamus ad pacem & quietem.

m *Psal.* 4. d

n *Esa.* 65. d

o *Gen.* 4. b

p *Ioan.* 16. e

q 1. *Ioan.* 3. a

r *Rom.* 8. d

s *Sap.* 3. a

t *Esa.* 66. c

u *Eccl.* 24. c

x *Esa.* 66. c

y *Esa.* 66. c

5\. Denique in hac conformitate de eius visione nata, in prolem renouamur masculinam. Siquidem vir imago est & gloria Dei[a]. Vnde non debet vir velare faciem suam, id corporis prætendens habitu, quod tunc erit in spiritu: quando mentis reuelatâ facie gloriam Domini speculantes in eandem transformabimur imaginē, absq; proficiendi articulo, & deficiēdi periculo. Hoc enim est quod admirando dicitur[b], *Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile? Si nata est gens semel, & si parturiuit terra vna die: quoniam peperit Sion filios.* Verè enim Sion; quæ *specula* dicitur, in die parit, & in die vna illa quę in atriis Domini melior est super millia. De qua & Propheta elias[c]. *Et erit dies vna quæ nostra est Domino: nō dies & nox: Et in tempore vesperæ lux erit. Quoniā quidem nō occidet vltra sol tuus, neque luna minuetur. Sed erit tibi Dominus in lucē sēpiternā.* Hæc est dies quæ nota est

a 1. *Cor.* 11. b

b *Esa.* 66. c

c *Esa.* 60. d

Domino: hæc eſt enim dies, Dominus *Nemo nouit Patrē niſi filius, & cui voluerit reuelare* d Ipſius reuelatio etiam nos dies efficiet: Similes ei erimus cum apparuerit. *Dies,* inquit, e *formabuntur, & nemo in eis.* eorum vtique quibus dicitur f, *vos eſtis lux mundi. Habebis nunc propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes quaſi lucernæ, donec illuceſcat dies* g. Iam quidem lucerna reconditur, cum Lucifer oritur. Euacuabitur enim ſermo propheticus, euacuabitur Apoſtolicus & ſermo & ſenſus. *Ex parte,* inquit h, *cognoſcimus: Euacuabitur autem quod ex parte eſt cum venerit quod perfectum eſt.* Propterea ait Philippus; *Domine oſtende nobis Patrem & ſufficit nobis.* Tu, inquit, Et patrem. Non alius quam tu; non aliud quam ipſum: Et ſufficit nobis.

d Matt. 11. d
e Pſal. 138. c
f Matt. 5. b
g 2. Pet. 1. d
h 1. Cor. 13. c

6. *Inuiſibilia* quidem tua *per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur ſempiterna quoque virtus & diuinitas* i. Sed aliud eſt videre te nullo mediante, aliud alieno beneficio. Quid enim mihi lucernam accendis? vt ſolem conſpiciam? bona lucerna, ſed infirmo oculo; bona ſunt vbera, ſed paruulis in Chriſto, bonum eſt ſpeculum; ſed melius eſt oſculum; ideò oſculare me tu oſculo oris tui; oris, inquam, tui, non operis tui; Intus os, foris eſt opus. *Quis mihi det,* inquit k, *te fratrem meum ſugentem vbera mea, vt inueniam te foris, & deoſculer te?* Quem inuentū foris deoſculari exoptat, vocat & ſugentem vbera, de incarnationis exinanitione aliquid ſignificans. Alio autem modo, & ſi in vnione perſonæ, per operis tamē indicia ſapientia artifex foris relucet; foris delectatur etſi ſuauiter nō ſufficienter. Fac quod ſufficiat, oſtende te ipſum, ego te foris ſtudioſè requiro, tardè inuenio, cum difficultate retineo, & quodammodo fugitantem, & elabentem votiuè deoſculor, bona hæc oſcula, ſed ſicut in imagine, ſicut in vmbrâ bona hæc oſcula, & ad tempus reficiunt; ſed non ſufficiunt, fac quod ſufficiat. Deoſculare me tu oſculo oris tui; oſculo Verbi, non carnis; veritatis, non imaginis; oſculo voluntariè indulto, non violenter extorto; oſculo manifeſtationis tuæ, & conformationis meæ, vt tibi compoſitus, tibi copulatus, in vno ſim ſpiritu: *qui enim adhæret Domino, vnius eſt ſpiritus* l: indiuiduus iſte amoris & vnionis complexus, iure *oſculi* cenſetur nomine. Et ideò tibi oſculādi delego officium, authoritatem attribuo, vbi totum eſt operis tui, non laboris mei, indulgentiæ tuæ, non diligentiæ meæ, manifeſtationis tuæ, non meæ inueſtigationis.

i Rom. 1. b
Ad viſionem beatam, quò perfectiorē ænigmaticā eò magis aſpirandum.
k Cant. 8. a
Oſculum verbi diuinum petit.
l 1. Cor. 6. d

7. Propterea dico, manifeſta mihi te ipſum, per te ipſū, ſicuti es, & ſufficit mihi; *ſatiabor, cum apparuerit gloria tua* m. Cum me infuderis vino illo, vino nouo, quod ipſe potas, ipſe propinas in regno tuo merum illud volo, non mixtum, purum, & ſine lacte, quia lac paruulorum eſt. Euacuabuntur quæ ſunt paruuli; meliora ſunt quidem vbera vino, ſed non iſto, magis autem optimum iſtud ſuper vbera. Denique non hæc inebriant, ſed illud, & mentis ſtatum, in nouos quoſdā inuſitatoſque trāsfundit ſenſus. Vbera dum ſuguntur, ſiccantur; illud quod inebriat, exuberat iugiter; nolo eius feruorem, lactis frigore temperari, purum expecto, & perenniter manans, ſic etenim legimus, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Inuſitata hæc planè ebrietas, quæ lumine fit, non liquore; ſinceritate, non ſicera. Ideò emitte lucem tuam, & veritatem tuam, plenitudinem, non pign⁹, quod præſentiam tuam tardet, gratiam temperet, lumē obumbret; quod in vmbra promittitur, præſtetur in lumine. In vmbra eſt, quod Propheta loquitur, *oculus nō vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Sed etiam quæ *in Numeris* o hæreditatem non poſſident, ſed poſtulant paternam, filiæ dictæ ſunt Salphaad, id eſt *vmbra,* nec enim poterat Salphaad, non poterat *vmbra* viros generare, in quibus imago eſt, & gloria Domini, quod quidem nō erit, quamdiu credimus; ſed cū videbimus, tum erimus ſimiles ei. Propter hoc qui ſumus in corpore peregrinantes à Domino, poſtulamus cum filiabus Salphaad (quid enim poſtulemus, ſicut oportet neſcimus p) poſtulam⁹ hæreditatem paternam; *Dominus* enim *pars hæreditatis meæ* q Poſtulamus cū Apoſtolo q, *Oſtēde nobis Patrem, & ſufficit nobis.* Nō multo vlterius, citra nō ſubſiſto: in hoc mihi deſideriorum limitem pono, votorum colloco finem. Quis tandem ille finis? quem dicit Apoſtolus r. *Finem vero vitam æternam.* Quæ eſt iſta vita æterna? quam dicit Chriſtus s *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verū Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.*

m Pſal. 16. d
Ebrietatis diuinæ & beatæ deſiderium.
n Eſa. 64. b
o Num. 27. b
p Rom. 8. c
q Ioan. 14. a
r Rom. 6. d
s Ioan. 17. a

8. Ad hunc finem quaſi ad concluſionē vniuerſorum voto tranſierat, qui loquitur in Pſalmo t. *Notum fac mihi Domine finem meum,* finem boni, & finem mali, illius quia cōſumitur, huius quia conſūmatur. Ideo verè finē, finem purum plenū, perpetuum; à malo purum, in bono plenum; vt vtroque perpetuū: purè afficit, plenè ſufficit; in neutroque deficit. Hoc enim eſt, quod addit t, *& numerum dierū meorū, qui eſt. Verè* enim dies illi ſunt ſimul, & non ſuccedent ei, non minuitur, non mutatur illorum dierum numerus. Propterea dicitur; *qui eſt.* Quonā modo dies meus deficit, ſi ſol meus non occidit? *Non occidet,* inquit u, *ſol tuus, & luna tua non minuetur.* Ego luna, & ille ſol: & ideò illa nō minuetur; quia à perenni, & vbiq; præſenti ſole non mouetur. Dierum ergò illorum noua quidem ratione non erit terminus, & erit numerus; erit ibi nobis iugis & indefeſſa ſempiternitas; ſed non erit omnimoda; & diuinæ vnitati conformis ſimplicitas, cætera enim omnia licet ſempiterna ſunt, ſimplicia tamen nequaquam ſunt, quibus non hoc eſt eſſe, quod hoc vel illud eſſe: nec hoc vel illud eſſe, quod quidlibet quod ſūt, eſſe; nā in creaturâ ſpirituali, quæ ſunt in ſeipſis infinita, ſunt propter interminabilem perſeuerantiam, & ad ſe inuicem quodāmodo determinata, & definita propter certam quandā naturarū affectionūque diſtantiam. Denique *in domo,* inquit x, *Patris mei, manſiones multæ ſunt:* manſiones planè luminum: quoniam ipſe Deus lucē habitat inaceſſibilem y; vt quod hic dicitur *numerus dierū,* illic intelligatur *multitudo manſionum.* non quod ſinguli ſunt ſingulæ, ſed etiam aliæ cum multis iuxta illud z *& tu eſto poteſtatem habens ſupra decem ciuitates,* nam & *ſtella à ſtellà differt in claritate* a In quo enim præceſſeris virtutū numerus, multiplicabitur & munus claritatum, ſicut ſe habet promiſſio prophetica b, *implebit Dominus ſplendoribus animam tuam.* Felix planè anima, quæ non vno tantum ſed multis fuerit repleta ſplendoribus. illis vtiq; de quibus dicitur c. *Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplendoribus ſanctorum.* Sereniſſimi ſplendores iſti dies, & virtus claritatis.

8.
t Pſal. 38. a
t Ibidem.
u Eſa. 60. d
Dies æternitatis, quomodo habeant numerum cū non habeant terminum.
x Ioan. 14. a
y 1. Tim. 6. d
z Luc. 19. c
a 1. Cor. 15. f
b Eſa. 58. b
c Pſal. 109. a

9. Quis dabit mihi, vt trini ſplendoris huius radio, ſpiritus meus illuſtretur, vt dies meos beatiſſimus hic numerus compleat, compleat, & contineat? Quis, inquā, dabit mihi, vt æternitatis ad lineā ſe porrigāt, in veritatis ſplēdore fulgeant, & ferueant in ſpiritu charitatis? Sic enim, non vt in mundi primâ conditione, mutuus veſpertini, & matutini temporis recurſus plures diſterminabit dies, ſed continuus erit dies, & totus meridies, ibi, vt ita dicā, inter mane & veſperam, nox infelix exploſa eſt. In iſto vtroſq; terminos indeclinabiles occupabit meridies, iuxta quod legitur, *in tēpore veſperæ erit lux,* quoniā nō erit vel temporis tranſmutatio, vel viciſſitudinis obumbratio. Sed quādo erit iſtud? quādo teipſū nobis in illo meridiano ſicut es manifeſtabis bone Ieſu, in te enim videbim⁹ Patrē, & ſufficiet nobis. O pigra tēpora & tarda pectora! tarda ad cernendum; nam ad credendū prompta.

Dies æternitatis quale.

10. Appropria Domine, tu nobis, vt nos dicere poſſim⁹ d, *Ecce hic venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Appropinqua, & præueni tarditatem noſtram. Denique & modò lectum eſt, quomodo duobus illis euntibus in Emaus appropinquaſti e. Fidei tarditatē in illis increpans, & teipſum de ſcripturis interpretans, intus aperiens, & foris apparens; ſed nimis citò diſparens. forſitan quia nō pleno meridie te manifeſtaſti; ſed ſub ipſa veſperâ & inclinatâ iam die. Denique in omni illa beatæ Reſurrectionis apparitione, nuſquā meridiē legiſſe me memini: ſed vel fere nondum inchoatam diem, vel iam inclinatam, vt omnem hic veritatis lucem quodam ignorantiæ temperatam obſcuro intelligas. Simul grata in hoc aduertēda diſtinctio quod quæ tribus ſe ſtudioſè mulierib⁹ diluculò ad monumentū apparuit. ſero autem de illa vna ſabbatorum, recluſis diſcipulis in domo vtinā ergò & nobis Domine, in hoc vel diluculo, vel crepuſculo appareas

d Cant. 2. b
e Luc. 24.
Tempus apparitionum Chriſti poſt reſurrectionē poſſe notatum.

optimus planè super vtrumque meridies. Sed in illo cubabimus in patria. Interim dum in viâ sumus, oramus Domine, vt vespertinæ lucis nos refocilles vmbraculo. Sed nos iam cum die sermonem claudimus, sed te non excludimus: Magis autem in te terminantes, & à te inchoantes in matutino tibi gratias referamus, in illud Cantici erumpentes: *Sub vmbrâ eius quem desideraueram sedi.*

Cant. 2. a

DISSERTATIO II.

De Contemplatione rerum Cælestium.

In gratiam R. amici scripta.

1. Declinauit paululum Dilectus noster inter noctis tenebras, vbi ergò quæremus illum? Quem illum? illum vtique qui ait[a], *Ego flos campi.* Si ergò illum quærimus, egrediamur in agrum; immò ingrediamur in hortum. Siquidem ille *descendit in hortum suum, ad areolam aromatis*[b]. Denique & in horto Maria dum quæsiuit, inuenit[c]. Quæsiuit ipsa lamentando; nos quæramus laudando, dulce quidem negotium, sed dulcius præmium. Quale præmium? quid legitur in Psalmo[d]. *Sacrificium laudis honorificabit me. Et illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Ergò laudantibus manifestandus est Iesus. Quæramus cum laude; sed in horto quæramus; in horto est traditus, in horto est passus: & apparuit in horto. Quæ vidit eadeo & ait[e]. *Qui habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuã.* Amici, Petrus & Ioannes. Amici Discipuli, qui audierunt[f]: *vos amici mei estis*, fac me audire, quid illis annunciem; illi in agro, ego in horto. Illi quasi viri manũ mittunt ad fortia; ego ad suauia felix mulier, quæ audire te meruit, felicior quę vidit; vox enim tua suauis, & decoro facies; sed felicissima si ad quam manum tetenderat, tetigisset, tenuisset, & retinuisset: nunc autẽ dicitur[g], *noli me tangere.* Quod vna non potuit, plures potuerunt, illæ quibus dixit[h]; *auete, & accesserunt, & tenuerunt pedes eius.* Quod non potest singularitas, obtinet communitas, obtinet charitas. Quæramus ergò vnanimiter, & quæremus vtiliter. Denique, quæ cum vnguento venerunt, illæ inuenerunt. Bonum vnguentum de quo legitur[i]. *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum: Sicut vnguentum in capite.*

a Cant. 2. a
b Cant. 6. a
c Ioan. 20. d
d Psal. 49. d
e Cant. 8. d
f Ioan. 15. b
g Ioan. 20. d
h Matt. 28. b
Quod nõ potest singularitas obtinet communitas.
i Psal. 132. a

2. Fortè nec tam se inueniri permisit, quam vltrò ingessit. *Pedes eius*, inquit, *tenuerunt*, non tamen vnguento perfuderunt. Viuentem enim receperant, quem quæsierant cum mortuis; veniebant, vt inungerent Christum, vt perungerent vnctum; & ipse ad illas veniebat, totus spirans vitalem immortalium odorem aromatum. Ante passionem parungi se voluit; & postea sepeliendus permisit: sed resuscitatus non indiguit, abundabat enim iam non modo immortalitatis, sed & regiæ supereminentisque potestatis vnguento; sicut & ipse testatur[k], *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Et, dedit illi Deus nomen quod est super omne nomen*[l]. Propterea dicitur[m]; *oleum effusum nomen tuum*. Denique ad sua inuitat vnguenta[n]. *Veni in hortum meum soror mea sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Quod, inquit, seminaui de tuo, sed de meo messui mihi, immò & tibi, mihi in re, tibi in spe. Propterea inuito; *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Grata vocabula, & plena dulcedinis, quæ vel naturæ, vel gratiæ copulam sonant: Consors factus naturæ, gratiæ vicem rependo; ideo sororem te voco, sed in carne; sponsam, sed in spiritu: in carne, in qua integra assumpta est humanitas: in spiritu, per quem infusa est charitas. Veni ergo soror mea sponsa. Veni, tanto subarrata pignore, secura de plenitudine. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Myrrham sorori, sponsæ aromata. Myrrham carni, aromata spiritu. Myrrham incorruptionis, aromata veritatis. Cognosceris veritatem; sed eum vos mea docuerit vnctio. Vos cum vnguentis venitis, sed ego alia habeo, quæ vos nescitis, vnguenta noua, immò & vetera: omnia enim noua & vetera coaceruati mihi. Futuræ etenim in mundi fine resurrectionis in me iam pullularunt initia: & antiquæ illius æternæ claritatis perseuerat gloria. Siquidẽ clarificauit me Pater claritate quã habui, priusquã mundus fieret.

Christus cur ante & non post resurrectionem se passus inungi.
k Matt. 28. b
l Philip. 2. b
m Cant. 1. a
n Cant. 5. a

3. Verè Domine, optima hæc vnguenta sunt, & ad sponsam tuam iam illorum peruenit fragrantia. Vnde & dicit[o]. *Ecce odor dilecti mei, sicut odor agri pleni.* Denique quo tu præcedis, illa subsequitur, sic etenim dicit[p]. *Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.* O beata tempora, cum de se illud dici audient[q], *Qui sunt isti, qui vt nubes volant!* Nunc spiritus est promptus, sed caro est pigrior: vires infirmæ votum non æquant. Propterea *trahe me post te, in odore tuo curremus.* Fortius est cursus, sed tractus efficacior. Expecta morantem, trahe volentem. Curram deuotius, si mecum cucurreris, curramus simul, tu in vnguentis; ego in odore. Felix anima, quæ post laborem iam in vnguẽtis lætatur; in quam cognitionis & dilectionis tuæ se effundit vnctio: magis autem assumpsit & absorbuit in se voluptatis torrens, & multitudo dulcedinis. Beatè sane absconditur, qui ibi reconditur, consepultus cum Christo, immò in Christo, & est, sicut legitur[q], *sepulchrum eius gloriosum*, gloriosum planè, cuius *factus est in pace locus, & habitatio in Sion*[r]. Ibi qui sunt, te contemplãtur in specula. Nam nos quid nisi in speculo, in speculo creaturarum, & scripturarum ænigmate? Nos in figuris, & obscuritatibus: in veritate & sinceritate illi. Vacant & vident, stant & auscultant, & gaudio gaudent propter vocem sponsi, & propter faciem sponsi. Vox enim eius suauis & decora facies; ideoque iuge desiderium, indefessa alacritas, in tam suauem auditum & contuitum superextendit participes vnguenti: oleum enim effusum in illis nomen tuum. Oleum iure; nomen enim tuum & notitia, lux est & lætitia, lætitia profusa, lætitia diffusa in corde; non adhuc credentium, sed iam contuentium. Non est ibi cor & cor, sed cor vnum omnium. O quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum! Sicut vnguentum in capite. habitare, inquam, in vnum; & ibi in vnum. Ibi enim Dominus mandat, & emanat: mandat apertè, emanat abundè: & vbertim effundit benedictionem, & vitam vsque in sæculum.

o Gen. 27. d
p Cant. 1. a
q Esa. 60. b
q Esa. 11. b
r Psal. 75. a
Contemplationis viatorum & beatorum quantũ discrimen.

4. Væ mihi quod non effundo plenè, quod vtcumque capio. Væ ab ariditate sermonis, magis verò à sensuum. Nec enim satisfacit vel sermo affectui, vel affectus fidei: sed nec fides sufficit, quæ non plenè reficit. *Satiabimur*, inquit[s], *cùm apparuerit gloria tua.* Cùm ergò venerit species, abibit esuries, esuries egena, non esuries plena; esuries ieiuna, non esuries refecta: bona quidẽ refectio quæ fastidiũ euacuat, exacuit desideriũ. Bona auiditas, quã satietas parit. *Qui edũt me*, inquit[t], *adhuc esuriẽt.* Quid est epulari nisi contemplari? *Epulentur iusti in conspectu Dei*[u] id est, conspiciendo Deum. Quid est autem esurire? nisi semper quærere: *Quærite Dominum & confirmamini. Quærite faciem eius semper*[x]. Quærite semper faciem, qui videtis facie ad faciem, nos qui sumus in corpore, quid nisi posteriora conspicimus. *Trahe nos post te* Trahe nos de posteriori ad faciem: de fide ad speciem; de odore ad vnctionem, nam per fidem ambulamus, & in odore currimus. Felices qui sic cucurrerunt, vt iam comprehenderint, nec habent vltra quò currant, sed in veritate stant, & non vacillant, omnimodis perfusi vnguentis immortalitatis, immutabilitatisque delibuti myrrha. Ibi te laudant tãtò vberius, quantò liberius. *Cognoscetis*, inquit, *veritatem, & veritas liberabit vos.* Ergo ad coruscum veritatis disparebit vanitas; *vanitati enim creatura seruiit non volens*[y]: Et graue corruptionis iugum computrescit à facie olei[z] ab affluentia vnguenti. Mensura enim bona, & conferta, & superfluens dabitur in sinum vestrum[o]. Tu Domine dabis, & te ipsum nobis dabit; pars enim mea Dominus.

s Psal. 16. d
t Eccl. 24. d
u Psal. 67. a
x Psal. 104. a
y Rom. 8. E
z Esa. 10. g
o Luc. 6. f.

5. Sed quid est quod in mensurã redonas, qui ipse magnus & immensus es? Num pro vasculi capacitate infundis & oleum? Quid ergo est quod superfluentem dicis, an quia plus effundis quam capimus? neque ci-

Beatitudinis præmium quomodo dicatur dari in mẽsura, cum sit immensum.

nim si omni nisu ad capiendum te nos extendimus, totum comprehendimus. Potens est Deus facere supra quam petimus, & intelligimus: Quantò magis id quod ipse est & factus non est, nostræ exuperat modum appetentiæ & intelligentiæ limitem? *Ecce*, inquit a, *declino in eos, vt flumen pacis, & vt torrens inundans gloria.* Numquid ergo absorbere poterit homo flumen, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei, & exhauriet Iordanem, vt totus in os eius influat? Verè Domine, non angustiamur in te, tu enim das affluenter, nec paucis das, nec pauca das, nec parco & remordente animo; præueniens merita, & excedens vota; non angustiamur in te, angustiamur autem in visceribus nostris. Tantas habentes promissiones, Charissimi, dilatemur & nos, dilatemur ad optandum vt dilatemur ad obtinendum.

a Esa. 66. d

6. Tu Domine, tu potius placido & leni allapsu vbertatis tuæ, *viam enim mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum* b; Qui cœlum sicut pellem extendis, vetustam factam cordis mei pellem, & inerti contractam situ leniter extende, rugas eius explica, extrahe sinus, dilata receptacula, vt sine mensura te concupiscam; & sine mensurâ capiam, Capaciorem me faciat hæc sancta cupiditas, sic enim experientiæ tenui prælibato gustu, quo fides persuadet, præuolabit affectus: & rationis impulsum, feruida non expectabit alacritas: ita inter tentationem dura ac diuturna minus laborabit sancti constantia propositi, propensi desiderii, & piæ spei expectatione protracta; sed expectemus hic & respiremus paululum fesso parcentes spiritui, vt breui focus interuallo feruidior exurgat.

b Psal. 119. b

DISSERTATIO III. ASSETICA,

De rebus diuinis, ad Amicum missa.

1. NOcturnâ quiete à te refectos dignum est nos, Domine, in matutino astare tibi; astare an sequi? felix qui te assidentem foribus suis matutinis inuenerit, vt astare possit, & astare in vesperum; ne subito elapsum volatu, vago vultu tenues inter auras quæritet. Tu enim tenebras ponis latibulum tuum a. Lux es; es & latibulum; lucem siquidem habitas inaccessibilem b: Propterea nobis tenebræ, quibus est inaccessibilis; sed si accessibilis visui, non tamen & voci: quia quò non approximat ratio, pertransit oratio; *clamor*, inquit c, *meus in conspectu eius introiuit in aures eius.* Ergò & clamor noster intret in conspectu tuo, vt & ipse egrediaris in conspectu nostro & indulgeas vel videri, qui te nō sinis teneri. *Reuertere, reuertere vt intueamur te; vt intueamur* d, donec teneamus. Reuertere, *similis esto, dilecte mi, capreæ aut hinnulo ceruorum super montes aromatum similis esto*, inquit, *capreæ*; videaris & auoles: adsis & elonges: adsis aspectui, absentans te tactui. Denique & mulieri dicitur e, *noli me tangere*, & quasi quadam experientiæ fidâ attrectare manu. Ecce Domine manum abstineo, oculum intendo. *Mane astabo tibi & videbo* f. Væ mihi si et illud audiam g. *Auerte oculos tuos à me, quoniam ipsi me auolare fecerunt.* An fortè dum fugis aspectum accendes desiderium, vt anxius quæraris, dum amplius amaris. Denique fuga tua nos auidius ad cursū sollicitat.

a Psal. 17. b
b 1. Tim. 6. d
Deus quomodo lux simul & tenebræ.
c Psal. 17. a
d Cant. 6. d
e Ioan. 20. d
f Psal. 5. a
g Cant. 6 b
Deus absconditse, vt magis quæratur.

2. Quis ponet pedes meos quasi ceruorum, vt possim expeditus & alacer hunc hinnulum sequi? Domesticas discere curas, & cœlesti in solitudine siluescere? Bonum est exonerari se ipso, onere grauissimo, & caprearum sensim in leuitatem deficere. Propterea Propheta h, *non laboraui*, inquit, *te Domine sequens.* Verum est quod dicis benedicte Propheta. Verum est, sed adhuc parum; non laborare non sufficit, nisi & læteris. id sò quod tu minus eloqueris, alius perexplicat, *Cantent*, inquit i, *in viis Domini quoniam magna est gloria Domini.* Iterumque k, *cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Totum intus agitur. in corde enim canitur: nam & ibi curritur, *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum* l, Quæ est tamen ista ratio ascendentis cum lamento, & peregrinantis cum Cantico? Cum aut lamentari non possit in patriâ, aut lætari in terra alienâ. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra alienâ* m. Sed fortè immò certè qui super flumina Babylonis sedent & morantur, plorant? Et qui egrediuntur, exultant. Et qui ascēdit in valle lachrymarum, ascendit & de valle lachrymarum. Et licet de lachrymis, non tamen cum lachrymis. Suauius enim est in monte gaudiorum esse, quam in valle doloris. Quod si cum lachrymis, magis quia pigrè ascenditur, & nondum propè acceditur: non enim qui ascensiones in corde suo disponit, statim & perficit; Sed cùm benedictionem dederit legislator, tunc *ibunt de virtute in virtutem, vt videatur Deus Deorum in Syon* n. pergens & properans in lætitiâ cordis ad brauium, sicut qui intrat cum tibia in montem Domini, montem de quo Propheta o. *Et faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum vindemiæ defæcatæ*: Temperata est adhuc, & non defæcata ascendentis lætitia. & mixta cum lachrymis, Calix enim in manu Domini vini meri plenus mixto p, mixtum est pergentibus, merum pertingentibus; remanente apud pigros fæce. Miscuit hic sapientia in cratere vinum, ibi nouam defæcabit vindemiam. Vnum ibi est beatorum negotium spirituum, vna anni iubilæi fæiatio. Lætari cum Domino, & laudare ipsum; *Gaudium etenim inuenietur in eâ gratiarum actio, & vox laudis* q.

h Ier. 17. c
i Psal. 137. b
k Ibid. 118. g
l Psal. 83. a
Gaudium & lacrymæ quomodo misceantur in hac peregrinatione.
m Psal. 136. a
n Psal. 84. c
o Esa. 25 b
Nulla hic mera & syncera lætitia sed mixta lachrymis.
p
q Esa. 51. b

3. Lætare Hierusalem, erumpe & lauda; lauda maiestatem; munifico refer gratiam, hoc à te votum semper exoluitur, & semper exigitur, promptè exoluitur, & piè exigitur. Exactio ipsa delectatio est, commendare te ipsam beatæ veritatis votiua perceptio, & serenatis afflata sensibus, simul cum luce lætitiam infundit. *Lux orta est iusti, & rectis corde lætitia* r. *Lætamini iusti in Domino*: quam pro lætitiâ vicem rependent? *Et confitemini*, inquit s, *memoriæ sanctificationis eius.* Ergo lætitia de luce, laus de lætitia; lætitia excrescens erumpit in laudem; & nesciunt perfusa viscera luminosæ veritatis felicem non eructare crapulam, & temperare à cantico, torrente inebriata dulcedinis Siquidem & suauitate prouocat appetentiam; & vbertas ministrat sufficientiam; & instantiam perennat æternitas. Denique sic ipsa attestatur suauitas, vbertas, æternitas t. *Qui biberit aquam quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.*

Beatorum indefatigabile Deum laudandi desiderium.
r Psal. 96 b
s Ibid.
t Ioan. 4 b

4. O beati spiritus & animæ iustorum, O Ecclesia primitiuorum. qui conscripti estis in cœlestibus, vos verè primitiui qui prælibatis benedictionis futuræ primitias. *Comedite amici & bibite & inebriamini charissimi*, bibite de cisternâ vestrâ; & fluenta putei vestri excrescant & exuberent; affluant & discurrant in plateis cordis vestri, aquæ delitiarum vestrarum. Non participent vobiscum alieni; sed nec omnes admittantur domestici. nos enim ciues sanctorum, & domestici Dei, ciues conscripti, sed nondum suscepti, ciues exulantes, ciues peregrinantes, ciues vagi & palantes. Siquidem iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos u. Vos autem sedetis in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentiæ x. Væ habitatoribus terræ, vbi rara pax, securitas nulla, iugis labor, & is egestatem parturiens; nam & *militia est vita hominis super terram* y, quamdiu caro concupiscit aduersus spiritum; & aduersarius noster circuit quasi leo, quærens quem deuoret z. Et in sudore vultus nostri vescimur pane nostro: & terra cordis nostri spinas & tribulos germinat operanti. Propterea dissipati, & dilacerati, & corde tabescentes abundantius habemus in manibus sollicitè de nobis adhuc genere, quam securè gaudere in Domino; nisi quod spes bona primitiarum argumento prospectans in finem, de tribolationum torcularibus consolationis exprimit oleum, quo facie exhilarata & impinguato capite, cum Apostolo a in tribulationibus, gloriamur, in contumeliis complacemus nobis: *scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem*, quid verò spes, nisi superuenturæ in nos gloriæ primitiua quædam iam prælibare videtur gaudia? *Spe*, inquit b, *salui facti sumus*, & c, *spe gaudentes.* Nouit enim pia fides pigra præuolare tempora, & tan-

Congratulatio de felicitate Beatorum.
u Esa. 64. b
x Esa. 32. d
y Iob. 7. a
z 1. Pet 5. c
Solatium nostræ peregrinationis & exilii vnde.
a Rom. 5. a
b Rom. 8. c
c Rom. 12. c

aut pigrum prouocans ad audiendum, sed amplius ad faciendum: cùm scilicet beatitudo miseris, exulibus, & egenis promittitur regnum cœlorum. Gratum, inquam, & auspicatum nouæ legis initium, quando in ipso statim initio, tot beatitudinum benedictiones dat Legislator, quibus delectati erant de virtute in virtutem: per istos videlicet octo gradus ascensionis, quos in corde nostro disposuit structura Euangelii, secundum exemplar & imaginem cœlestium, quod Ezechieli quoque ostensum est in monte visionum Dei. Est enim manifestè quidam ascensus cordium, & profectus meritorum iste per ordinem digestus octonarios virtutum, gradatim de imis ad summa perducens virum euangelicæ perfectionis, donec ad videndum Deum deorum in Sion ingrediatur templum, de quo Propheta dicit [c]: *Et in octo gradibus ascensus eius.*

c Ezech. 40. c

2\. Prima siquidem virtus inchoantium, est *renunciatio seculi*, qua pauperes efficimur spiritu: secunda *mansuetudo*, qua nos obedientiæ subdimus, & assuescimus: deinde *luctus* quo peccata ploratur, vel virtutes implorantur. Ibi nimirum gustamus, vndè amplius *esuriamus*, & *sitiamus* iustitiam, tam in nobis quàm in aliis, zeloque contra peccantes incipimus commoueri. Sed ne zelus immoderatior in vitium feratur, sequitur *misericordia* qua temperetur. His ergo studiis vel exercitiis, cùm quia iustus & misericors esse didicerit, idoneus erit fortassis contemplationi vacare, & *mundando* cordi, quo Deus videatur, operam dare. Exercitatus autem & probatus tam in actione, quàm in contemplatione, tum demum dignus erit, qui nomen & officium filii Dei gerens, pater & minister factus aliorum, tanquam mediator & sequester *pacificet* inter ipsos & Deum: pacificet ipsos adinuicem, vel etiam ad eos qui foris sunt: sicut scriptum est, in laude sanctorum patrũ [d], *Pacificantes in domibus suis*. In hoc officio qui fidelis & constans fuerit, sæpè virtutem & meritum sibi martyrii comparabit, *persecutionem* patiens propter iustitiam; aliquando & ab his pro quibus pugnabit, vt sic ei dicere [e], *Filii matris meæ pugnauerunt contra me*, & [f], *Cum his qui oderunt, pacem eram pacificus, cùm loquebar illis impugnabant me gratis.*

Gradus virtutum, secundum ordinem 8 beatitudinum.

d Eccli. 44. a

e Cant. 1 b
f Psal. 119 b

3\. Quantæ autem gloriæ, quamque copiosæ mercedis in cœlo sit culmen huius perfectionis, inde vtcumque licet æstimare, quod ipsa etiam abrenunciantium seculo primordia tantæ Dominus prædicat felicitatis, vt dicat, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Planè beati qui proiectis vilibus, sed grauibus sarcinulis huius mundi nolunt diuites fieri, nisi de solo Creatore mundi, propter ipsum tanquam nihil habentes, & per ipsum omnia possidentes. An non possident omnia qui possident continentem & disponentem omnia, quorum Deus portio est & hæreditas; qui, vt nihil desit timentibus eum, cætera prout expedire nouit, dispensat ad vtendum, & seipsum seruat ad fruendum? Cùm hæres Dei, cohæres autem Christi, adultus & emancipatus introducetur in plenariam possessionem expectatæ hæreditatis, tunc profectò ius absolutum, ac liberum imperium habebit in creaturis: qui modò, quãto tempore paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium; sed sub tutoribus, & actoribus est vsq; ad tempus præfinitum à Patre. Tunc mundus agnoscet iustum ac legitimum hæredem dominum suum*, propter quem creatus est: agnoscet, inquam, quia iam non conformem sibi, sed reformatum in nouitate sensus sui ad imaginem Dei ad quam factus est. Sed & nunc quoque *fideli homini totus mundus diuitiarum est* †, non solum quia ad agnoscendum vel diligendum auctorem mundi, mundanis omnibus vtitur tanquam ad hoc sibi datis: & in via testimoniorum eius (quæ videt facturam, sicut & scripturam perhibere factori,) delectatur sicut in omnibus diuitiis: sed etiam, quia ita sufficiens & gratus esse illi dicit, vt quasi totius mundi diuitias computet illud propè nihil quod habet, siue hoc ipsum quod nihil habet. Ideo iure beatificat Ecclesiam sanctorum Salomon, quæ pauper pro Christo, tam diues est in Christo. *Multæ*, inquit [g], *filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Alii siquidem rapiunt non sua, & semper in egestate sunt: sancti diuidunt propria, & ditiores fiunt. *Diuites enim eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* [h].

Pauperes spiritu, cur seu vnde beati.

Possident omnia.

* nempe virum iustum ac religiosum qui modò velut minorennis & pupillus ex arbitrio tutorum, non vt dominus vtitur mundo.

† Prou. 17 iuxta LXX Lectio hæc, August. Gregor. Bernardo aliisque PP. familiaris.

Felicitas & opulentia pii pauperis.

g Prou. 31 d
h Psal. 33. b

4\. Auarus quo plura possidet, pluribus eget. Quanquã nil minus habeat, quàm quod habere se putat: cùm habeatur, non habeat, seruus pecuniæ, mancipium auaritiæ, cultorq; crumenæ, idololatra detestandus, cui nummus est Deus. Pulchrè autem iam nunc quoque vindicat in peccatores iustitia diuina, res ipsas quas amant conuertens eis in tormenta, & vitia faciens esse supplicia. Pecunia enim, quæ iustum amplius iustificat, & verius ditat dispensata, vel semel data; auarum cruciat seruata, prodigum polluit profligata. Prorsus beati pauperes Christi, quorum fides sic elusit sapientiam mundi, vt sola, quis sit optimus diuitiarum vsus, inuenerit: quòd videlicet diuitiæ, quæ pauperem faciunt & miserum, si diliguntur; tunc demum faciunt diuitem & beatum, si pro Christo contemnuntur. Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis [i]: id est humilibus qui vtique non sunt alii quàm pauperes spiritu, quorum hic beatitudo prædicatur.

Auarus non dominus opum sed seruus, non habet sed habetur.

Optimum diuitiarum vsum solis pauperibus Christi cognitum.

i Matth. 11. d

5\. Hoc enim licet scientes tamen commonere vos velim, Fratres, quòd vera ac beata paupertas spiritus, plus est in humilitate cordis, quàm in angustia rei familiaris: plus consistit in abdicatione superbiæ, quàm in contẽptu substantiæ. Substantia nonnunquam vtiliter habetur, superbia nũquam nisi damnabiliter retinetur. Diabolus nihil in mundo possidet, aut possidere desiderat, quem sola vel maximè superbia damnat. Parum igitur prodest renunciare seculi possessionibus, nisi renuncietur & moribus: imò stultum, ac ridiculum est nudari diuitiis, & diuitum implicari vitiis: pauperem fieri rebus nec ditari virtutibus: relinquere omnia, nec sequi Christum, sed magis forsitan in castris Christi, iuuare partes Antichristi. Planè Antichristi partes adiuuat, quisquis superbiæ militat, nomenque sanctum quod verbis vel habitu profitetur, moribus impugnat. Vexillum Christi humilitas, Antichristi superbia, vel potius capitis eius diaboli, qui super omnes filios superbiæ regnat, & ab initio per superbiam peccat. Gloriemur igitur fratres, quia pauperes sumus pro Christo: sed operam demus, vt humiles simus cum Christo. Paupere superbo sicut nihil detestabilius, ita nihil miserabilius; cùm eum & paupertas nunc affliget, & superbia in perpetuum addicat. Pauper autem humilis, & si vritur & purgatur in camino paupertatis, exultat refrigerio conscientiæ diuitis: consolatur se promissione sanctæ spei, sciens & sentiens, quoniam ipsius est regnum Dei: quod iam intra seipsum velut in semine vel radice gerit, primitias scilicet spiritus, & pignus æternæ hæreditatis. An non vestrum est, Fratres, vndè toties sicut vobis conscii estis, fructus suauissimos, & beata gaudia decerpitis, quorum gustus amarescere vobis iam omnem fecit dulcedinem mundi? Gustastis enim, ni fallor, & vidistis, quoniam bona est negociatio vestra, qui pro re gratis contemnenda ac proiicienda, summa comparastis bona. Denique non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto [k]. Si hæc ergò sentimus in nobis, cur non confidenter pronunciemus intra nos esse regnum Dei? Quod autem intra nos est, illud verè nostrum est: quia nobis inuitis eripi non potest.

Paupertas spiritus potius cõsistit in humilitate cordis quam angustia rei familiaris.

Frustra est, renunciare diuitiis, & non diuitum vitiis.

Vexillum Christi humilitas, Antichristi superbia.

Paupere superbo nihil detestabilius.

Solatium pauperum.

Gustus cœlestium facit amarescere dulcedinem mundi.

k Rom. 14. c

6\. Rectè itaque Dominus beatitudinem prædicans pauperum, non ait, *ipsorum erit*, sed *est regnum cœlorum* non solùm propter ius firmissimum, sed etiam propter pignus certissimum vsumque felicissimum: non solum quia paratum est eis ab origine mundi, sed etiam quia iam in quandam ipsius possessionem cœperunt introduci, iam habentes thesaurum cœlestem in vasis fictilibus, iam portantes Deum in corporibus suis & cordibus. Quàm beata gens cuius est Dominus Deus eius [l], quàm vicini sunt Dei regno qui regem ipsum, cui seruire regnare est, iam possident, & gestant in corde suo. *Funes*, inquit, *ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas*

l Psal. 32 a

mea præclara est mihi. Litigant alii de diuidenda hæreditate huius mundi, *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei* m. Pugnent inter se quis eorum fiat miserior, nihil omnium quæ ambiunt, illis inuideo; ego enim & anima mea delectabimur in Domino. O præclara hæreditas pauperum, ô beata possessio nihil habentium! quoniam non solùm omnem sufficientiam nobis subministras, sed etiam ad omnem gloriam abundas, ad omnem lætitiam redundas, tanquam in sinu reposita supereffluens mensura. Prorsus tecum sunt diuitiæ & gloria, opes superbæ & iustitia.

m Ibidem.

7\. Superbiat, ô pauperes, superbiat, ô humiles, anima vestra, glorians in humilitate sua, omnemque altitudinem huius mundi longè sub pedibus suis iacentem despiciat: indignumque iudicet gloriæ suæ, ad concupiscentiã vilis prædæ suam vlterius maiestatem inclinare. Quid? tam iam tollenda es in cœlum, & nunc te denuum mergeres in cœnum? Parata tibi sunt æterna, & prælegeres transitoria, somnoque similia? Te præstolatur curia Sanctorum, & præponeres societatem dæmoniorum? Quàm miser homo, qui cùm in honore esset, non intellexit, ac perinde comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis n. An non manifestè huc illac contingit, quos cùm beata paupertas fecisset honorabiles cælo, mirabiles mundo, vt nihil præteritum sit, etiam formidabiles inferno: postea arbitrantes miseriam, cæcato sensu paupertatem, humilitatem, ignauiam voluerunt diuites fieri, & inciderunt in tentationes & laqueos diaboli: cumque essent Domini vniuersorum, vendiderunt se ipsos sine precio propter ea quę nihil sunt. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, & diuerterunt in vias prauas. Et quid facient cùm inspicere cœperit Dominus? Ipsi viderint, quid facturi sint. Vos enim quibus amica est paupertas, & grata spiritus humilitas, securos fecit de possidendo regno cœlorum incommutabilis veritas: vestrum illud esse asserens, vobis illud repositũ fideliter custodiens: si tamen & vos ipsi spem istam in sinu vestro repositam firmiter custodiatis vsque in finem, cooperante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria, per omnia secula seculorum. Amen.

Superbia pauperum laudabilis.

n Psal. 48. c

Fastidio religiosæ paupertatis denuo sectari opes, miserum, & periculosum

SERMO IN VERBA CANTICI CANT.

Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Cant. 8. d.

5\. IN conuentu sodalium & amicorum, id est Ecclesia sanctorum cuius vocem deceat audiri, sponsus ipse sponsę loquens, innuit eum ait: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* Non sum ego cui hoc dictum debeat videri; non sum qui habitem in hortis; magis mihi videor esse de illis qui habitant in sepulchris. Corpora enim peccatorum, quid sunt nisi sepulchra mortuorum? Qui ergo dediti sunt corporibus suis non in hortis habitant, sed in sepulchris: Deũque exasperant, donec qui educit vinctos in fortitudine, forti voce inclamet b. *Lazare veni foras,* suisque discipulis super eo præcipiat. *Soluite eum & sinite abire.* Magna sanè differentia est sepulchrorum & hortorum. Hæc plena omni spurcitia & ossibus mortuorum, illi omni suauitate & gratia florum, aut fructuum. Quid enim si aliquando sepulchra videntur in hortis? Nam & Dominus in horto sepultus fuit. Et si enim sepulchra in hortis, nunquid tamen horti in sepulchris? Ita fortassis, sed in sepulchris iustorum. Ibi planè vernabit gratissima quædam amœnitas hortorum, verno scilicet illo tempore resurrectionis eorum, cum reflorebit caro eorum, & non solum ossa iusti sicut herba germinabunt, sed & totus iustus germinabit sicut lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Non sic impii non sic, qui sepultura asini sepeliuntur[c], & sine omni spe melioris resurrectionis subditi corruptioni, hac præsenti futuram auspicantur. De sepulchris eorum dicere cœperã, quod quantum à spurcitia illorum abhorret florentium species hortorum, tantum imo incomparabiliter amplius distat oblectatio spiritualium à voluptate gaudiorum carnalium.

a Cant. 8. d

Corpora peccatorum sepulchra mortuorum.

b Ioan. 11. f

Sepulchra in hortis

Horti in sepulchris iustorum.

c Ierem. 22. c

6\. Vos igitur, ni fallor, estis qui in hortis habitatis, qui scilicet in lege Domini meditamini die ac nocte, & quot libros legitis, tot hortos perambulatis: quot sententias eligitis, tot poma carpitis. Et beati quibus omnia poma noua & vetera seruata sunt: id est, tam Prophetarum, quàm Euangelistarum, vel Apostolorum eloquia reposita sunt, vt & vnicuique vestrum illud sponsæ ad sponsum videatur dictum[d]: *Omnia poma noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* Scrutamini igitur Scripturas. Vos enim non falso vitam in ipsis putatis vos habere, qui nihil aliud in illis quæritis quàm Christum, cui testimonium perhibent Scripturæ. *Beati planè qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum*[e]. *Mirabilia testimonia tua Domine, ideò scrutata est ea anima mea.* Scrutinio quidem opus est non solum vt eruantur mystica, sed etiam vt sugantur moralia. Ideoque vos qui perambulatis hortos Scripturarum, nolite negligenter & otiosè transuolare, sed scrutantes singula velut apes sedulæ mel de floribus, spiritum de sermonibus colligite. *Spiritus* enim *meus*, inquit Iesus[f], *super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum.* Ita probantes quid sapiat manna absconditum, eructabitis illud Dauidicum[g]. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel & fauum ori meo.*

Pii & Religiosi habitant in hortis. Nempe scripturarum.

d Cant. 7. d

e Psal. 118. a
f Ibidem. e

Scripturæ leno & sedulo scrutandæ

f Eccl. 24. e

g Psal. 118. n

3\. Ab his hortis in alios, vbi requies secretior & voluptas beatior, & species mirabilior, sponsus, ni fallor, vos introducit, cum intentos laudibus suis in voce exultationis & confessionis, rapit in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, lucem scilicet inaccessibilem, vbi habitat, vbi pascit vbi cubat in meridie. Si enim deuotio psallentium & orantium, habet aliquid de illa pia curiositate quærentium h, *Rabbi vbi habitas?* puto quia merentur audire, *venite & videte. Venerunt,* inquit, *& viderunt, & apud eum manserunt die illo.* Quandiu apud Patrem luminum sumus, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, noctem nescimus, tantummodò die beato fruimur. Cùm inde labimur, in noctẽ nostram recedimus. Heu mihi quàm cito defecerunt dies mei, quàm citò sicut fœnum arui qui quãdiu fui in horto cum illo, sicut paradisus Dei virui & florui. Cum illo hortus voluptatis: sine illo locus horroris & vastæ solitudinis. Existimo enim qui in hortũ illius intrat quod & ipse hortus fiat; sitque anima illius velut hortus irriguus, vt & sponsus in laudem eius dicat i: *Hortus conclusus soror mea sponsa.* An non sunt hortus, in quibus fit quod ipse hortulanus loquitur plantationi quã plantauit Pater suus? *Audite me,* inquit k, *diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate.* Quasi libanus, odorem suauitatis habete, florete flores quasi lilium, date odorem & frondete in gratiam.

Item Religiosi commorantur in hortis orationis & diuinæ laudis.
h Ioan. 1. f

i Cant. 4. e. Hortus est anima iusti.

k Eccle. 39.

4\. O Domine Iesu vere hortulane, operare in nobis quod exigis à nobis. Nam sine te nihil possumus facere. Tu enim verus es hortulanus, idem creator qui cultor vel custos horti tui, qui verbo plantas, spiritu rigas, virtute incrementum das. Errabas Maria quæ eum existimabas hortulanum illius horti pauperis & exigui, in quo sepultus fuit. Hortulanus est totius mundi, hortulanus est cœli, hortulanus est Ecclesiæ, quam hic plantat & rigat, donec incremento consummato transplantet eam in terram viuentium, secus decursus aquarum viuentium, vbi non timebit cum venerit æstus, sed erit folium eius viride, nec aliquando desinet facere fructum. Beati qui habitant in illis hortis tuis Domine, in secula seculorum laudabunt te. Paulus habitabat in illis, cuius conuersatio erat in cælis; qui mente sæpius excedẽs perambulabat paradisum beatæ voluptatis, hortos deliciarum Dei, vbi & pertransiens rosas Martyrum, & lilia Virginum, desinens etiam mirari altitudinem cedrorũ Dei, delectabatur potius carpere de fructu ligni vitæ, quod est in medio paradisi, in ipso nimirum gustans plenius & felicius quàm suauis est Dominus. Ideoque cum inde redibat, amicis auscultantibus memoriam abundantiæ suauitatis eius profusius eructabat, & ex abundantia cordis os redundabat. Quia enim sicut adipe & pinguedine repleta erat anima eius, ideò labiis exultationis laudabat os eius. l *Cor quippe Sapientis erudiet*

Christus hortulanus totius mundi

Cæli & Ecclesiæ.

Paulus Apo in hortis cælorum versatus.

Quid inde rediens eructaret.

l Prou. 16. c

os eius: & labiis illius addet gratiam. Eructabat itaque cor A eius verbum bonum, ac de bono thesauro bonus bona proferebat, sponsumque ipsum qui in amicis auscultabat, velut iocundo carmine oblectabat. Prursus carmē iucundum, suauisque melodia, vbi tam canorum Spiritus sancti organum, tanta motom & sermonum coosonantia, tanta dulcedine amoris, tanta gratia oris Christum Iesum iubilum cordis sui personabat. Si enim lingua suauis vim carminis non habetet, scriptum non esset m: *Tybia & Psalterium faciunt suauem melodiam, &*
m Eccl. 40.c *super vtroque lingua suauis.* Si carmine huiusmodi Psalmista Deum oblectari nesciret, nequaquam diceret n,
n Psal. 103. d *Iucundum sit ei eloquium meum.* Sed nec ipse sponsus diceret o, *Fac me audire vocem tuam, sonet vox tua in auribus*
o Cant. 8. *meis. Vox enim tua suauis*, quia exaltationes Dei in faucibus tuis: tanquam habitantis in hortis in deliciis paradisi: Econtra verò: *Non est speciosa laus in ore peccatoris* p, qui habitat in sepulchris: Cuius enim vita Deum B
p Eccli. 15 b exasperat, lingua non delectat; sed terribiliter increpatur voce diuina: *Quare tu enarras iustitias meas q? cantica*
q Psal. 94. c *lira tua non audiam r.*
r Amos 5. f

f. Sensus verborum thematis duplex. Sed quoniam Scriptura quam assumpseram in excusationem sermonis, occasionem & materiam ministrauit sermonis, si placet finiamus quod de illa cœperamus. Dupliciter itaque potest intelligi, quod à sponso dicitur.: *quæ habitas in hortis amici auscultant, fac me audire vocem tuam*: vel quod deuotum amatorem inuitet ad

Primus de orantibus. psallendum vel orandum; vel quod sanctum prędicatorem excitet ad loquendum. Quod vt magis persuadeat, amicos auscultare memorat, Angelos scilicet orantem vel psallentem: fideles, prædicantem. Vbi primò intuemur, qua disciplina cordis & corporis nos oporteat A in conspectu Angelorum psallere vel orare, ne vacui dimissi vacuos nos dimittant, qui venerant vt vota deferrent, & dona referrent, imò recedant inimici qui venerant amici. Quinimo sponsus ipse, qui stat ad ostium & pulsat, si nulla ei digne deuotio deintus respondens aperiat, recedet conquerens & dicens s: *Attendi & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur. Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens in prælium.*

Quomodò orandum vel psallendum in conspectu Angelorum.

s Hiere. 8. d

Si autem prædicatorem exhortatur, fiduciam ei loquendi tribuit de beneuolentia & attentione auditorum, quia scilicet non increduli obloquuntur, aut litigant; non æmuli detrectant, aut subsannant, non tepidi dormitant, aut oscitant, sed amici attenti auscultant, quorum amor & meritum possit euangelizanti impetrare verbum & spiritum. Et benè amici auscultant. Est B enim velut proprium amici, scilicet quod deuotus audiat vocem sponsi, sicut Ioannes ait t: *Amicus sponsi est qui stat* non vagans animo, aut prostratus somno, *audit & gaudet gaudio propter vocem sponsi*, quam agnoscit etiam in seruis. Et nos itaque inde probemus nos amicos, vt siue per os loquentis, siue legentis aut cantantis vox sponsi sonuerit, sic stemus ad audiendum, quatenus auditui nostro det gaudium & lætitiam: & non solùm cum gaudio suscipere verbum, sed & fructum afferre in patientia.

6 Alter sensus; de prædicatoribus.

t Ioan. 3. d

Qui in aliis Editionibus his sequuntur sermones, S. BERNARDI *sunt, non* GVERRICI; *vnde necm MS. Carthusia Colon. extant: et est, cur suo loco positi, his repetantur.*

FINIS Operum D. GVERRICI *Abbatis Igniacensis.*

GILLEBERTI DE HOYLANDIA

ABBATIS SVVINSHETENSIS in Anglia,

DISCIPVLI S. BERNARDI,

Epiſtolæ ſeu opuſcula, nunc primum ex M. S. Bibliothecæ Oxonienſis edita.

AD LECTOREM.

Vm nuper poſt recenſita S. BERNARDI Opera, *& iam prælo tradita, ad cætera, quæ ſecreuerant, (vt potè, aliena, dubia, notha, qualia hactenus in* Bernardo *permulta) caſtiganda, & in ſingularem Tomum colligenda accingerer; Ecce primum obtulit ſeſe GILLEBERTVS* de Hoylandia : *ille, inquam, qui S. BERNARDVM feliciter inſecutus,* Canticum Salomonis *ab eo loco, vbi Doctor mellifluus morte præuentus deſiit, ſimili via & ratione per* Sermones *explanandū ſibi ſumpſit. Hunc ergo dum attentius legerem, mox rapuit me, (cur diſſimulem?) ſenſuum ſublimitas, piorum affectuum vbertas ſpiritus ardor; quin & Sermonis ſtyliqne ſuauitas; Prorſus, vt paucis dicam, ipſius pene BERNARDI genius & ingenium, nec non mellea Suada. Nimirum in Heliſeo ſpiritum Eliæ; in Diſcipulo ſenſum ſtylumque Magiſtri; in filio parentis indolem geniumque deprehendi. Quid face enim? vt verum fatear, quod helluo quiſpiam, cuius auidus venter, quaſi non ſaturandus præſentibus, aliis atque aliis inhiet edulijs; & ſtimulante fame tibique deſiderio inquirit num plura reſtent, quæ deuoret & abligurias. Idem, inquam, mihi vſu venit. Nam dum GILLEBERTI lectio ita meum oblectaret palatum, & orexin acueret; illico* Catalogos Scriptorum Angliæ *conſulo, exploraturus, quid præterea ab hoc authore literis mandatum foret, cuius potiundi ſpes aliqua ſupereſſet. Et ecce dum apud PITSEVM, BALEVM, alioſque complura tum huius, tum aliorum ope a recenſeri viderem; dolui ſane & ingemui videns tot viris ſanctis & eruditis olim floruiſſe Angliam, nunc vero tam pios ac eruditos eorum labores libroſque latere; vel cum tineis blattiſque luctari, nec eſſe qui eos tandem è tenebris latebriſque in apertam lucem vindicent.*

Porro dum ex Catalogo Bibliothecæ Bodleianæ Oxonienſis *EPISTOLAS GILLEBERTI M. S. illic extare cognouiſſem, exarſi protinus earum deſiderio, & tentandum cenſui, quid ab Anglia ſperari poſſet hac in re ſauoris & ſubſidij votis meis ad incrementum publicæ vtilitatis. Tentaui, ſcripſi Oxonium; & ecce obtinui, quod optaui, citius etiam, quam ſperauerim, nempe è longinquo, & ab exteris, ne dicam, ignotis, factus tam facile votis compos, qui vicinos, ipſos etiam quorum res propius agi videbatur, non ſemel expertus eram illubentes, & difficiles.*

Vt verò, & tu, mi LECTOR, nôris, quibus vnà mecum gratiam debeas (nam ingenui eſt agnoſcere per quos profeceris, & à quibus beneficium acceperis) non ſunt mihi hic ingrato ſilentio prætereundi VIRI Clariſſimi, Ioannes Rouſſus *&* Gerardus Langbainius; *quorum ille Oxonii Bibliothecæ Bodleianæ Præfectus primarius, Exemplar GILLEBERTI M. S. libens deſcribendum dedit. Hic vero Collegii Reg. ibidem ſocius, induſtria manuque propria deſcriptum liberaliter ac perhumaniter tranſmiſit, quin & auctarii loco Cenſuram* Lelandi de Gilleberto, *cum NOTIS adiunxit. Quæ ſi hoc loco tibi vnà cum EPISTOLA ad me data legenda dedero, nihil videbor abs re, aut tuo commodo fructuque facturus.*

EPISTOLA ſic habet.

ACcepi tuas Nonis Iulijs ad nos datas: inde de propoſito tuo *in recudendis* S. BERNARDI Operibus, bonis omnibus meritò laudando edocti ſumus. Quod nos tibi ſerio gratulamur. Et ſi momenti quicquam in tanti Patris gratiam conferre poſſumus, operam noſtram prolixè pollicemur. Habet quidem inſtructiſſima hæc noſtra *Oxonienſis Bibliotheca* (præter eos quos *Iameſii Catalogus* agnoſcit) ad aliquot Auctorum millia, MS. omnia. Quem penum litterarium, cum benefactoribus aliis, tum vel maximè N. Cantuarienſis munificentiæ acceptum ferimus. Inter hæc vt & aliorum Patrum BERNARDI quædam adhuc inedita, ſed an ab illis diuerſa, de quibus ſpem nobis facit noua hæc quam adornas Editio, pronunciare non poſſum. Et certe nondum mihi per otium licuit omnes Bibliothecæ noſtræ forulos excutere, quo abſolutum *μεγαλομερέστερον* iſtiuſmodi ſyllabum tibi repræſentarem. Interim quod maximè ex votis habuiſti *Gilleberti Abbatis de Hoylandia Epiſtolas*, partim mea manu deſcripſi, partim ab alio, grauioribus ipſe negotiis diſtrictus, meo ſumptu tranſcribendas curaui. Quas ecce tibi ad Exemplaris fidem diligenter collatas tranſmitto. Opus haud dubie *γνήσιον*, nec in alium parentem, quam *Homilia in Cantica* referendum. Sunt enim aureo vtrique libello ramenta quædam communia; nec dubitauit Author de ſuo mutuare. Adieci inſuper & quæ LELANDVS noſter in libro *de illuſtribus Britanniæ Scriptoribus* de GILLEBERTO hoc literis mandauit; vnde (vt reliqua fere omnia, præter impotentis linguæ rabiem) in nouiſſima editione ſua hauſit *Baleus*; & ex Baleo, licet reclamet vſque *Piſeus*. Qui quanquam *Lelandum* paſſim iactet, permulta tamen ſunt in ipſo Lelandi autographo (quod M. S. apud nos ſeruatur) quæ fidem faciunt non ex Lelandi fontibus, ſed Balei lacunis *Piſeum* hauriſſe. Sed quid tum poſtea? Hæc certè in eum finem à me dicta, ne diutius te torqueri paterer inani illa ſpe tua de S. BERNARDI vita à *Gilberto* conſcripta. Perſuaſiſſimum enim habeo, fruſtra futurum, quiſquis opus illud ſollicitius quæret. Primus (quod ſcio) errorem illum errauit *Geſnerus*, qui non modo *Bernardi* vitam à *Gilberto* ſcriptam, ſed & operibus eius Pariſiis impreſſam tradit *Anno* 1513. Poſtremum hoc à vero quam ſit remotum, non eſt quod te moneam. Si coniecturæ indulgere liceat, Geſnerum fefelliſſe dixerim, ſiue nominis ipſius, ſiue implicati characteris affinitatem, & Gilhelmus ſiue Guillermus in ſchedis repertus, in Gilbertum, ſiue Guillebertum tranſiit. Certe antiquæ Scriptionis formulæ non ita abhorrent. Hoc Geſnero impoſuit, Geſnerus Balco, Baleus Pitſeo, & *τῷ πάνυ* Voſſio, cæteriſque. Accedit, quod apud *Bernardum Bonævallis Abbatem*, qui de *Claravallenſis* noſtri vita librum ſecundum priori illi à Guilhermo conſcripto adtexuit, altum prorſus de Gilberto ſilentium, Guilhermi aperta mentio. Imò quod caput rei eſt, diſertè aſſerit. Claræ-vallenſium nullum ſi Guilhermum excipias, in arenam iſtam ante ſe deſcendiſſe. Nec credibile eſt, *Gilberti* Authoris non adeo longo temporis interuallo remoti commentarios vel latere Bernardum potuiſſe; vel ipſum commiſſurum vt prudens ſciensque præteriret. Sed de his ipſe melius ſtatuens, coniecturam interim hanc meam æqui bonique conſulens, & in te adeo ancipiti *μάρτυς ἄκρος ἔχει ὕπνῳ πάλαι*.

Geſnerus in Gilberto & Bern

Quod ad Epiſtolas *GILBERTI*, velim vt viro mihi amiciſſimo *D. IOANNI ROSSO Bibliothecæ Bodleianæ Præ-*

ſecto primario promiſſi reus grates perſoluas; vt qui M. S. Codicem deſcribendum nobis haud grauatè permiſit. Et ſi quid vltra ſit, iu quo vel ipſius, vel mea opera tibi vſui eſſe poſſit, fidem obligo non defuturos Viro mihi ob ſtudiorum ſimilitudinem meritò colendo. Nam & nos etiam io Authoribus aliquot non vltimæ antiquitatis è ſitu & tenebris in lucem aſſerendis operam ponimus. Scilicet cum nobis diu viuere negatum ſit, hoc agimus; vt poſteritati aliquid relinquamus, quo teſtemur nos aliquando vixiſſe. Perge porrò, & tu clariſſime Merlone, quod facis facere, & nos ama. Deus opt. Max. ſtudiis noſtris benedicat. Vale. Dabam Oxonii in Collegio Reg. A. D. 5. Calend. Octob. 1640.

Gerardus Langbainus *Collegii Reg. apud* Oxomenſes *ſocius.*

LELANDI ANNOTATIO
DE GILLEBERTO ABBATE.

Ex libro de *Viris Illuſtribus Britanniæ.*

GIlbertum monachum Ciſtercienſis Ordinis *fuiſſe ſcribit* Trithemius; *eundemque affirmat non mediocriter in litteris profeciſſe, ac tandem Abbatem factum. Porrò meminit eius* Operis in Cantica Canticorum. *In ſumma colligit hominem Anno Domini* 1200. *floruiſſe. Breuiter hac ille quidem tam obſcurè, vt illuſtri opus ſit faculâ, qua tenebras diſcutiat. Sed na ego parum verecundus ſum, qui Trithemii obſcuritatem, in re quam ipſe illuſtrare non poſſum, notem.* Ne *tamen omninò temere notaſſe videar; non feneſtram, ſed rimulam, qua radiolus inluceat aperire volo.*

Fuit hic Gilbertus *Anglus, vt ego nuper* ex Epiſtola oraculo Cyrilli Carmelitæ *præfixa didici: quæ licet nullius præ ſe ferebat nomen: habebat tamen neſcio quid, quod* Ioachimum Florenſis Cænobii Abbatem *ſapiebat. Cuiuſcunque erat, pro me loquatur ipſa,* Frater Gilbertus Anglicus magnus ille theologus, Ciſtercienſis monachus, qui & ipſe hunc libellum curioſe expoſuit. *An non iam aliquantulum lucis promiſſi attulimus? Cum & Anglum fuiſſe conſtet, & interpretem vaticiniorum Cyrilli?* Anglicus, *ne hic ignarus ſis, lector, Gilberti cognomen non fuit. Solemne olim erat exteris* Anglici *cognomentum, minus quidem proprium: at plauſibile ſatis, noſtris procul à patria ſtudentibus indere.* Hinc *Gilbertus Anglicus dictus.*

Fuit & alter Gilbertus Anglicus, *profeſſione medicus, ſed memoria recentioris; cuius practicen & compendium medicinæ multi ad quæſtum properantes diligentiſſimè legebant.* Tertius* *quoque accedit* Gilbertus Viſimonaſterienſis Abbas, *qui homilias* 47. *ſuper Cantica ſcripſit. Quæret à me forſitan curioſus aliquis verum* Gilberti *monachi cognomen. Certè ita vſus inualuit, vt nobis tam monachi quam medici propria nomina prorſus abſtulerit.*

Iam quod ſcribit Trithemius *Gilbertum Abbatem fuiſſe, nec probare, nec improbare intendo, in vtramque tamen partem quod dicam aliquid habeo. Ex verbis* Epiſtolæ *cuius ſupra mentionem feci, nihil elucet, vnde rectè colligere poſſim* Gilbertum *Abbatem fuiſſe: Nihilominus cum nuper eſſem Bellolandæ monaſterio Eboracenſis agri Ciſtercienſibus conſecrato, incidi in theologicas conciones cuiuſdam* Gilberti Abbatis, *(ſi vera fuit inſcriptio)* Hoylandiæ. *Sed quæ ſit iſta* Hoylandia: *nondum percognitum habeo. Scio Batauorum patriam vulgò appellari** Hoylandiam, *ſiue Holandiam: quo etiam nomine vocatur & apud nos regiuncula quæ* Velandæ & Lindi *magnorum fluminum ripis inferioribus complectitur. Num tamen apud Batauos ſiue apud Lindios noſtros cænobium ſit* Hoylandia *dictum, mihi planè incertum eſt. Denique vt paucis concludam, non mirum eſt quod Anglis* Gilberti *vita obſcura ſit: nam vt ego mihi perſuaſi, ſtuduit, longum vixit, forſan & Ciſtertii, ac tandem procul à patria obiit.* Trithemius *eius vitam deſignat* Anno Domini 1200. Ioannes* Baleus Carmelita *correxit numerum, ac annos octoginta ſuper addidit, at quâ authoritate planè incertum.*

* Hæc de tertio Gilberto ex ſecundis curis addita ſunt, & certè melius abeſſent: infeſti enim erroris eſt hic à primo diſtinguentis.

* Eo nomine etiamnum appellatur Lincolnienſis agri pars tertia, in quo Monaſterium Suuineſtenſe olim ſituatũ: cui præfuiſſe creditur Gilbertus.

* Prima Balei editio Lelando pſolo antiquior, ſecunda & tertia longè recentior & poſt Lelandum fato functum emiſſa. In quarum nouiſſima manifeſti plagii in Lelandum paſſim tenetur.

Plura de Gilberto *noſtro vide initio Tomi V. præmiſſa Sermonibus Eiuſdem in Cant.*

GILLE-

GILLEBERTI ABBATIS DE HOYLANDIA ORDINIS CISTERCIENSIS EPISTOLAE ET DISSERTATIONES ASCETICAE.

EPISTOLA AD Fr. RICHARDVM.

Richardum correptione, vt apparet, vel nescio quo asperiore verbo offensum, sed iam demùm placatum, & amicum factum miratur ac prædicat.

1\. (Prouerbium. a Mich. 7. b) TAm vero quam veteri vteris, mi Richarde, prouerbio. *Omnia cum amico deliberanda esse, de ipso tamen prius. Noli*, inquit Propheta [a], *amico credere, & in duce ne babueris fiduciam. Ab ea quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui.* (Non facile credendum cuiuis amico.) Simulatæ amicitiæ veias in suspitionem adducunt, & virtutis huius raritas facit, vt de veritate dubitetur. Felix qui neutram impingit in partem; sic in contrahendis amicitiis prudentem se exhibens, ne sit in prouidendo nimius. (Amicorum delectus.) Inutile siquidem arenæ mandare semina; miserius multò non seminare omninò, ad ventos & nubes respectantem. Vilissimis in rebus solliciti possessores sumus; in preciosissimo possessionis genere (amicitias dico) omnino inutiles. Lapsum autē amicum quis fere est qui releuet, eum domum tuentē nemo non suffulciat? Hæc idcirco dixerim, vt virtutem hanc in te commendet ipsius raritas, & multitudini collata negligentium clarior emineat.

2\. Perspectâ Epistolæ tuæ facie philosophicū mox illud recensui. *Et post malā segetem serenaū est.* Tanta auiditatē ad amicitiarū mihi videris æstuare cōmercia, vt vbi paulo ante naufragiū pertuleris, nauigatione iterata restaures. (Seneca Epist. ad Lucil.) Prudenter planè vnius forsitan horæ felicior prouētus, longi temporis recompēsabit incommoda. Et vt de domestica aliquid Philosophia ingerā, Apostolicū illud in te experior b, *Charitas operit multitudinem peccatorū*. (b 1. Pet. 4. b) Tantâ verecūdiâ amici castigas erratum, vt credatis veniam prætendere, non intendere querelā. Deniq; sic me amicâ mordacitate corrodis, illo vt me sale leniter perfricari sentiā, quē Domini sacrificiis abesse nō licet [c]. (c Leuit. 2.) Volâsti ad me vnus de Seraphin succensus ac flammigerâs totus: & vrenti carbunculo quem de altari tulisti, labii nostri lapsū expurgas. Quanto mihi grauior culpa tātò gratior correptio. Verè alium te experior quā arbitrabar. (d Prou. 19. d) Nunc tandē aliquē mihi gustū prudētiæ tuæ dedisti. Si quidē in patiētia sapiens dignoscitur [d]. Patientiam tuā admiror & veneror. Dissimulas iniurias, prouocantē reformas ad gratiam; complanas exasperantē. & immeritū numeras, immò malè meritum. Munera tua munera mihi grata sunt, grata auctore, grata & vsu. Illa & te mihi præsentant, & me informant. Nesciunt muta esse munera sapientis. Quod enim mihi in baculo innuis, nisi vt rectus sim & rigidus? Ne sim arundineæ flexibilitatis & fragilitatis, iuxta illud Prophetæ [e]. (e Esa. 36. a & 4. Reg. 18. d) *Baculus confractus arundineus Ægypti, in quo qui innititur perforabuntur manus eius.* Talē tu me inuenisti; & confractionis nostræ hastulis manus tuæ cruentari poterant; nisi quod illæ solidiores sunt, & oppositos retundunt aculeos. Benedictę manus quæ nesciunt calamum quassatum conterere; magis autem considant *: neque linum fumigans extinguere. (* fort. consolidant.) *Confundentur qui operantur linum, pectentes & texentes subtilia*, ait Propheta f. (f Esa. 19. b) Propterea confusionem induius sum, qui lanæ simplicitatis tuę, simulationis meæ linum subtexui. In cuius duplicitatis suggillationem geminum mihi forsitan calicem transmiseris. *Pondus & pondus, mēsura & mensura, vtrumque abominabile* g. (g Prou. 20. d h Habac. 2. c) *Væ qui potū dat amico suo, mittens fel suum & inebrians, & aspiciat nuditatem eius* [h]? *replebitur ignominia pro gloria.*

3\. Quorsum ista, Frater, nisi & lenitatem tuam cōmendem, condemnē autē iniquitatem meā. Sed quoniā longum est per singula currere capitula, verbū tibi abbreuiatū & consummans facio. Insipienter locutus sum, & quasi vna de stultis mulieribus. Agnosco delictū: Ignosce tu. Rogatus non negabis veniam quam gratis offers. (A) Possem excusationes prætēdere, attenuare immanitatē reatus, peccati pondus alii impingere; & in ferientis caput quo vulneratus sū ferrū vibrare, sed parco, ad precē magis supplicationesque cōuersus. Nolo enim, dū scissa resarcio, vtcūque saria rescindere: & vt latus meū protegam, alterius vulnerare. Hoc tamen non sileō: Domus vestra non benè compacta est; squamis se prementibus; vna vni nō firmiter cohæret: & nimis facilè nō pacis sed dissensionis spiritus incedit per eas i. (i Iob 41. b) De cætero quod diem protraxerim, quod diu noluerim, quod tarde faciō, quod oneri te mihi futurū dixerim, strictim respondeo. Multa inter loquendum proferimus, alienū magis animum prætentādo, quam præcipitando nostrum. Nam & vnde tecum loquar, & ex cordis mei sententia, societatem tuam optaui & opto: sed distuli, vt cōmodius fieret, solatio te magis, quam oneri mibi futurum præsumens; propter morum forsitan studiorumque similitudinem: Vtinam æternùm te magis, quàm ad tempus recipiam; ad manendum, non ad remeandum. Vale.

EPISTOLA AD ADAM.

(B) *Hortatur Adamum, vt aliquando melioris propositi de amplectendo statu Religioso, relicta seculari sententia, ad alterum, id est, diuinam, aspiret; nec differat obsequi gratia vocanti.*

1\. QVantum te cupiam in visceribus Christi Iesu, mi Adam, vtinā ipse nosses; quod noster tibi sermo explicare non sufficit. Iam pridē id optauerā, sed temperabat votum desperatio quædam. Nunc autē solido vberius excreuit, & increbuit desiderium, exarsitq; in cōcupiscentiam conuersionis tuæ, conceptâ iam spe, sed satis tenui, de verbis tuis; veritur (quod pace tuâ dixerim) ne verba illa leui tibi quodā exciderint mētis impulsu momentaneo. Sed dixeris ea vt libet, & fuerint vel nimis promptulo subitaneoq; elapsa affectu, vel prouida deliberatione prolata, omninò, nisi bene de te sperare non possum, domestico commonitus exemplo. Atq; vtinā ipsum te nostra commoueant, immò commoneant exempla: & arreptis pennis columbæ in locū quietis felici me compendio præuoles, qui tardius cœperis. Quam latā & patentē ad æmulandū fenestrā dederis, mox aliis futur* exemplo? Et vt de nostris interseram, ingens ostium ad virtutis viā. (a Cant. 1. a) Deniq; audire mihi videor de Canticis illud tibi decantatum iri. *Trahe nos post te; in odorē vnguentorum tuorum curremus.* (C)

2\. Felix planè, & bis felix, si conuersionem tuam salutis occasionē aliis effeceris: si ad vitā veritatemq; traxeris, qui post te currunt modo; volebā dicere in vanitate, sed veritus sum, ne fortè tenerū & nascentē adhuc in Christo affectum contristem. Non quod ego artium eruditioni derogo, & liberalium doctrinarū promptæ memoriæ & perspicuæ intelligentiæ, in quibus scientiæ consistit integritas. (Studia artiū liberalium quatenus probanda.) Bona enim artium notitia, sed si quis eā legitime vtatur, id est, tanquam gradu quodā & vestigio, nō quo stetur & inhæreatur, sed quo vtendū sit ad superiora quædam & sanctiora, & magis intima arcana sapiētiæ; in recōditos & suaues recessus, & in ipsam lucē inaccessibilē, quam inhabitat Deus. Quam artiū omniū artē dixerim, (NOTA De studiis & eruditione in debitum finē scopumque referendis.) & legem, & formam, & normā, & rationē, & exemplar vniuersale, vniforme inuariabile: vltra quam sicut nec progredi possumus, sic nec citra subsistere debemus. Cuius respectu omnis alia quæcumq; & quātacumq; fuerit sapientia, non modo vana est, si illam non æquat, sed etiam iniqua, si ad hanc se non dirigat: si ita studiū nostrū

sollicitet & alliciat ad se, vt delectationem nostram detineat & deludat in se, hocque siue contritus conquiescat animus, repulsam passus ne pergat ad secretiora: pastus inanitsre & quasi pictis epulis, vt nūquam esuriat & nūquam degustet quā suauis est Dominus? Quid enim nisi
* f. quid n. fortius nisi Dom. suauis Dominus*? Delectat te vehementer, animum amoremque abripuit attraxitque ad se tuū exigua hæc & ambigua naturatum rationumque notitia, ad quam vix longo circuitu vt sinuosis anfractibus peruenitur. Quid
Sapientia diuina quantò augustior natur.ls. ergò ipsa à qua omnia hęc & instituūtur vt sint, & illustrātur vt nota sint, creatrix sapientia? Nonne multò ambitiosius eius se tibi commendabit perceptio? suauitatéque suam blandius serenatis infunder sensibus, inusitatis affectibus inexplebilem in se prouocatura concupiscentiam? siquidem *qui edunt me*, inquit b, *adhuc esurient: spi-*
b Eccli. 24. c *ritus enim meus super mel dulcis.*

3. Ampla quædam habes (amice) ad hoc ipsum mel receptacula; acre dico & exercitatum ingenium, multarum subtiliumque rerum scientiam. Sed ego hæc quasi capaces fauorū cellas reputauerim, & adhuc vacuas. Accede ergò, vt infundaris, vt repleantur receptacula tua: exuberent & redundēt & refundantur in nos, iure tibi applausuros in illud Cantici.c *Fauus distillans labia tua.* O si
c Cant. 4. c quando in domo Domini disputantem te audiam! secretos sacratosque exponentem sensus! attingentem & distillantem tenuiter nobis aliqnid de diuinæ maiestate
A secularis scientia animo ad diuina studia hortatur. essentiæ! de æternitate, immensitate, simplicitate: vbi nihil exiguum est, quia simplex est: nec multiplex, quia immensum est; sed tutū infinitum est: Nō temporali successione, nec mole & distensione locali, sed vi essentialique potentia. Quæ quidē tota vbique est, sed in se tota: quoniam in nullo tota eius virtus, veritas, voluntas vel expē-
* f. disparata. ditur, vel exprimitur. Vbi possunt disputandi* gradus quidam esse, & distinctæ secundū nos significationes nominum, res autem vnica & inseparabilis. Plena sunt omnia admiratione, & digna veneratione, & inuestigatione delectabilia. Denique vt scriptum est d, *Non*
d Eccl. 1. b *satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu.* De huiusmodi te libenter prophetantem audiam; & cum te in immēsum pelagi huius profundum immerseris curiosus scrutator, aspergentē his qui ad vberiora habiles nō sūt, suauē vitalis roris sapientiæ. Cū verò diuina te conuerteris ad beneficia, tūc profusius explicantē, & expedientē copiosius quæ senseris de venis, gratis, gloria, de his quæ vel dedit, vel reddidit, vel addidit, & vniuersis quæ pro nobis pertulit & contulit nobis Dominus, proponentem nobis præcedentes in Christo passiones, & futuras glorias, patientiam tribulationum, & expectationē retributionum, elemēta fidei, & morū instituta, & singulos percutientem renouationis & profectuum gradus.

4. Copiosa hæc planè materia & concupiscibile negotiū Nec est vbi se fæcundius & fructuosius exercere potest quamlibet vel ardens vel eruditum ingenium. Hæc idcircò dixerim ne inanium te studio excuses literarum vmbrā secteris priuandus lumine: ne Aristotelicis distortus argutiis silentiū nostrū & simplicitatē causeris. In his enim vel maximè administratur occasio, vt reuelata facie gloriam Domini speculante in eandē imaginē transformemur à claritate in claritatē tanquā à Domini spiritu e. Otiosum ne tibi nostrum videtur & iners silentium,
e 2. Cor. 3 d in quo istud geritur negotii? In quo & traditur & exercetur ars quædam vel directam ad lineam progredi in Deum? transformandi & transmutandi se in nouum hominem? in nouum Adam? Et pertingendi vsque ad sensū
f Colos. 2. a Christi, in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ Dei f? Perennes nimirum hic & ferè in promptu sunt radiantes omninò metallæ venæ, si tamen in altum quis fodere maluerit, quam foris mendicare.

5. Nun ego tibi nunc collata in te diuina recenseo beneficia, gratias Domini & ingratitudinem tuam; immò malam mercedem optimo relatam maneri. Non perniciosa sæculi oblectamenta, in quæ ardenti proruitur studio, ita vt Domino terga vertamus, & non faciem, quantum possum verbis extenuo; nec medicinales in præsenti expono molestias; Nō futuras intendo pœnas, & propo-

A no gloriā, nec in longinquū metū vel expectationē tuā mitto. Tātum de instanti persuadeo pingere†, nō de futuro præmio: de primitiis, nō de plenitudine. Nō est fa- † f. pigere vel etiam non incommodè pangere i.e. pacisci.
cultatis meæ rem verbis prosequi; nec dignum est tantæ maiestatem materiæ angustiis oris nostri coarctari. Tantum experiri velis, & scies, quoniam cantabiles iustifica- g Psal. 118. a
tiones Domini g. Etiam in loco peregrinationis huius: & futuræ in fine sæculi messes, primitiuis seminantur in † al. dubia.
gaudiis. Noli dulcia† differre in annum. Noli, quæ se tibi vltrò ingerit, obsistere gratiæ. Væ mihi si illam excluseris à te quem inueni penes te. Sequere alacri & impigro pede, quo te prima eius vocant blandimēta. Iussisti vt mitterem ad te, atque vtinam ibi inueniaris vbi dereliqui te, in ipsis dico ianuis, & ferè in limine, iamiamque exiturum de conuersatione sæculari. Si tibi in aliquo necessarius videbor, totum me impendam, quia totum debeo. Præsentiam magis, quam epistolam expecto. Vale.

EPISTOLA AD GVILLELMVM.

Dehortatur eum à periculosa profectione in Curiam; & aliam quandam spiritualem profectionem seu motum & progressum illi commendat.

B Dilecto Fratri Guillelmo Fr. G. Salutem in Domino.

DEsideratissimus Frater noster R. abundè suo nos exhilarauit aduentu: & nūciata incolumitate vestrâ 1.
gaudio vberiore perfudit; salutationis obsequia deportans, repostulans suffragia orationum. Vtinam copiosius solito ad munus istud manus nostra sufficiat, & tantò plenius absoluā quantò parcere nobis in reliquis decreuisti. Audiui etenim te satis crebrò repetitisque verbis plenis significantē frequentius ingessisse, orationes vt tibi solicitius impenderem; de cætero fore me securum. Prçclarè, Frater, omninò, & vt virtutis virū decet. Quid
enim? aliud ne est quod vel quisquam libentius rogare debeat, vel monachus licentius possit? Erubesce ad quorundā impudentiā, qui cum omnia sperare debēt, necessaria quidem, à Patre Monasterii; emēdicatis vndecūque suffragiis, subtiles quasdam & exquisitas exinde pelliculas comparant; portentuosas vestes & peregrina palliola, cæteraque quę enumerare longū est, in odoribus, coloribus, saporibus, voluptatis irritamenta; instrumēta vanitatis. Denique quos repetare oportuerat ab his quæ concessa sunt visui; ostentui impudenter inseruire videas. Religiosus nihil petat securius quam orationes. Religiosorū quorundam petacitatem perstingit.

C Quem næuum longe abesse moribus tuis, vox illa tua 2.
toties replicata declarat, & detergit à te lepræ huius colorem nimis latè respersum. Durus ego & inhumanus, & cum in reliquis formosus sim; vt ipsi aiunt, denigrata est in hac parte super carbones facies nostra, quod erogare non noui, nisi quæ consueui rogare. Obloquantur quantum voluerint; improbitatem suam auaritiam nostram faciant, & de mollicie suâ cudant mihi duritiam. Ego quidem posui faciem meam vt petram durissimam; & confracto illorum malleo, spero, quoniam non confundar. Fuerim minus communis, fuerim tenacior; libenter hoc me næuo decolorari sinam: dummodò panem filiorum canes, imò catelli isti delicati & tenelli nō comedant, nec sordes pauperum Christi, superuacuas aliorum munditias faciant: neque de fugiente fratris ventre vanum mihi nomen & fallos conquiram fauores. Prælatus Monasticus qualis esse debeat ergasuos.

D Sed me interim omisso ad te vt reuertar, commone- 3.
amque aliquid à nobis esse petēdum; orationes tu postulasti, ego ex abundanti ad exhortationem me verto; æmulor enim te Dei æmulatione. Timeo autem ne corrūpantur sensus tui à simplicitate quæ est in Christo: ne incassū pro te preces effundantur, qui vltro prorumpis ad casum; frustraque liberari te roges, ad laqueū consultò festinans. Profectutus es, vt audio, ad Curiā, eoque profecturus, vbi impeditū iri te suspicaris. Veteres vadis cū Duce renouare necessitudines, sepulta imò sopita suscitare desideria, iuxta illā de Struthione parabolā a, compressas diu & complicatas in altū alas euecturus, cū tempus acceperis. Sed & ciconia & hirundo visitationis suæ diem cognoscunt b, cum aura cœperit flare tepidior. Manifestè ad te loquor, quæ alii in occulto forsitā loquuntur de te. Ad curiam vadis, & ignoro, an vocatus. Quid illic tamen actutus? animæ tuæ curam cum Duce com- Curiæ commercium religiosi proposito detrimentum. a Iob. 39. b b Ierem. 8. c

municaturus; æſtus cordis tui eius refrigeraturus allo-
c Matth. 24. a quo. Ita fortaſſis, ſed eo frigore, de quo ſcriptum eſt[c]. A
d Oſee 6. b *Refrigeſcet charitas multorum.* Audi denique huiuſmo-
di exprobrantem Prophetam[d]. *Quid faciam tibi E-
phraim? Quid faciam tibi Iuda? Iuſtitia veſtra quaſi nu-
bes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.* Matutina
planè, magis autem momentanea; cum enim vix ſpiri-
e Cant. 5. a tu cœperint, mox carne conſummantur[e]. Tales mul-
tos toleraſſe ſe queritur ſponſus in Canticis[f]. *Caput me-
um plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Nam
cum propter vitæ ſublimitatem quaſi Domini in caput
aſcenderint, hærent in crinibus; & maiore in exteriori-
bus, & à vitali ſpiritu alienis occupatione inſenſibiles
redditi, quæ Dei ſunt, ſapere neſciunt. Denique non
habens in talibus, vbi caput reclinet, ſi quem intus re-
pererit, aperiri ſibi rogat.

4. Vtinam & tu intrinſecus commoreris, & pulſantem
ſtatim ad oſtium Ieſum, cum cordis ſuſceperis hoſpi-
tio, glorieris, & dicas; *Secretum meum mihi, Secretum
g Eſa. 24. c meum mihi* g: Viciſſimque gratam illam laudis vocem
accipies. *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus conclu-
o Cant. 4. b ſus, fons ſignatus*[o]: Signaculo quidem luminis & cordis
lætitiâ, ſignaculo ſeptiformis Spiritus, quod ſoluere ne- B
mo niſi ſolus ipſe poterit, qui portam orientalem ſin-
gulariter ingreditur aliensis clauſam, iuxta illud Pro-
h Ezech. 44. a phetæ[h], *Al enim non tranſibunt per Ieruſalem amplius.* Ta-
li incluſus paradiſo voluptatis, immò ipſe ſicut ager ir-
riguus, & ſicut fons hortorum, cuius non deficiunt a-
quæ, alienorum obſurdeſces ad vocem. Si ſæculi te ve-
xauerit ambitio, ſi dignitatem occaſio vocauerit, & in-
uitauerit blanda peſtis, ſpes honorum aliqua, ſponſæ
i Cant. 5. a cominuo reſpondebis verbis, *Exui me tunicâ meâ, quo-
modo induam eam? Laui pedes meos, quomodo illos inqui-
nabo?*

5. Vides certe, Frater, quid eſt quod dimidiatis verbis
& vmbrarum ſimilibus, rem magis comprimens quam
premens, ſciens eſſe mihi cum ſapiente ſermonem: Vi-
des, inquam, quid eſt totum quod tibi ſuggerere volo;
vt periculoſa ab hac profectione te reuocem, & falce
quadam commonitionis noſtræ celeris lapſus occaſio-
o Eſa. 62. d nes præcidam; ad Prophetæ[o] præceptum, planum tibi
faciens iter offenſionis lapides eligens de via. Multe
mihi eſt ſollicitudo pro te, multa fiducie apud te. Alio- C
quin malim inueteratas tecum neceſſitudines attenua-
ri ad tempus, quam ſilentio ſupprimere, quæ ad ſalu-
tem tuam ſpectare crediderim: perdere familiarita-
tem, quam tenetam & creſcentem adhuc in te humi-
litatem periclitari. Currebas benè, caue ne faſcinatio
k Sap. 4. c nugacitatis obſcuret bona tua[k], & illibata manente
conſcientiâ, in diſcrimen ne vel fama ducatur. Currebas,
inquam, benè, vbi nunc impigrè properas? Currebas
benè, ſed quid ſi non conſummaueris? Conſumman-
dus in breui conſumere vis tempora multa: vt iam tibi
l Gal. 3. c exprobretur è Paulo[l]. *Tanta paſſus es ſine cauſſa*, ſi tamen
ſine cauſſa.

6. Vtinam præſens eſſem modò, & iniectâ quadam
impigrè viuæ vocis manu deducere te poſſem cum A-
braham in terram Chanaan, id eſt, *motus*. Qui enim *con-
m Eſa. 40. g fidunt in Domino, mutabunt fortitudinem*[m]. Bona mu-
n Eſa. 19. c tatio, quam loquitur idem Propheta[n]; *Erunt quinque
ciuitates in terra Ægypti, loquentes lingua Chanaan;
ciuitas ſolis vocabitur vna.* Bona planè, de Ægypti te-
nebris educi in lucem; & poſt Pharaonis domum in D
ſolis iuſtitiæ ciuitatem dedicari. Bonus, inquam, mo-
tus; vbi transfunduntur & in lumen obſcura, & in v-
num plura. Denique & in pluribus perturbatio eſt, &
o Luc. 10. g vnum neceſſarium[o]. Bonus motus vbi conuertitur
& lippitudo Liæ, & ſollicitudo Marthæ in Rachelis cla-
ritatem, & Mariæ tranquillitatem. Hoc enim eſt quod
quæ Ægypti, id eſt tenebratum, ciuitates fuerunt, Solis
dicuntur: & pro quinarii numero vnius tantum fit
mentio. Commutatum ſe nouerat qui loquitur in

Pſalmo[p], *Benedic anima mea Domino & noli obliuiſci om-* p Pſal. 102. a
A *nes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitati-
bus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de
interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſe-
rationibus.* Loquitur hic linguâ Chanaan, qui tot in ſe
recolit commutationes: de iniquitate propitiationem,
de infirmitate curationem, æternitatem de interitu, &
per ſingulos gradus gratias exhibet auctori: piorumque
indicans profectuum, quaſi quadam commutationis lin-
guâ, illud cum Pſalmiſta eloquitur[q], *Nunc cœpi, hæc mu-* q Pſal. 76. b
tatio dexteræ Excelſi. Et vt de Prophetico ſemine apo-
ſtolicas fruges metamus, quod Eſaias claudit Paulus de-
clarat[r]. *Fuiſtis*, inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem* r Eph. 5. b
lux in Domino. Commutationem audiuimus; de con-
ſummatione nos admonet *Vt filii*, inquit, *lucis ambulate.*
Qui ambulat in die non offendit, creſcat lux tua vſque
ad conſummatum diem; & * cum conſummaueris in- *ſ. v.
choaſſe videatis. Audi quomodo ipſe Paulus currebat &
creſcebat, non modo de tenebris in lucem, ſed de luce
in lucem. *Nos*, inquit[s], *reuelatâ facie gloriam Domini* s 2. Cor 3. d
*ſpeculantes in eandem imaginem transformamur à claritate
in claritatem.*

B Cum aliquos, qui ſæculo renunciârunt, in ſæculo 7.
proſperari videris, greſſus tui non effundantur, ſed illis
impingentibus quaſi cæcis in meridie, ipſe glorieris &
dicas; Non laboraui te Domine ſubſequens[t]. Qui e- t Eſa. 40. g
nim ſperant in Domino innouabunt fortitudinem, vo-
labunt, & non laborabunt; ambulabunt & non defi-
cient. Longum erit ſi per ſingulas virtutum innoua-
tiones, quaſi per quaſdam manſiones terræ Chanaan du-
cere te velim. Et quidem primo loco pio Patriarchæ imi-
tatori veniendum eſt in *Sichem*, vbi humilitatis ſuppreſ-
ſiſque humeris (Sichem enim humeri dicuntur) leuiſſi-
mum Chriſti onus ſuſcipiat. Si quidem *bonum eſt homini
cum portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua*[u]. *Dabit* u Thren. 3. d
percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis[x]. Simul- x Ibid.
que obſerua in ſaturitatis verbo non leuem quandam
tolerantiam, & ſummis prælibantem labris, proiicien-
temque quæ amara præſenſerit; ſed inexplebilem eda-
citatem aduerſa tolerandi. Indéque poſt felicem affli-
ctionem & medicinalem moleſtiam pertranſiit *Geraris*
y, & diſſipatâ veterum maceriâ inimicitiarum, de fora- y Gen. 26. e
minibus petræ & cauernarum receſſibus, libens ad ſponſi
C inuitationem elapſus volucribus, ad *Berſabee*[z]. fluenta z Ibid.
euadat. De *Sichem*, inquam, id eſt, de humiliatione &
oratione ad *Berſabea* veniat; ad puteum *ſeptem agnarum*
[a], magis quidem omnium gratiarum Humilibus namque a Beer-Sabe;
dat Deus gratiam b. Et quoniam alia ratione *puteus ſa-* hic puteus ſe-
tietatis dicitur, iuxta inuitantis vocem c, *Venite ad me* ptimus. Vel
qui onerati eſtis, & ego vos reficiam. Poſt afflictionem ad puteus ſaturi-
refectionem properat, ſuauiſſimique liquoris hauſtu tatis.
maiorem prouocatus in eſuriem, verum illud in ſe Sa- v. Gen. 21. d
pientiæ præconium experietur d *Qui edunt me, adhuc* b Iac. 4. b
eſurient. Tacere iam decreui, quoniam te pridem forſi- c Matt. 11. d
tan tædere cœpit ad garrulitatem noſtram Vale; & Hie- d Eccl. 24. e
ronymum ſuper Eſaiam mihi, ſi placet, perquirito; vt
cum miſero, paratum eum habeas.

Breui Epiſt. poſtulatis ægrè ſe annuere ſignificat.

D PAce veſtrâ loquor, nimietas veſtra obſtinatum me
reddit: immò illorum qui intercesſorem te parant,
maior importunitas, meritorum in me tuorum aliqua-
tenus pondus attenuat. Miror, quod non etiam Domi-
num de fontibus adduxere ſuper nos, vt grauium nube
interceſſorum iteratò me obruerent. Vt breui tamen
tibi reſponſo ſatisfaciam; rem hanc quam poſtulatis, ſi-
lentio magis quam ſermone negare volui. Verecundè
quidem more meo, vt cætera, quæ nequequam facere
decreui. Differo tamen magis quam definito reſponſum,
donec in breui ſimul conferamus. Vale.

A

DISSERTATIO I. ASCETICA,
Seu,
De contemplandis reb. diuinis, ad Amicum missa.

R. caussanti de breuitate litterarum, nunc satis copiose respondet non tam litteris, quam prolixa dissertatiuncula. Sed vide vnde sumat materiam, non quidem à rebus familiaribus, (nedum inanibus fabulis) quales inter amicos agitari solent; sed à rebus grauissimis, ac prorsus diuinis. Videas enim hic sublimes de rerum cælestium contemplatione, ac diuina fruitione sermones siue discursus plane sublimes, & tamen non exoticos. Talibus quippe cum Amico colloquiis se delectari scribit; Nihil mihi iucundius, *inquit,* hoc commercio, nihil suauius, dummodò ipsæ habeamus sermonis materiam, quem amoris caussam. *Nouum vere religiosi de litteris religiose scribendis. Sed vide S. Bern. Epist. 89. & illud. NOTAS.*

1. SAtisne protractum tibi videor sermonem texuisse; & quod in superioribus decurtatum fuerat, supplêsse in isto? Nimius fortasse & in hac parte fuerim, & oneri tibi nunc sit nostra prolixitas, qui prius de breuitate caussabaris. Breues enim à me tibi dati non epistolas, sed clausulas verborum questus es, mi R. & dum adhuc ordirentur succisas. Illud adiiciens periocundũ tibi fore, si amici raritatem colloquii pagina compensaret prolixior. Me autem occupationes caussante tuas, fastidioq; parcendum esse lectoris, tu de reliquo iubebas esse securum. Itaq; vt pro me fatear, nihil mihi iocundius hoc cõmercio, nihil suauius; dummodò ipsũ sermonis habeamus materiam, quẽ amoris caussam. Si ipse sonet in ore, resonet in corde; intus parturiat, quod depromat foras. Deniq; & legis[a], *Si quis loquitur quasi sermones Dei*, quasi à Deo datos, & quasi ad ipsum relatos. Ab ipso enim est gratia; penes ipsum caussa; in ipso materia copiosa planè. Quis illã explicet? Quis, vt interim de essentia sileã, eius loquatur beneficia? Eius & iudicia? Nullus hic sermo nimius: null[9] satis multus. *Exaltate*, inquit Scriptura b *Dominum quantum potestis, maior est enim.* Diues sanè materia; dulce negotiũ. Quid enim dulcius? quid hac occupatione gratius; quæ sola fruitionis angelicæ & futuræ cõuersationis superinduit & vestit imaginem. *Bonũ est*, inquit Psalmus c, *confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime. Quia delectasti me in factura tua: Et in operibus manuum tuarum exultabo.* Si sic delectat, sic lætificat magnificentia tua Domine, essentia quid faciet? Si complaces in operibus tuis, in te ipso qualis nobis eris?

Vide quale vir sanctus velit colloquiũ cum amico; nempè vt ipse sit sermonis materia, qui amoris caussa est Deus.

a 1. *Pet.* 4. c

b *Eccl.* 43. d

En qualis religiosos viros sermo deceat.

c *Psal.* 91 n

2. Felices qui id prælibare possunt, vacare & videre quã suauis est Dominus! Heu me quod nõ in hoc ipsum liberè labuntur tempora? quod distracto mordacibus curis animo coriosus quodãmodò & dimidiatus, ad tam pium accedo spectaculũ. Quod de eius iugitate cum Propheta gloriari non licet[d]. *Super speculã Domini ego sum stans iugiter per diem: & super custodiam meã ego sum stans totis noctibus.* Non illi in vacuum diffluebant tempora; immò non ipse vagabatur & volitabat cum tempore, qui tempora religata tenebat, in sui custodia, vel Domini specula illa expendẽs. Salubris quidẽ illa, sed ista suauior. Denique aduerte illã nocti comparatam, istam diei. Quid enim, ait Apostolus? *Nos autem reuelatâ facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* Optimum planè, immaculatum se custodire, nec conformari huic sæculo: sed longè præstantius futuro reformari, & transformari à claritate in claritatem. Huic speculationi instare, super speculum Domini stare est; & stare per diem. *Stans*, inquit, *iugiter per diem.* Quid ergo? Non sunt infirmata genua sua, benedicte Propheta à iugitate? Non sunt infirmata à ieiunio? Et quidem non ieiunium, sed suauis est magis epulatio huiusmodi speculatio. Denique qui habitat in excelso panis ei datus est: aquæ eius fideles sunt.

Viris piis graue non posse continuo vacare diuinis

d *Isa.* 21. b

e 2. *Cor.* 3. d

D

3. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, vt volare possim in tam fidam & fœcundam stationem, vbi requies est, & refectio? Rarus mihi illò accessus; si tamen vllus. Rarus sed fortè & interruptus statim; & sicut vmbra cum declinat, ablatus: donec iterum locustarum more subitum excutiar in saltum. Bonus quidem saltus, de quo legis in Psalmo f. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est.* Denique & pro Idithun, id est, *pro transiliente*, hic Psalmus inscribitur. Transilierat cuncta quæ transeunt, ad ea quæ sunt & manent, mente transmigrans. Numerus ille sine numero, finis sine fine; finis miseriam exterminans, felicitatem non terminans g. *Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.* Finis idem ipse fidei ad lætitiam omni cernenti. Siquidem ipse *Sapientia attingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter* h. A fine ad finem; à fide ad spem; attingens quasi via; disponens, quasi vita. *Ego sum*, inquit, i *via, & veritas, & vita.* Via deducens, veritas docens, vita dulcescens. *Hæc enim est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum* k. Cognitio hæc plena dulcedinis. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque ad finem* l. In hoc fine disponemur feruenter, quando ipse fuerit omnia in omnibus; deletisque omnibus veteris hominis deliquiis, absorpta erit à vita mortalitas, à virtute infirmitas, à veritate cæcitas; & carnalis concupiscentia ab abundantiâ spiritali.

f *Psal.* 38 n

Transiliẽda temporalia vt videantur æterna.

g *Rom.* 10. n

h *Sap.* 8. a

i *Ioan.* 14. a

k *Ioan.* 17. a

l *Psal.* 15. a

B

4. Quæ quoniam sibi, dum hic viuitur aduersantur, pugnandum est fortiter, vt pausemus feliciter; & pugna vertatur in pacem: Sicut scriptum est, m, *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* O vera pax & plena pax! tantò magis vera, quantò minus varia: tantò plenior, quantò perennior. *Idipsum*; diuersitatem excludit; pax aduersitatem. *Non laborabunt frustra, nec generabunt in conturbatione* n. Quasi dicat. Non laborabunt sine fructu; nec laborabunt ad fructum. Nullus hic sine labore fructus, sine fructu labor frequens. *Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos* o. Modò parturimus & gemimus, tunc de partu gauisuri. *Non meminit pressuræ mulier cum puerum peperit* p: peperit enim masculum, in quo imago est & gloria Dei. Sed quando fiet istud; quando adimplebitur quod legitur? *Scimus cum apparuerit quod similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* q. Ad hanc visionem omnis creatura ingemiscit, suspirat, & parturit vsque adhuc r. Ipsa est verè sapientia diuinam nos suauiter disponens ad imaginem. In multis nunc vexati, tunc in cunctis benè disponemur s. Non per vices temporũ, non per gradus profectuum: non de virtute in virtutẽ, nec de claritate in claritatem; sed simul & semel in omni virtute & omni veritate. An non hoc ipsum Esaias dicit t? *Antequam parturiret, peperit; antequam parturiret, peperit masculum.* Quæ est ista, quæ tanta cum festinatione sine omni fatigatione peperit? Vtique ipsa de qua loquimur, Sapientia; quæ dicit u. *Ego mater pulchræ dilectionis & agnitionis.* In his sine parturitione nos ad plenum pariet, quando sine difficultate in æternitate, in æternitate veritatem contemplabimur; charitati contemperabimur. *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, ait Paulus x. Ergo nunc parturit Apostolus, tunc ipse Dominus pariet. *Si ego qui cæteros parere facio, ipse non pariam; qui generationem præsto cæteris, sterilis ero; dicit Dominus* y? Immò erimus omnes docibiles Dei z, conformes ei.

Hic pugnãdum & laborandum, vt perueniamus ad pacem & quietem.

m *Psal.* 4. d

o *Esa.* 65. d

o *Gen.* 4. b

p *Ioan.* 16. c

q 1. *Ioan.* 3. a

r *Rom.* 8. d

s *Sap.* 3. a

C

t *Esa.* 66. c

u *Eccl.* 24. c

x *Esa.* 66. c

y *Esa.* 66. n

5. Denique in hac conformitate de eius visione nata, in prolem renouamur masculinam. Siquidem vir imago est & gloria Dei a. Vnde non debet vir velare faciem suam, id corporis prætendens habitu, quod tunc erit in spiritu: quando mentis reuelatâ facie gloriam Domini speculantes in eandem transformabimur imaginẽ, absq; proficiendi articulo, & deficiẽdi periculo. Hoc enim est quod admirando dicitur b, *Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile? Si nata est gens semel, & si parturiuit terra vna die: quoniam peperit Sion filios.* Verè enim Sion; quæ *specula* dicitur, in die parit, & in die vna: illa quę in atriis Domini melior est super millia. De qua & Propheta alias c. *Et erit dies vna quæ nota est Domino; nõ dies & nox: Et in tempore vesperæ lux erit. Quoniã quidem nõ occidet vltra sol tuus, neque luna minuetur. Sed erit tibi Dominus in lucẽ sẽpiternã.* Hæc est dies quæ nota est

a 1. *Cor.* 11. b

D

b *Esa.* 66. c

c *Esa.* 60. d

Domino: hęc est enim dies, Dominus. *Nemo nouit Patrē*
d Matt. 11. d *nisi filius, & cui voluerit reuelare* d. Ipsius reuelatio etiam
nos dies efficiet: Similes ei erimus cum apparuerit. *Dies,*
e Psal. 138. c inquit, e, *formabuntur, & nemo in eis.* eorum vtique qui-
f Matt. 5. b bus dicitur f, *vos estis lux mundi. Habebis nunc prophe-*
ticum sermonem, cui benè facitis attendentes quasi lucerna,
g 2. Pet. 1. d *donec illucescat dies* g. Iam quidem lucerna reconditur,
cum Lucifer oritur. Euacuabitur enim sermo propheti-
cus, euacuabitur Apostolicus & sermo & sensus. *Ex par-*
h 1. Cor. 13. c *te*, inquit h, *cognoscimus: Euacuabitur autem quod ex*
parte est cum venerit quod perfectum est. Propterea ait Phi-
lippus; *Domine ostende nobis Patrem & sufficit nobis.* Tu,
inquit, Et patrem. Non alius quam tu; non aliud quam
ipsum; Et sufficit nobis.

6. *Inuisibilia* quidem tua *per ea quæ facta sunt, intellecta*
i Rom. 1. b *conspiciuntur sempiterna quoque virtus & diuinitas* i. Sed
Ad visionem aliud est videre te nullo mediante, aliud alieno benefi-
beatam, quò cio. Quid enim mihi lucernam accendis? vt solem con-
perfectior æ- spiciam? bona lucerna, sed infirmo oculo; bona sunt v-
nigmatica eò bera, sed paruulus in Christo, bonum est speculum; sed
magis aspi- melius est osculum; ideò osculare me tu osculo oris tui;
randum. oris, inquam, tui, non operis tui; Intus os, foris est opus.
k Cant. 8. a *Quis mihi det*, inquit k, *te fratrem meum sugentem vbera*
mea, vt inueniam te foris, & deosculer te? Quem inuentū
foris deosculari exoptat, vocat & sugentem vbera, de
incarnationis exinanitione aliquid significans. Alio au-
tem modo, & si in vnione personæ, per operis tamē in-
dicia sapientia artifex fons relucet; foris delectatur etsi
suauiter nō sufficienter. Fac quod sufficiat, ostende te i-
psum, ego te foris studiosè requiro, tardè inuenio, cum
difficultate retineo, & quodammodo fugitantem, & e-
labentem votiuè deosculor, bona hæc oscula, sed sicut
in imagine, sicut in vmbra. bona hæc oscula, & ad tem-
pus reficiunt; sed non sufficiunt, fac quod sufficiat. De-
Osculum ver- osculare me tu osculo oris tui; osculo Verbi, non carnis;
bi diuinum veritatis, non imaginis; osculo voluntariè indulto, non
petit. violenter extorto; osculo manifestationis tuæ, & con-
formationis meæ, vt tibi compositus, tibi copulatus, in
vno sim spiritu: *qui enim adhæret Domino, vnius est spi-*
l 1. Cor. 6. d *ritus* l: indiuiduus iste amoris & vnionis complexus, iure
osculi censetur nomine. Et ideò tibi osculādi delego of-
ficium, authoritatem attribuo, vbi totum est operis tui,
non laboris mei, indulgentiæ tuæ, non diligentiæ meæ,
manifestationis tuæ, non meæ inuestigationis.

7. Propterea dico, manifesta mihi te ipsum, per te ipsū,
sicuti es, & sufficit mihi; *satiabor, cum apparuerit gloria*
m Psal. 16. d *tua* m. Cum me infuderis vino illo, vino nouo, quod ipse
potas, ipse propinas in regno tuo merum illud volo, non
mixtum; purum, & sine lacte, quia lac paruulorum est.
Euacuabuntur quæ sunt paruuli; meliora sunt quidem
vbera vino, sed non isto, magis autem optimum istud
Ebrietatis di- super vbera. Denique non hæc inebriant, sed illud, &
uinæ & beatæ mentis statum, in nouos quosdā insuetatosque trāsfun-
desiderium. dit sensus. Vbera dum suguntur, siccantur; illud quod
inebriat, exuberat iugiter; nolo eius feruorem, lactis
frigore temperari, purum expecto, & perenniter ma-
nans, sic etenim legimus, *Inebriabuntur ab vbertate do-*
mus suæ, quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo vi-
debimus lumen. Insuetata hæc planè ebrietas, quæ lumine
fit, non liquore; sinceritate, non sicera. Ideò cum te lu-
cem tuam, & veritatem tuam, plenitudinem, non pignus,
quod præsentiam tuam tardet, gratiam temperet, lumē
obumbret; quod in vmbra promittitur, præstetur in lu-
n Esa. 64. b mine. In vmbra est, quod Propheta loquitur n, *oculus nō*
vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Sed
o Num. 27. b etiam quæ *in Numeris* o hæreditatem non possident, sed
postulant paternam; filiæ dictæ sunt Salphaad, id est *vm-*
bra, nec enim poterat Salphaad, non poterat *vmbra* vi-
ros generare, in quibus imago est & gloria Domini. quod
quidem nō erit, quamdiu credimus; sed cū videbimus,
tum erimus similes ei. Propterea hoc qui sumus in corpo-
re peregrinantes à Domino, postulamus cum filiabus
Salphaad (quid enim postulemus, sicut oportet nesci-
p Rom. 8. c mus p) postulamus hæreditatem paternam; *Dominus enim*
q Ioan. 14. a *pars hæreditatis meæ* q. Postulamus cū Apostolo q, *Ostēde*
nobis Patrem, & sufficit nobis. Nō insisto vlterius, citra nō

A subsisto: in hunc mihi desideriorum limitem pono; voto-
rum colloco finem. Quis tandem ille finis? quem dicit
Apostolus r. *Finem vero vitam æternam.* Quę est ista vita r Rom. 6. d
æterna? quam dicit Christus s *Hæc est vita æterna; vt co-* s Ioan. 17. a
gnoscant te verū Deum, & quem misisti Iesum Christum.
Ad hunc finem quasi ad conclusionē vniuersorum vo- 8.
to transierat, qui loquitur in Psalmo t. *Notum fac mihi* t Psal. 38. a
Domine finem meum, finem boni, & finem mali, illius
quia cōsumitur; huius quia consūmatur. Ideo verè finē,
finem purum plenū, perpetuum; à malo purum, in bono
plenum; vt vtroque perpetuū: purè afficit, plenè sufficit;
in neutroque deficit. Hoc enim est, quod addit s, *& nu-* s Ibidem.
merum dierū meorū, qui est. Veri enim dies illi sunt simul,
& non succedent ei, non minuitur, non mutatur illorum
dierum numerus. Propterea dicitur; *qui est.* Quonā mo-
do dies meus deficit, si sol meus non occidit? *Nō occidet,*
inquit u, *sol tuus, & luna tua non minuetur.* Ego luna, & u Esa. 60. d
ille sol: & ideò illa nō minuetur; quia à perenni, & vbiq;
præsenti sole non mouetur. Dierum ergò illorum nostra Dies æterni-
quidem ratione non erit terminus, & erit numerus; erit tatis, quomo-
ibi nobis iugis & indefessa sempiternitas; sed non erit do habeans
omnimoda; & diuinæ vnitati conformis simplicitas, cæ- numerum cū
non habeans
B tera enim omnia licet sempiterna sunt, simplicia tamen terminum.
nequaquam sunt, quibus non hoc est esse, quod hoc vel
illud esse: nec hoc vel illud esse, quod quidlibet quod sūt,
esse; nā in creaturā spirituali, quæ sunt in seipsis infinita,
sunt propter interminabilem perseuerantiam, & ad se
inuicem quodāmodo determinata, & definita propter
certam quandā naturarū affectionūque distantiam. De-
nique *in domo*, inquit x, *Patris mei, mansiones multæ sunt:* x Ioan. 14. a
mansiones planè luminum: quoniam ipse Deus lucē ha-
bitat inaccessibilem y, vt quod hic dicitur *numerus dierū*, y 1. Tim. 6. d
illic intelligatur *multitudo mansionum.* non quod singu-
lis sunt singulæ, sed etiam aliceui multę iuxta illud z *& tu* z Luc. 19. c
esto potestatem habens supra decem ciuitates, nam & stella à
stella differt in claritate a. In quo enim pręcesserit virtutū a 1. Cor. 15. f
numerus, multiplicabitur & munus claritatum, sicut se
habet promissio prophetica b, *implebit Dominus splendo-* b Esa. 58. b
ribus animam tuam. Felix planè anima, quæ non vno tan-
tum sed multis fuerit repleta splendoribus. illis vtiq; de
quibus dicitur c, *Tecum principium in die virtutis tuæ, in* c Psal. 109. a
splendoribus sanctorum. Serenissimi splendores isti dies,
& virtus claritatis.

C Quis dabit mihi, vt trini splendoris huius radio, spiri- 9.
tus meus illustretur, vt dies meos beatissimus hic nume-
rus compleat. compleat, & cōtineat? Quis, inquā, dabit
mihi, vt æternitatis ad lineā se porrigāt, in veritatis splē-
dore fulgeant, & ferueant in spiritu charitatis? Sic enim, Dies æterni-
non vt in mundi primâ conditione, mutuus vespertini, tatis quale.
& matutini temporis recursus plures disterminabit dies,
sed continuus erit dies, & totus meridies, ibi, vt ita dicā,
inter mane & vesperam, nox infelix explosa est. In isto v-
trosq; terminos indeclinabiles occupabit meridies, iu-
xta quod legitur, *in tēpore vesperæ erit lux*, quoniā nō erit
vel temporis transmutatio, vel vicissitudinis obumbra-
tio. Sed quādo erit istud? quādo teipsū nobis in illo me-
ridiano sicut es manifestabis bone Iesu, in te enim vide-
bimus Patrē, & sufficiet nobis. O pigra tēpora, & tarda pe-
ctora! tarda ad cernendum; nam ad credendū prompta.

Appropria Domine, tu nobis, vt nos dicere possimus d, 10.
Ecce hic venit saliens in montibus, transiliens colles. Ap- d Cant. 2. b
propinqua, & præueni tarditatem nostram. Denique &
D modò lectum est, quomodo duobus illis euntibus in E-
maus appropinquasti e. Fidei tarditatē in illis increpans, e Luc. 24.
& teipsum de scripturis interpretans, intus aperiens, &
foris apparens; sed nimis citò disparens forsitan quia nō
pleno meridie te manifestasti; sed sub ipsa vesperâ & in-
clinatâ iam die. Deniq; in omni illa beatæ Resurrectio-
nis apparitione, nusquā meridiē legisse me memini: sed
vel sero nondum inchoatam diem, vel iam inclinatam,
vt omnem hic veritatis lucem quodam ignorantiæ tem-
peratam obscuro intelligas. Simul grata in hoc aduertē- Tempus ap-
da distinctio quod quærētibus se studiosè mulieribus dilu- paritionum
culò ad monumentū apparuit. sero autem de illa vna sab- Christi post
batorum, reclusis discipulis in domo vtinā ergò & nobis resurrectionē
Domine, in hoc vel diluculo, vel crepusculo appareas pulcre nota-
tum.

nim si omnia nisu ad capiendum te nos extendimus, totum comprehendimus. Potens est Deus facere supra petimus, & intelligimus: Quantò magis id quod ipse est & factus non est, nostræ exuperat modum appetentiæ & intelligentiæ limitem? *Ecce*, inquit a, *declino in eos, vt flumen pacis, & vt torrens inundans gloria*. (a Esa. 66. d) Nunquid ergo absorbere poterit homo flumen, cuius impetus lætificat ciuitatem Dei, & exhaurire Iordanem, vt totus in os eius influat? Verè Domine, non angustiamur in te, tu enim das affluenter, nec paucis das, nec pauca das, nec parco & remordente animo; præueniens merita, & excedens vota; non angustiamur in te, angustiamur autem in visceribus nostris. Tantas habentes promissiones, Charissimi, dilatemur & nos, dilatemur ad optandum, vt dilatemur ad obtinendum.

6. Tu Domine, tu potius placido & leni allapsu vbertatis tuæ, *viam enim mandatorum tuorum concurri cum dilatasti cor meum* b; (b Psal. 119. b) Qui cœlum sicut pellem extendis, vetustam factam cordis mei pellem, & inerti contractam situ leniter extende, rugas eius explica, extrahe sinus, dilata receptacula, vt sine mensura te concupiscam; & sine mensurâ capiam, Capaciorem me faciat hæc sancta cupiditas, sic enim experientiæ tenui prælibam gustu, quo fides persuadet, præuolabit affectus, & rationis impulsum, feruida non expectabit alacritas: ita inter tentationem duta ac diuturna minus laborabit sancti constantia propositi, propensi desiderii, & piæ spei expectatione protracta; sed expectemus hic & respiremus paululum fesso parcentes spiritui, vt breui spatio intervallo feruidior exurgat.

DISSERTATIO III. ASSETICA,

De rebus diuinis, ad Amicum missa.

1. NOctumâ quiete à te refectos dignum est nos, Domine, in matutino astare tibi; astare an sequi? felix qui te assidentem foribus suis matutinis inuenerit, vt astare possit, & astare in vesperum; ne subito elapsum volatu, vago vultu tenues inter auras quæreret. Te enim tenebras ponis latibulum tuum a. (a Psal. 17. b) Lux es; es & latibulum; lucem siquidem habitas inaccessibilem b: (b 1. Tim. 6. d) Propterea nobis tenebræ, quibus est inaccessibilis; sed si accessibilis visu, non tamen & voci: quia quò non approximat ratio, pertransit oratio; *clamor*, inquit c, *meus in conspectu eius introiuit in aures eius*. (Deus quomodo lux simul & tenebræ. c Psal 17. a) Ergò & clamor noster intret in conspectu tuo, vt & ipse egrediaris in conspectu nostro & indulgeas vel videri, qui te nō sinis teneri. *Reuertere, reuertere vt intueamur te; vt intueamur* d, (d Cant. 8. d) donec teneamus. Reuertere, *similis esto, dilecte mi, capreæ aut hinnulo ceruorum, super montes aromatum similis esto*, inquit, *capreæ*; videaris & auoles: adsis & elonges: adsis aspectui, absentans te tactui. Denique & mulieri dicitur e, *noli me tangere*, (e Ioan. 20. d) & quasi quadam experientiæ fidâ attrectate manu. Ecce Domine manum abstineo, oculum intendo. *Mane astabo tibi & videbo* f. (f Psal. 5. a) Væ mihi si et illud audiam g. (g Cant. 6 b) *Auerte oculus tuos à me, quoniam ipsi me auolare fecerunt*. (Deus absconditse, vt magis quæratur.) An fortè dum fugis aspectum accendes desiderium, vt anxius quæraris, dum amplius amaris. Denique fuga tua nos auidius ad cursū sollicitat.

2. Quis ponet pedes meos quasi ceruorum, vt possim expeditus & alacer bone hinnulum sequi? Domesticas discere curas, & cœlesti in solitudine silvescere? Bonum est exonerari se ipso, onere grauissimo, & capreærum sensim in leuitatem deficere. Propterea Propheta h, *non laboraui*, inquit, *te Domine sequens*. Verum est quod dicis benedicte Propheta. Verum est, sed adhoc parum; non laborare non sufficit, nisi & læteris. ideò quod tu minus eloqueris, alius per explicat, *Cantent*, inquit i, *in viis Domini quoniam magna est gloria Domini*. (i Psal. 13. b) Iterùmque k, *cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ*. (K Ibid. 118. g) Totum intus agitur. in corde enim canitur: nam & ibi curritur, *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum* l. (l Psal. 83. a) (Gaudium & lacrymæ quomodo misceantur in hac peregrinatione.) Quæ est tamen ista ratio ascendentis cum lamento, & peregrinantis cum Cantico? Cum aut lamentari non possit in patriâ, aut lætari in terra alienâ. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra alienâ* m. (m Psal. 136. a) Sed fortè immò certè qui super flumina Babylonis sedent & morantur, plorant? Et qui egrediuntur, exultant. Et qui ascēdit in valle lachrymarum, ascendit & de valle lachrymarum. Et licet de lachrymis, non tamen cum lachrymis. Suauius enim est in monte gaudiorum esse, quam in valle doloris. Quod si cum lachrymis, magis quia pigrè ascenditur, & nondum propè acceditur: non enim qui ascensiones in corde suo disponit, statim & perficit; Sed cùm benedictionem dederit legislator, tunc *ibunt de virtute in virtutem, vt videatur Deus Deorum in Syon* n. (n Psal. 84. c) pergens & properans in lætitiâ cordis ad brauium, sicut qui intrat cum tibia in montem Domini, montem de quo Propheta o. (o Esa. 25 b) *Et faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, ceruinium vindemia, pinguium medullatorum vindemia defæcata*: (Nulla hic mera & syncere lætitia sed mixta lacrymis.) Temperata est adhuc, & non defæcata ascendentis lætitia, & mixta cum lachrymis, Calix enim in manu Domini vini meri plenus mixto p, (p) mixtum est pergentibus, merum pertingentibus; remanente apud pigros fæce. Miscuit hic sapientia in cratere vinum, ibi nouam defæcabit vindemiam. Vnum ibi est beatorum negotium spirituum, vna anni iubilæi feriatio. Lætari cum Domino, & laudare ipsum; *Gaudium etenim inuenietur in eâ gratiarum actio, & vox laudis* q. (q Esa. 51 b)

3. Lætare Hierusalem, erumpe & lauda; lauda munificentiam; munifico refer gratiam, hoc à te votum semper exoluitur, & semper exigitur, promptè exoluitur, & piè exigitur. Exactio ipsa delectatio est, commendate se ipsam beatæ veritatis votiua perceptio, & serenatis afflata sensibus, simul cum luce lætitiam infundit. (Beatorum indefatigabile Deum laudandi desiderium.) *Lux orta est iusti, & rectis corde lætitia* r. (r Psal. 96 b) *Lætamini iusti in Domino*: quam pro lætitiâ vicem rependent? *Et confitemini*, inquit s, *memoria sanctificationis eius*. (s Ibid.) Ergo lætitia de luce, laus de lætitia; lætitia excrescens erumpit in laudem; & nesciunt perfusa viscera luminosæ veritatis felicem non eructare crapulam, & temperare à cantico, torrente inebriata dulcedinis Siquidem & suauitate prouocat appetentiam; & vbertas ministrat sufficientiam; & instantiam perennat æternitas. Denique sic ipsa attestatur suauitas, vbertas, æternitas t. *Qui biberit aquam quam ego de, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. (t Ioan. 4 b)

4. O beati spiritus & animæ iustorum, O Ecclesia primitiuorum, qui conscripti estis in cœlestibus, vos verè primitiui qui prælibatis benedictionis futuræ primitias. (Congratulatio de felicitate Beatorum.) *Comedite amici & bibite & inebriamini charissimi*, bibite de cisternâ vestrâ; & fluenta putei vestri excrescant & exuberent; affluant & discurrant in plateis cordis vestri, aquæ delitiarum vestrarum. Non participent vobiscum alieni; sed nec omnes admittantur domestici, nos enim ciues sanctorum, & domestici Dei, ciues conscripti, sed nondum suscepti, ciues exulantes, ciues peregrinantes, ciues vagi & palantes. Siquidem iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos u. (u Esa. 64. b) Vos autem sedetis in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentiæ x. (x Esa. 32. d) Væ habitatoribus terræ, vbi rata pax, securitas nulla, iugis labor, & in egestatem parturiens; nam & *militia est vita hominis super terram* y, (y Iob. 7. a) quamdiu caro concupiscit aduersus spiritum; & aduersarius noster circuit quasi leo, quærens quem deuoret z. (z 1. Pet 5. c) Et in sudore vultus nostri vescimur pane nostro: & terra cordis nostri spinas & tribulos germinat operanti. (Solatium nostræ peregrinationis & exilii vnde.) Propterea dissipati, & dilacerati, & corde tabescentes abundantius habemus in manibus sollicitè de nobis adhuc gemere, quam securè gaudere in Domino; nisi quod spes bona primitiarum argumento prospectans in finem, de tribulationum torcularibus consolationis exprimit oleum, quo facie exhilarata & impinguato capite, cum Apostolo a in tribulationibus, gloriamur, in contumeliis complacemus nobis: (a Rom. 5. a) *scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem*, quid verò spes, nisi superuenturæ in nos gloriæ primitiua quædam iam prælibare videtur gaudia? *Spe*, inquit b, *salui facti sumus*, & c, *spe gaudentes*. (b Rom. 8. c; c Rom. 12. c) Nouit enim pia fides pigra præuolare tempora, & tan-

quam de præsenti affici, quod inconcussa sibi depingit A fiduciâ; sed ea spes quam examinatæ conscientiæ puritas, non præsumptio parturit.

5. Lauamini, mundi estote; lauamini & igne examinamini, vt pœnitentiæ & patientiæ exercitio quasi camino conflatorio ad purum excoctos supernus vos respectus, & roris instar voluptatis suæ aspergine refrigeret, gratanter & gloriantes mox in illam vocem erupturos[d], *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Lauamini & lætamini; lauamini frequentius, vt feruentius lætemini. Vsurpate sæpius, quod sempiterne nondum potestis. infelices montes Gelboæ siccitate æternâ damnati, non estis perfusi hac pluuiâ voluntariâ; nec descendit in vos stilla * antelucani: propter hoc non estis agri primitiarum, sed nec serotinus fructus expectatur à vobis. Vtinam Domine caput meum plenum sit isto rore; Et cincinni mei guttis noctium. Quid enim nisi in nocte versamur, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, in meridiano quod expectamus; nec vmbra formidatur, nec stilla optatur. Fluit hic stilla de situla Iacob; sed erit sibi semen eius in aquas multas. Felicia tempora, quando vniuersa facies terræ irrigua erit, & supernè irrigua, B nec sterilis quicquam possidebit ariditas: superius & inferius, vtrinque irrigua, quando caro mea, & cor meum exultabunt in Deum viuum. Bonus plane fons qui tunc ascendet & mundabit cor nostrum, primoque illo melior quia non poterit exsiccari. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabit nos*[e]. *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videmus lumen*[f]. Bonus certè fons, ex quo tales emanant riuuli, voluptas, vbertas, vita & veritas.

Excitat ad desiderium supernæ & æternæ felicitatis.
d Psal. 93. d
a f. deest roris.
e Psal. 35. b
f Ibid. c

6. Irrora inde huc; prætende misericordiam scientibus te, etsi nondum totum te. prætende misericordiam, infunde gratiam, effunde Spiritum tuum super nos, qui innouet spiritum nostrum in visceribus nostris, Spiritum principalem, qui reformet & conformet nos sibi, conformet & confirmet; lætificet, & illuminet. *Iustitia* enim[g] *Domini recta lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, sicut est nostrum hic illuminari & lætificari. Alioquin planè *lætabimur coram te, sicut lætantur in messe, sicut exultant victores captâ prædâ, quando diuidunt spolia*[h]: Lætabimur ibi quasi possidentes; hic quasi proponentes, & præsumentes, & prose- C quentes, donec consequamur. Ibi ergò de possessione, hic de promissione; illic de plenitudine, istic de portione. Quod enim inde huc aspergitur, stilla est, non fluuius; scintilla non caminus, heu quam citò & scintilla hæc euanescit, & stilla arescit! *Memento nostri Domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate, & lætandum in lætitiâ, vt lauderis cum hæreditate tuâ*[i]. Visita ad nos videndum, lætandum, laudandum; visita nos in salute & lumine; in lætitiâ & laude. Bona sunt hæc stillicidia quamuis rara, & quasi rorantia: Rorate cœli desuper; æterni montes distillate nobis dulcedinem; in stillicidiis vestris lætabitur germinans.

g Psal. 18. e
h Esa. 9. a
Lætitia spiritus in hac vita nonnisi stilla vel scintilla.
i Psal. 105. a

7. Esto tu nobis Domine, sicut ros, vt & eos germinemus sicut lilium. Nescit verbum tuum semel emissum vacuum reuerti, sed prosperabitur in his ad quæ mittitur[k]. Denique ad irrigationem eius *pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus*[l]. Dum deiectos erigit & sublimat: dum carnis incentiua lenit & mitigat; dum desperatos locat, & conuersari facit in cœlestibus; D dum exasperatos mollit, & contemperat mitibus. Iucunda hæc visitatio; sed quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens[m]. Iure met matutino confertur quamlibet in carne contemplatio, & mentis excessus, habet enim nescio quid, immò multum quid de noctis frigore propter minus feruidum affectum; Et de noctis caligine propter subobscurũ intellectum: sed ideò matutinis; quare ergo pertransiens? pertransiens à nobis, an pertransiens & penetrans in nos? *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio*[n], vt non tantum cutem foris signet, sed permeet ad interiora, ad medullam transeat, & fiat irrigatio ossium; sermones enim e-

k Esa. 55. d
l Esa. 55. d
Visitatio diuina in præsenti modica & momentanea
m Ose. 6. b
n Heb. 4. c

ius molliti super oleum, & ipsi sunt iacula; an ideò quia si expansum fuerit sicut cœlum cor hominis, complicabitur sicut liber, & sicut fumus liquescet. Interpretetur quisque in sententia, sicut experitur in conscientiâ, perfectus quod illum infundit & penetrat: proficiens, quod illum pertransit & præteruolat. Pertransit à nobis, vt nos attrahat post se, & transire faciat ad se; quasi ipsa fuga dicens; *Transite ad me, qui concupiscitis me.*

8. Fortassis nos frequentius transimus à te Domine, quam tu à nobis; siquidem & accendis lucernam, & euertis domum, & scrutaris nos, iuxta Prophetam[o]. Si cubi inuenias intus sordes latitantes vanis & vagis, mollibus, & molestis curis, & cogitationibus immersos, non modo cum Deo & mundo animum dimidiantes, sed in alteram propensiores & promptiores partem; etsi non pro cupiditate, tamen pro consuetudine, nam & quæ vtiliter admittuntur curæ, violenter se ingerunt, sicque cum non vrgat necessitas, tamen occupat superuacuitas. Denique videmur mihi syluam refugere, quæ fluit cum silentio[p], Babylonis flumina sectari.

o Soph. 1.
Homo ad terrena quàm cœlestia propensior.
p Esa. 8. b

9. Sed nos iam aliquanta sermocinati sumus tecum Domine, & de te: & suauiter refecti sumus quasi catelli de B micis quæ cadebant de mensâ tuâ, si sic afficis transiens & transmeans; Quid facis manens & commorans? Heu me! quod indigni sumus tam dulci commoratione. *Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies*[q]. Verè inclinatur, cum tu declinas, cõpellite eum, Fratres. precum vestrarum instantiâ. Vim ei intulerunt duo illi euntes in Emaus, cum se fingeret longius ire[r]. Quod ergo fingit, quod non facit veritas? ire se finxit, manere compulsus; sed non permanere: nam inter cœnandum euanuit: sed illa abeundi fictio manendi est occasio: quasi abire se fingit, spiritualem attenuans lætitiam, sed occultus manet, iustitiam continuans, humilitatem accumulans.

q Luc. 24. e
Christus se fingit abire, vt instantius rogetur manere.
r Ibid. *

DISSERTATIO IV. ASCETICA,

Seu de meditatione rerum cœlestium; in gratiam R. Amici scripta.

1. HAbes quod rogasti, sed habes illud quodam cumulatorum fœnore. Ego tamen fœnus hoc meis assigno C commodis, & inter lucra deputo, omninò non possum bonis non deputare successibus, quoties confabulandi tecum alicundè occasio erumpit. Redarguis fortassè, quod fabulationis vsus sim verbo, & quoniam nisi de re seriâ, nil ferè loqui solemus, maiestati sensuum tali iniuriâ vocabulo fecerim. An non tibi confabulatio videtur, cũ & quod non videmus loquimur, & quod nõ audiuimus, testamur? *Oculus* inquit Propheta[a], *nõ vidit Deus, præter te quæ præparasti expectantibus te.* Sperantibus & expectantibus, sed nondũ spectãtibus. Quod enim videt quis, quid sperat[b]? Quod si id quod videmus, per speculũ est. & in ænigmate, quantò magis id quod loquimur? non enim potest sermo quantumuis disertus sensuum perexplicare secreta. Et quidem mihi, meo pro sensu vt loquar, futuræ respectu veritatis quædam videtur quasi fabula, omnis ad illam intimandam figurata parabola; specie grata sint, vnitate compacta, vsu commoda, virtute efficacia vniuersa quæ creata sunt; sed quid ad illam diuinæ essentiæ immensam & simplicem & æternam vnitatem, sapientiæ pulchritudinem, pondus a- D moris & vires potentiæ. Denique & ipse est, qui est[c]. & *sapientiæ eius numerus non est*[d]; Et plenitudo charitatis eius scientiæ supereminens est. & quis loquetur potentias Domini? omnia quæ ad illa nobis vtcumque innuenda in sermonis assumpta sunt vsum, inæstimabiliter sunt naturæ ratione dissimilia, & comparatione nulla. *Non comparabitur ei aurum de Æthyopiâ, nec componentur tincturæ mundissimæ*[e]. Et tamen auro & tincturis. flore & fructu, & omni quæ creata est pulcritudine, quod super omne pulchrum est, nobis coloratur, & pingitur, vt quia penitus intimum est, iuxta quod est, omninò nos lateat; & per superinductos figurarum co-

Sermo de rebus arcanis & diuinis an fabulatio dici possit.
a Esa. 64. b
b Rom. 8. e
Ad res diuinas explicandas, quam insufficiens & impar sermo noster & omnis eloquentia.
c Exod. 3. d
d Psal. 146. a
e Iob. 28. a
Inuisibilia Dei per res creatarum veluti colores nobis figurantur.

lotes aliquatenus intimatũ, subvmbra interlocear, bona quidem vmbra, & ad horam refrigerans. Propterea dicitur f *Sub vmbra eius quam desideraueram sedi, fructus eius dulcis gutturi meo.* [f Cant. 2. a] A

2. O quam delectabilius, quam affectuosius non sub vmbra, sed super vmbram in te ipso, bone Iesu, sederet, & hoc desiderii sui fine potita quiesceret? Nunc autem sub vmbra quiescit, & sub vmbra se reficit; sed qualis refectio; quam sequitur defectio? Ex parte enim cognoscimus; euacuabitur quod ex parte est, cum venerit quod perfectum est g. [g 1. Cor. 13 e] Sunt hæc interim fulcimenta labentiũ, & fomenta languentium. [h Cant. 2. a] Denique subsequitur h. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Felix in quo sanctus amor languor, non passio, sunt enim qui charitate subitò vulnerentur, subinde sanentur, quasi Ionæ hedera i, quæ sub eadem horâ quâ viruit aruit. [i Ion. 4 c] Ergo est passio desiderii affectus concitatus: languor continuus. O malè sanum, immò verè insanum cor, quod esse nescit hoc volnere saucium! *Vulnerata k*, inquit, *charitate ego sum.* [k Cant. 5. c iuxta LXX.] Non modo vulnerat, sed etiam necat: *fortis est* enim *vt mors dilectio* l. [l Cant. 8. b] Denique Apostolus. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* m. [m Colos. 3. a] Dum vita reconditur, & votum accenditur, veritas latet, & virtus languet; anxii æstus desiderii figurarum refrigerantur vmbris, & primæuis fulciuntur floribus, pulchræ satis he figuræ sunt, & laborantem recreant affectum, puerilibusque refocillant blandimentis, vt solitis & sensibilibus oblectamentis, inusitatorum capiamus experimenta gaudiorum. B

[Figurarum vmbris refrigerantur æstus desiderii tantisper, dum veritatis ipsius differtur intuitus.]

3. Plateæ tuæ Ierusalem sternentur auro mundo n, sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in saphyris, ponam desertum tuum quasi delitias; & solitudines tuas quasi hortũ Domini, & cætera quã plurima à Prophetis & Apostolis in typo cœlestis dicta Ierusalem, cum eius portæ & plateæ, muri & metalla, lapides & ligna, fontes & flumina describuntur, quantum afficiunt & oblectant! quam lætè audiuntur, quamuis parum dilucide dicantur? Incomprehensibiliter enim aliud & incomparabiliter amplius relinquitur in suspitione, quam ponitur in assimilatione. [n Tob. 13. d] Lætatus est Ionas vehementer sub vmbra hederæ o, sed hedera illa aruit, & figura abiuit. [o Ion. 4 c] Propterea cũ de figuratis texuntur collationes sermonibus, quasi cõfabulationes quasdam licenter dixerim, non propter adumbratam interius æternam veritatem, sed propter obumbrantem exterius vanitatem, euacuabitur enim quod ex parte est. C Denique habes in Euangelio p, de duobus illis euntibus in Emaus, quod *fabularentur & secum quærerent*, fortasseq; quærebant, & non dũ tenebant; putabant, & fide nõ stabant; ideò quærentes & conferentes, ambulantes & confabulantes dicti sunt: sed tamen ita confabulantibus ipse Iesus appropinquabat, & ibat cum illis. [p Luc. 24]

[Collationes de rebus diuinis confabulationes non absre dici.]

4. Vnum suauiter recolis, quam frequenter & cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu cum loqueremur de illo in via. Quæ enim de illo locuti sumus, ipse prior in nobis locutus est: vtinam sæpius illud mihi contingat, de illo totum quærere, conferre & colloqui, de illo, inquam, & tecum: nec tam loqui quã io dire te loquentẽ. Pressus est sermo tuus; vt tamẽ quæ sentis sufficiẽter exprimas pauca verba, sed plena sensuum, videtis mihi singula in iudicium vocare, adeò tibi nullum in consultum elabitur. Denique q *fauus distillans labia tua.* [q Cant. 4 c] Ita enim quadam cum morâ & deliberatione, & quasi de libra, quæ loqueris prodeunt, vt distillare magis quam profluere credatis. D Extenuata sunt, & subtilia sunt, & euaporata sunt, propterea distillantia sunt, secreta sunt, & suauia sunt, & de intimis erumpentia sunt; & ideò quasi fauus sunt: hoc sibi vult quod sequitur r, *Mel & lac sub linguâ tuâ, sub linguâ*, inquit, & non in lingua, maius enim est quod sub ipsa latet, quã quod in ipsa lucet. [r Ibid.] Quid si etiam supra linguã. *Sub linguâ tuâ mel & lac*, non enim tantum in sermone est, nec totum in sermone est, sed sicut nihil habes in ore simulatum: ita multum est quod est in corde occultatum. In lingua sunt quæ manifeste loqueris; sub lingua sunt, quæ latenter suggeris. Supra linguam sunt, in quorum edissertione eloquiis est quãlibet eloquens, & sermo silentium.

5. Memini, nisi fallor, aliquoties in ipso orationis processu pressisse te sermonem, attentum & attonitum ad erumpentem in corde lucem vel lætitiam, vocem rupisse, vt verteretur in suspirium, quod formabatur in verbum; nam etsi lingua sufficiat ad euidentiam †, intrinsecus tamen stupor, & amor, & admiratio radiantis desuper luminis, prodeuntem per verba animum conuertit ad se, rapit in se, & coniunget intra se, spiritualique cum Mose s circumuoluit nebula, & nubem ponit amictum eius, & tenebras latibulum, vt fiat ad interiora stupidus, ad exteriora mutus. [† al. eruditionem.] [s Exo. 24. d] Mel ergò sub linguâ tuâ, & dulcedo sub voce tuâ, non quasi inferior, sed quasi interior, immò & sub mente tuâ; dum illa conceptæ necdum compos dulcedinis, pullulantia introrsus gaudia, non potest vel ad plenum explicare, vel experta tolerare: totum se illis cedens, sed non ex toto illa possidens. *Defecerunt*, inquit Psalmista t *oculi mei in eloquium tuum*: non modo ad eloquiũ, sed etiã in eloquium; in eloquiũ tuũ illud cõcupiscendo; ad eloquium illud concipiendo; in eloquium tuum, ex qua parte est ignitum: ad eloquium tuum, quia vehementer est ignitum: ignitum enim eloquium tuum vehementer. [t Psal. 118] B *Propterea anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Quæsiui illum.* [u Cant. 5 b] Anima mea liquefacta est, non sufficiens quod audit, capere; & dulci ex auditu auidior effecta nõ desinens in illud concupiscere, ideo adiungit. *Quæsiui illum.* Non satiatur auris auditu, nec tamen sufficit auris ad auditum.

6. Ergo & defecerunt oculi mei in eloquium tuum, & anima mea liquefacta est se ipsam contemnendo, & in ipsum contendendo & currendo, admirando & amãdo, & ambiendo circa ipsum. Nec valens, vel quantum cupit, intendere: vel quantũ cepit, tenere, quomodo ergo non intercidit loquentis spiritus, vbi meditãtis interior absorbetur sensus? [Simile.] Sicut enim solida & corpolentior materia, ignis in se virtutem difficilius admittit, subtilis verò & desiccata & tenuis voraci flamma citius & accenditur, & consumitur, ita meditationes spirituales & extenuatæ succensi amoris dulcẽ violentiã citius suscipiunt, & diutius nõ ferunt. *Spiritus vester*, ait Propheta u, *sicut ignis vorabit vos.* C [u Esa. 33 b] Ego quidẽ meditationẽ reputauerim quasi materiam, amorem quasi flammam. [Meditatio quasi materia ignis, amor flamma] *Et in meditatione mea exardescet ignis* x. [x Psal. 38. a] Qui si vehementiori exæstuet incendio, omnem animi intentionem conuertit & consumit in se; vt totum affectio fiat, quod meditatio fuerat, nec potest sui compos esse ratio, cuius est eruere occulta, ambigua diiudicare: recensere & recolere quod pie nouit, vi absorpta amoris. *Silui à bonis, & dolor meus renouatus est, concaluit cor meũ intra me* y. [y Ibid.] Silui, inquit, dolui, concalui, concalui de aliquanta interioris boni perceptione. Dolui pro imperfectione: & ideo silui: geminã hac diuisus & discerptus & absorptus passione, silui à bonis; sed à quibus bonis? fortè de quibus dicit z: *Credo videre bona Domini in terra viuentium.* [z Psal. 26. d]

7. Iure ergo silui & ab eis quæ nondum videntur. Sed si silet à precandis, non tamen silet à deprecandis. Ideò sequitur a. *Notum fac mihi Domine finem meũ, & numerum dierum meorum, qui est vt sciam quid desit mihi.* [a Psal. 38. b] Quid ergo deest? verum quid adest? Audi quid adiungitur: *Substantia mea tanquam nihilum ante te. Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens.* [Ibid.] D Quid igitur adest, cum totum, aut nihilum est, aut certe vanum? Quid ergo? fides ipsa & virtutes vanæ sunt? An hæc vita hominis interior dicta est vanitas, quæ & mors dicta est? [Fides ipsa & virtutes quomodo dicantur vanæ.] *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo* b. [b Coloss. 3 a] Quid si ista vanitas est, quoniam ex parte est, *euacuabitur enim quod ex parte est* c, [c 1. Cor. 13 e] iustus siquidem ex fide viuit d: finis enim quem optabat, non est in fide. Fides abibit, nunquid iustitia quæ ex fide est? quomodo ergo charitas nunquam excidit, quæ sola verè iustitia est? Quid si dixerimus vniuersa quæ in præsenti sunt vana esse, ad illud futurum bonum non

zolata, vel illi comparare? vniuersa ergò vanitas, aut inutili vsu, aut veloci transcursu, aut futuri contuitu.

8. Quid si venitas est necessitas, quid est superfluitas? Si vanitas est, quæ in præsenti est verites, quante est ipsa vanites? *vniuersa vanitas, omnis homo viuens.* Nec tantum vanitas, sed aduersitas; *frustra* enim *conturbatur*; Frustra lætatur, & frustra conturbatur, in vtroque vanitas, vel propter inutilem caussam, vel propter non diuturnam subsistentiam: Et nunc in his malis & vanis *quæ est expectatio mea? nonne Dominus? Et substantia mea apud te est* [d]. *Substantia mea tanquam nihilum ante te*, Sed substantie mea substantie est apud te. *Notum fac mihi Domine finem meum, vt sciam quid desit mihi.* Nota mihi setis est humana vanites ex proprio defectu: sed innotescat planè ex ipso boni gustu. Quando Domine replebitur in bonis desiderium nostrum, in bonis domus tuæ? Quando, inquam, replebimur veritate tua, vt nullus in nobis vanitatis vel gustus vel odor resideat, sicut de Moab legitur [e], *quod gustus eius remansit in eo, & sapor eius non est mutatus.* Ibi non silebimus à bonis, sed erimus, quasi promptuaria non vana sed plena, redundantie & eructantia ex hoc in illud.

d Psal. 38. b

e Ierem. 48. b

9. Eructaui tibi quædam de inanitate nostra. Vtinam & aliquid destillari mihi merear de plenitudine vestra, de rore cœli, & de abysso subiecente, sed nondum plenè erumpente; de abysso illa futuræ gloriæ, quæ reuelabitur in nobis; Est ergo nunc in nobis, nondum tamé reuelatâ, sed magis occulta, & seminaliter recondita; & quibusdam fidei inclusa venis, & conclusa ostiis, tam carnalium affectionum, quam corporeliũ phantasiarum. Talibus conclusum est ostiis mare; quãdo premitur, erumpebat [*], quasi de vulua procedens. Bonum mare, de quo legimus [f], *Replebitur terra scientia Domini, sicut aqua maris operientis.* Bonum mare sed graue ostium. Denique ipse primus Adam quodam inobedientiæ obice hoc mare compescuit, & per se prodeuntem & erumpentẽ veritatem Dei in iniustitia detinuit. Primus homo iniustitiæ nos ostio semouit: secundus illud remouit, factus ipse nobis ostium, & per illum, si quis introierit saluebitur, & pascua inueniet [g]. Delera est iniustitia; sed edhuc graue restat ostium, diei huius malitia. Nebulosum setis ostium consuetudo imaginariæ cogitationis, & sollicitudo necessariæ sustentationis; huiusmodi animum intendere, verè in terram fodere est, & fodere cisternam dissipatam, & puteum qui equas continere non possit [h]; & tamen quomodo rixantur, quomodò litigant, quas nobis calumniis struunt pro talibus Philistæi puteis [i]; pro aquis transitoriæ, non dico voluptatis, sed necessitatis! Felix qui cum patriarcha Iacob [*] huiusmodi relinquit puteos, qui relinquit occasiones litigandi & inimicitiarum materiam, vt fodiat in torrente, & inueniat venam equæ viuentis; si tamen supra dictis illam non concludat ostiis. Hæc tibi ego magis peruie crediderim; familiariorem & frequentiorem ad interiora accessum: ne tantum foris stes, introspiciens per fenestram, & auscultans per ostium. Iam ergò ponam ostium ori meo; vt, iuxta prouerbium, tibi fistula accommodetur, dum ego respiro.

* f erumpit. Esa. 11. a

g Ioan. 10. b

h Ierem. 2. c Lites & rixæ pro temporalibus

i Gen. 26. d

* Isaac. Gen. l. cit.

EPISTOLA ad N.

Qua locum illum Apost. explicandum sumit. Omne datum opt & om donum perfectum, *&c.* Iac. 1 *sed potior Epist. aut dissertationis pars deesse videtur.*

1. INstanter exigis, quod incautius ipse promiseram, parum materiæ difficultatem contemplans. Accedit huc geminæ grauitatis forma, quia minus habita sit ratio temporis, & mensura comparationis. Tempus quidem, si aliæ proripuerunt causæ, comparationem cum aliis de hac materia sic habentibus prudens diffiteor, quã minus consideratè præsumpsisse videbar: tamen quæstionem aggrediar, cuius solutione obligatus teneor. Tuæ autem nunc partes erunt, vt quod à me petis, ipse mihi prior impetres, & orationes tuæ merito desuper nobis infundantur, quod tibi vberius refundamus. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum* [a]. Quid ergò, quæ perfecta nõ sunt, quæ optima non sunt, inde non sunt? Vnde ergo sunt, si inde non sunt? Quid habes quod non accepisti? Neque tamen [†] optima ab illo sunt: & minus bona abunde; sed sicut dicit Apostolus [b], *omnia ex Deo* An fortè nulla in his verbis exclusa sunt? Quia cum omnia inde sunt, omnia perfecta & optima sunt, quod si est, non per hæc verba *optimum & perfectum* inter magis & minus bona, facta distinctio: sed boni expressio. Et quomodò omne bonum *optimum & perfectum* est, cum omne desursũ. Quid desursum? *descendens*, inquit, *à patre luminum* Qua ratione apud Patrem luminum imperfectum aliquid intelligi potest? An fortè *omne datum optimum & omne donum perfectum*, inde descendit, sed non ibi fuit? Nam quomodo ab eo descendere & discedere posset, quod in eo, id est, in Patre luminum esset; descensio enim non localem migrationem, sed magis virtualem minorationem innuere videtur.

a Iacob. 1. c

† al. tantum.

b Rom. 11. d

Denique & ipse Dominus distinguere videtur inter perfectum & minus perfectũ, *hoc* inquit [c], *fac & viues: si autem vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Et Apostolus [d], *vnusquisque propriũ donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* Item [e] *Tanquam paruulis in Christo, lac potũ dedi vobis, non escam, sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Qua ratione ergò distinctè omne donum perfectum desursum esse dicit; cum nec omne perfectum sit; nec nullum desursum non sit? cur si omne datum optimum est, & omne donum perfectum, quia desursum est; quomodò non magis vnum & idem datum & donum, quam omne dicendum est? omne enim quod apud Patrem luminum est, simplex & vniforme, non multiplex censendum est Quid si apud Patrem luminum & optimum & perfectum est, sed descendens in nos à Patre luminum, minus bonum, & minus perfectum est; sed hoc iam erit illam immutabilitatem mutabilium cõditioni subiicere; minorari enim quomodo non mutari est? quâ ratione ergò quod in se est, ab ipso descendere potest? sed iterum quod in ipso non est, quo pacto dicetur descendere ab ipso? aut si descendit ab ipso, quomodò non perfectum est? Et quoniam etiam Scripturæ authoritas habet alia perfectiora esse, alia minus perfecta, quid sibi vult quod tantum optimum & perfectum donum desursum descendere dicitur, cum magis omne dicendum videtur? Deinde, quid sibi vult quod positum est, *datum & donum, optimum & perfectum*. Aliqua per nomina hæc innuitur distinctio: an solum dicta sunt ad expressionem & commendationem?

c Luc. 10. e

d 1. Cor. 7. b.

e 1. Cor. 3. a

Istas mihi difficultates capituli huius verba parturiunt; Sed iam ad eius redeamus seriem, orantes Deũ, vt quod in eâ obstructum est, ipse reserere dignetur, & donet nobis quod de donis eius dignè proloquamur *Omne datum optimum*, &c. Primo loco inter datum & donum talis mihi videtur quædam haberi posse distinctio. *Datum* est quod non habes à teipso; *Donum*; quia non est à merito. *Datum* dum accipis; *Donum* dum exinde promereris. *Datum*, dum illud habes ad vsum, *Donum* dum possides ad fructum. *Cætera desunt in M. S.*

DISSERTATIO ASCETICA,

De myſteriis Redemptionis humanæ ad Amicum ſcripta.

1\. Scripſiſti mihi ſatis parcum ſermonem, ſed propenſo, vt reor, affectu. & quidem lætatus ſum de ea quã mihi impendis gratiâ, ſed de laude, quâ me prædicas parum gratulatus. Ingenui eſt hominis, ad laudes erubeſcere, quas ſuas non nouit. Vt verum fatear, amica quadã credulitate tuum in me aberrauit iudicium; pigrior eſt ad credendum fides, quam pia nõ informat affectio? Inde eſt, quod facilè credidiſti, quod tanto creditum fauore complectetis. Denique tria quædam in paginulæ veſtræ mihi vultu relucent; primum quod velim exuberare erga me: ſecundum temperari circa me: tertium auerti à me, ſed in te non minui: hæc ſunt affectus, fides, & ſtudium: votiuus affectus; fauoralis fides; pium diſcendi verbi Dei ſtudium. Affectum ſuſcipio, caſtigo fidem, inſtigo ſtudium. Amorem intende; fauori detrahe; ſtudium tuum ad alterum dirige: omninò in me minus inuenies, quam perſuaſum tenes. Fortaſſè loquendo tibi barbarus fiam, qui fueram ſilendo philoſophus.

Ingenui hominis eſt ad laudes ſuas erubeſcere.

2\. Proptereà doctrinæ ſtudium iure in te prædico, ſed docendi munus à me traducen, *non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis* [a], nõ eſt vnde vel ægrotantem ſanem, vel egentem ſuſtentem, ſed tu nec æger es, nec egens, vt noſtra indigeas aut arte ſanari, aut pane ſatiari. Deniq; neutrum horum poſtulas: ſed neſcio, quas ſecretioris ſapiẽtiæ ſtillas, ſubtiles & ſuaues, delicatas & dulces. Nunquid ego de illis tibi videor montibus qui diſtillant dulcedinem, & quaſi vnum de coagulatis me ſuſpicaris montibus? vtinam vel collis fuerim. *Colles* enim *fluent lac.* Nam etſi fluxus innuit copiam, lactis tamen nomen imminuit gratiam; lac enim paruulorum eſt, è contra diſtillatio videtur quiddam ſonare exiguum, ſed indeterminata dulcedo nos nutrit ad immenſum. Quod enim indefinitè deprimitur, quid niſi infinitum exprimitur, tantò omni, quæ determinata eſt, dulcedine ſuper eminens, quantò omnis proprietatis determinatione carens. *Stillabunt*, inquit [b], *montes dulcedinem, & colles fluent lac.* Lac dulce eſt, ſed dulcedo non eſt. Dulcedo verò & dulcis eſt, & dulcedo eſt, & ex eâ dulcia ſũt vniuerſa quę dulcia ſunt, ſiue genere differẽter, ſiue gradu præcellenter: quæ enim eius participatione dulcia ſunt, cõparatione tamen non ſunt. Propterea dulcedo non hæc vel illa, ſed ſimpliciter ponitur, vt ex modo vocabuli pẽdatur immenſitas rei. Valde infinitum quiddam & intimum intellexit Propheta, intimare volens, explicare nõ valens [c]; *Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.*

a Eſa. 3 b
b Ioel. 3, d
c Eſa. 64. b

3\. Refugit immenſum illud diuinæ maieſtatis pelagus humani cordis & oris anguſtias, & tenues quaſi per rimulas, vix inde ad nos aliquid diſtillat: quomodo enim ſermone concludimus, quod ſenſu non pertingimus? nam etſi in quibuſdam omnia etiam profunda Dei legitur ſpiritus ſcrutans, non tamen & penetrans, non eſt noſtri vel oris, vel ingenii pertingere ad illud intimum, & penetrare immenſum, & in illam ſecretæ lucis abyſſum caput immergere; & madentibus cincinnis guttis nõ noctis ſed luminis (ros enim luminis, vt ait Propheta [d], ros ille) dulce tibi aliquid inde aſpergere. Deniq; tales à me ſtillas depoſcis, quantitate quidem exiguas, ſed qualitate eximias; prudenter ſatis; noſti enim vbique ferè ſcripturarum præponi profluis ſubtilia, profuſis reſperſa, corpulentis comminuta. Denique hoſtiarum lexe ſanguinem iubet animalium fundere, auium diſtillare, & hoc ipſo altare quod foris eſt, & baſis eius perfunditur; quod vero intus eſt altare & velum, vel leuiter attingitur, vel ſepties reſpergitur [e]; Manna quoque minutum legitur [f] & tbus in puluerem redigitur, vtque in ſcripturis exilia quæ extenuata inueneris, ſpiritualibus attribuas & myſticis ſenſibus.

d Eſa. 26, d
e Exod. 29. Leuit. 5. b
e Leuit. 4. & 16.
f Exod. 16. c

4\. Hæc ergò ſunt, in quæ te ſitis perurget ardentius. Bona hæc ſitis, ſed vtinam, vt legitur [g], ebrius ſitientem aſſumat, ille ebrius, qui *plenus* dicitur [h] *gratia & veritate.* Ille ebrius, de cuius plenitudine nos omnes accepimus: ille ebri⁹ ſimul & inebrians, qui propinator eſt & poculum; vaſculum & vinũ; vinum merum & mixtum; miſcuit enim ſapientia in cratere vinum [i]: O crater inebrians quam præclarus es! præclarus planè; veritate radians, voluptate inebrians. Deniq; in eo reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſciẽtiæ Dei [k]. Bona mixtura, vbi commiſcetur veritati gratia; ſapientiæ ſcientia; diuinis humana? Quæ Deitatis ſunt, mera penitus ſunt; vbi nihil eſt vel partibus compactum, vel materialiter ſubiectum, vel formaliter affectum; & ideo nec ſimul, nec ſucceſſione diuerſũ: ſed omnia (quæ in nobis, & per nos, nomine & ratione diſtant) in vnã indifferentẽ & eſſentialem ſimplicitatẽ concurrunt; & indiſcretè permiſcẽtur. Hæc ergò mera ſunt & ſimplicia: ſed humanis in vnitatẽ perſonæ per Incarnationis commixta myſteriũ, in Chriſto Ieſu intuere; quemadmodũ perſonæ eſt vnitas, & eſſentiæ trinitas; foris corpus, intus ſpiritus; in intimis Deus in ipſo & æternitas incœpit, & immenſitas creſcit, & potẽtia defuit, & opulentia inaneſcit, & ſapiẽtia neſcit, & ſermo ſileſcit, *non clamabit*, inquit [a], *& non audietur foris vox eius.*

g Deut. 29. c
h Ioan. 1 c
i Prou. 9. a
k Coloſ. 2. a

Diuinæ naturæ ſimplicitas.

Incarnationis Dominicæ myſteriũ pulcrè expẽditur.

a Eſa. 42 a

5\. Quid eſt, bone Ieſu, quid eſt quod legimus [o]. *Sapiẽtia foris clamitat, & in plateis dat vocem ſuam?* Nunquid non tu es Sapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiuit: quomodo ergo illa foris clamitat, & tu non clamas? non auditur foris vox tua, illa in plateis dat ſuam? Nunquid non tu Sapientia es de qua loquitur Apoſtolus [l]. *Chriſtus factus eſt nobis à Deo Sapientia*; nobis quidem factus, nam in ſe natus, nobis factus, magis autem nos facti in ipſo, creati enim ſumus in Chriſto Ieſu ſicut in operibus bonis; ita in ſenſibus piis. Immò & nos in ipſo, & ipſe in nobis [m]. *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis*, formatur in nobis ad vitam, formatur ad veritatem. *Viuo*, inquit [n], *iam non ego, viuit vero in me Chriſtus*, quomodo non conſequenter & dicere poterat, ſapio iam ſed non ego, ſapit vero in me Chriſtus. Omnia in me, in me redemptio, in me ſanctitas, in me ſapientia, non ſapit in me Domine, niſi tu, ſed non ſapis in me niſi te, ſi tamen in te quæ ſurſum ſunt, quætam; quæ ſurſum ſunt, ſapiam: Gloria enim in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt. Merito ait Propheta [o]. *Qui gloriatur in hoc glorietur, ſcire & noſſere.* Cum ergo ipſe ſis ſapientia à Deo, & ſapientia Deus, ſapientia in te; & ſapientia in nobis; ſapientia ſcita, & ſapientia ſciens; ſapientia foris; ſapientia intus; foris operans & intus aſpirans; in opere apparens, & in corde aperiens: quid, inquam, eſt quod ſapientia foris clamitat, & tu non clamas? non auditur foris vox tua, & illa in platea dat ſuam? An forte clamas per operis euidentiam; ſed nondum audiris ad plenam notitiam? foris clamitas, dum quod es nobis per indicia loqueris. Et item non clamas, dum quod in te es, in veritate lates: foris clamas beneficia oſtẽdans, & item non clamas, eſſentiam occultans, Felix auris quæ ſuſurri illius venas percipere poteſt; venæ ſunt, quæ vitales ſunt, & occultæ ſunt, & clauſæ ſunt; & quod inde nobis tenuiter euaporat, ſuſurrio immò ſilentio eſt quã clamori vicinius.

o Prou. 5. b
l 1. Cor. 1. d
m Gal. 4. c
n Gal. 2. d
o Ierem. 9 g

9\. Mera vehementer eſt maieſtatis illius eſſentia, & intima & ſubtilior, quã vt craſſo poſſit corde cõprehendi: ad illã capiendã craſſum nimis eſt cor omne quod creatũ eſt. Propterea multiplici ſpiſſatur & pingueſcit ænigmate, vmbrarumque quadã & operũ mixtura temperatur; & incarnationis demũ induitur habitu, vt poſſit à nobis facili⁹ capi, frequentius recoli, teneri diutius, retractari deuotius. Vniuerſa enim quæ ſunt de Ieſu, inueniũtur, ſi diſcutiãtur, ſubtilia: ſi obſeruentur, vtilia. Iucũda in ore, fœcunda in opere, meditatione dulcia: etſi quędã ſint imitatione aliquatẽ⁹ dura. Etenim hæc ipſa exterius afflictio, illa interiori cordis rotatur & aſpergitur gratiâ, vt ſit molliter aſpera; ſuauiter amara; pinguis & arida. & in craticula Crucis velut aſſa, ſed bonæ ſpei oleo reſperſa, ſicut ſcribitur [p]. *Spe gaudẽtes, in tribulatione patiẽtes.* Itẽ in Canticis [q] *Bibi vinũ meũ cũ lacte meo.* Vbi & ſponſę vbera aſſimilata ſũt botris [r]. Bonus ille botrus, qui in crucis eſt torculari preſſus, vt paſſionis ſuæ vinũ myrrhatum & amarũ in lactis nobis alimẽta dulceſceret, & vulnera

Deus incarnatus vt poſſit à nobis facilius capi.

p Rom. 12. c
q Cant. 5. a
r Cant. 7. c

Mysteriorum incarnationis & Pass. Dom. quam sit dulcis & vtilis meditatio.

in vbera trāsitent cōtemplenti sunt vbera; & conuersanti vine, meditanti suauie, imitanti subamara. In vberibus A prælibando quæ futura sunt sapimus; in botris quadam ebrietate carnis motus sopimus; in vberibus complentati ad vitam; in botris consepulti cum Christo in mortem. Vbera nobis sont, dum dominicæ passionis merito & munete gratia sempiterna bona spesamus, botri nobis sunt, dum eiusdem æmulandæ passionis zelo à carnis sensibus animum sepatamus. In vberibus in id quod futuri sumus ex parte reformamur, in botris eb eo quod sumus, paulatim transformamur; donec ad quam creati sumus imaginem plenè conformemus, *cum enim apparueris similes ei erimus.*

Veae enim nunc cognoscimus ex parte. Donec ergò plenè reuelet, quod nostræ salubriter notitiæ substulit, piè retractemus, vel bone quæ contulit, vel male quę pertulit, contemplantes non modo delectationes Domini, sed & tribulationes. erit autem quando totum occupabit delectatio; & absorbebitus mors in victoria.

s Cant. 7. c

Hoc est, quod sequitur [s]: *ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* Vere in palmam ascenditus, quando nouissimus inimicus destruetur, mors. Palma coronis est apta victricibus. *Statura tua assimilata est palmæ* [t],

Palma signū victoriæ.

t Cant. 7. b

B Fide stamus & fide triumphamus, *hæc enim est victoria quæ vincit mūdum, fides nostra* [u]. Bona victoria quę vincit mundum, melior quæ mortem, fide vincimus mundum: fide vincimus mortem. *Habetis*, inquit [x] Apostolus, *fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam, hæc est enim vita æterna, vt cognoscamus verum Deum*; Ergo finis est cognitio: fides inchoatio; in fide stamus, & in fine ascendimus, in fide stamus erecti semper & rigidi, mundi huius nec flexi blanditiis, nec fracti minis, in fine ascendimus, greui corruptibilitere exuti; mundi nec egentes officio, nec laborentes supplicio.

u 1 Ioan. 5. c

x Rom. 6. d

Fides vincit mundum.

8. Nec prætereunda distinctio, quod primo dicitur assimilati palmæ; in posteriori assumi in palmam; in quo similitudo non innuitus, sed exprimitur vnio. Denique *qui adhæret Domino, vnus est spiritus* [y]; & totus est spiritus, spirituali perfusus & infusus luce & lætitia. totum se perdens, & illum solum epprebendens; nequaquam medicinali afflictione se perdens, vt ibi *qui perdiderit animam suam propter me inueniet eam* [z], sed felieiori quadam ratione, nec vanâ curiositate extentus extra se, & C subtus se; nec sollicitudine necessetia distentus circa se; nec oblectatione priuate contentus in se: diuinis mens illic occupate & absorpta theotiis, persectissima & securitate tranquillatus, & setenitete irradiatur; & suauitate inebriatur; securitas sine periculo; setenitas sine iubilo; suauitas cum ineffabili iubilo.

y 1. Cor. 6. d

z Matth. 10. d

6 Sed hæc illorum sunt; qui iem auulsi è lacte, epulantur ab introitu gloriæ: confortata sunt ista supra nos, non possumus ad ea, propterea eb bis exclusi epulis, ad vbere redeamus ab epulis contemplationis ad vbera consolationis, ed vbera, & ad botros; ab illa mera & epulatoria simplicitete, ad hoc poculum temperatum, quod miscuit nobis Sapiētia in cratere illo, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. De quo & dicitur [a], *vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis*; sit ergò & animę tuæ vmbilicus sicut crater tornetilis quodam castigationis & disciplinæ ferro attenuatus & tersus, & subtilis effectus, & capax, vt copiose infundi possis & inebriari; meritoque illud tibi conueniat. *Vmbilicus crater tuus tornatilis, nunquam indigens poculis.* Denique & mulieri fornicanti dicitur b, *non est præcisus vmbilicus tuus in die natiuitatis tuæ.* D quam multi hodie in natiuitatis suæ die & primo conuersionis tempore vmbilicum præcidūt; in posterioribus adducentes præputium! spiritu incipientes, sed carne consummati! Sit ergo vmbilicus tuus non modo præcisus, sed & circumcisus, perpetuaque æqualitate tornatus, vt rasa omni corruptela, immò corpulentia, spiritualis poculi iugitate redundet quasi aquarum viuentium puteus, & de cætero non venias huc haurire.

a Cant. 7. a

b Ezech. 16 a

A

EPISTOLA AD ROGERVM.

Qui, vt apparet, in suscepto regimine, vel sub onere prælatura anxius & nutabundus Gillebertum consuluerat; Paratus tamen retinere curam ac dignitatem, si id Gilleb. suaderet. Duæ sunt partes Epistolæ. Priore redarguit ambitiosos & præsumptuosos. Altera Rogerum commendat à dotibus ad prælaturam idoneis: & hortatur vt perseueret.

PErsuaderi tibi postulas, mi Rogere, tenendum esse quod tenes; & periculosæ potestatis metum nostris allegationibus attenuari. Oleum certè me iubes ediicere camino, & tui vnius occasione multorum cupiditates per se succensas flatu nostri inflammare sermonis. Sed quid flatu dico? *Tenuis*, sicut scribitur [a], *halitus prunas huiusmodi ardere faciet.* Quemcunque hac in causa dederis, satis disertus orator putabitur, & persuadebit facilè, ad quod irreuocabiliter ferè omnium apposita sunt corda; omnes appositè quodlibet persuademus: cum autem ad id quod decet, ventum fuerit, ibi laborandum est, & in vanum verba fundende. Denique & hoc ipsum Propheta se exprobrando sublannat [b] *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, nolite ea quæ recta* B *sunt loqui.* Bone causa quæ per se partes oratoris exequitur; Et sine artis opera auditorum animos allicit & emollit. Superua euaetit bæc persuasio, & nihil aliud effectatur, nisi vt de cupidis improbos faciat; & tenuem tollet pudoris obicem, qui solus ambitioni obstare videtur, & æstuantes motus quasi maris aquas in cordis vtre concludit. Hoc erit non fenestram, sed ostium apetire; & succensæ fornaci follium edmouere spiramina. Lasciuus satis frutex embitionis, & tanquam in læta, non tam fructificat, quam luxuriat homo.

a Iob. 41. b

Ambitio non eget incentore.

b Esa. 30. b

Hæc est radix amaritudinis quæ sursum germinans impedit; & per illam inquinantur multi; & extirpari non potest, & quid illam irrigari postulas? Inter manus vellentium pullulat rediuiua plantatio; & tu illam quadam diligentiâ exhortationum excoli rogas. Nam si in te praua radix hæc emoritur; sed eit cumquaque iuxta te exoritur, cumq; verbū cohortetionis ad te missum vtiliter fuerit, in aliis forsitan damnosè eadet. Plantatio hæc vbique est, sicut myricæ in deserto c. Et nescio sicubi lætius frutescit, quam in terra sitis & salsuginis. Vi- C de mihi istos quorum exsiccatum est corium; quorum pallent ore ieiuniis, quorum operosam callus abducit manum; qui elongant & manent in solitudine; qui adoperiuntur secco, & squalet sordibus cutis eorum. Vide, inquam, si non in terra squaloris & solitudinis ipsorum vbertim ambitionis radices increscunt. Denique intra vitales paradisi arbores & læta germina, vbi non habebat homo vestium sinus, quibus peccata reconderet, in optimo solo prauus surculus erupit. Creauit enim Deus vniuersa bona valdè. Sed quid ego de Peradiso retexo. Cœlestis illa solitudo & angelici montes humanâ conditione & conuersatione supereminentes deserti, germinis prædicti ex parte malè feraces extiterunt. Testatur illorum casus, præposterum qui parabant ascensum. Audi quid princeps dicat d: *Super astra cœli collocabo solium meum, ascendam super altitudinem, similis ero Altissimo.* Dicebat hæc non voce, sed voto non inter astra, inquit, & inter nubes, sed *supra astra & super altitudinem nubium.* Ipse ergò inter astra matutina creatus & vnus de filiis Dei, cæterorum forte non D contentus, solus hæreditate possidere voluit sanctuarium Dei; *& in monte testamenti*, in hæreditatis dignitate sedere; testamento enim paterni iuris confertur hæreditas, *sedebo in monte testamenti*, quo se proripit improba temeritas. Quid tibi vsurpas, quod est vnici? Ipse filius, ipse vnicus, ipse imago est Dei inuisibilis; ipse splendor gloriæ, & figura substantiæ, & tu dicis *similis ero Altissimo*, si similis eris, nondum ergo es, ipse verò Vnigenitus semper est; & ex æquo similis est, & in hoc non adoptatus, sed natus est, & paternæ potestatis iura non accepit per gratiam, sed habet per naturam. Firmum & immobile; & æternum testamentum diuinæ essentiæ

Ambitio vbique pullulat.

c Ierem. 17. b & 48 a.

In desertis etiam.

& Paradiso.

Imò in ipso cœlo.

d Esa. 14. c

Luciferi superbia exagitatur.

sentiæ indifferens vnitas? & tu tibi montem testamenti præsumis?

3. *Super astra ascendam, & super altitudinem nubium:* satis sit vsq; huc ausus extendisse temerarios, nō esse aliorum communitate contentum, hic poteras superbiæ posuisse metam, & ascensionis fixisse gradū, *similis ero Altissimo*, altitudinem nubium superas? Altissimo te comparas? concreatis præfers, & creatori te confers. Inordinati gradus isti; indebitum gradum vsurpasti: propterea deiectus es de gradu tuo, & de statione tuā: & *detracta est ad inferos superbia tua.* Plantauit te Dominus, quasi vineā electam: omne semen verum: sed tu in die plātationis tuæ statim effectus es labrusca; & ante messem totus effloruisti: effloruisti planè, euacuati sunt flores tui, & nō sunt reseruati ad messem; non sunt ad maturitatem perducti, sed sicut subiungitur, immatura perfectio germinauit; propterea præcisi sunt ramusculi tui, ramusculi steriles, & infructuosi diuinæ sententiæ præcisi falcibus.

e Esa. 14 c

Et tu ipse, iuxta Prophetæ eiusdem insultationem, quasi stirps inutilis, de quieris & gloriæ tuæ loco proiectus es; effectaque est habitatio tua in medio doli, & in medio dolosis. Poterat superbiæ surculus in paradiso pullulare; sed non poterat perdurare; omnis n. plantatio quam non plantauit Pater cœlestis eradicabitur f. Plantare te voluisti in loco non debito; ideò quasi spuria plantatio non dedisti radicem altam. Denique & nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tu autem assumpsisti indebitum, idcircò consumpsisti datum.

f Matt. 5. h

4. Heu me quomodo nullus tutus est ab hoc virgulto locus, nulla immunis regio, radix ista radix cupiditatis vbique fere crescit, & fructificat, occupans terræ faciem, & quasi memor, vbi primo orta fuerit in his peculiarius qui portant imaginem cœlestis. Quando Domine eradicabis plantationem hāc infidelem, germen alienum? Quando adimplebitur quod dictum est per Prophetā g. *deserta facta est vinea Sabama, Domini gentium exciderunt flagella eius:* Sabama *attollens altitudinem* dicitur, quid est altitudinem attollere, nisi metira magnificare, *non sum*, inquit Pharisæus h, *sicut cæteri hominum.* Aliter Christus nos docuit; *Cum*, inquit, *omnia feceritis, dicite quia serui inutiles sumus*, docuit me altitudinem virtutum & operum non attollere, sed attenuare, docuit & fecit sicut scriptum est i. *Cœpit Iesus facere & docere.* Cum enim *in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit*, & factus est sicut cæteri hominum. Ille inclinauit altitudinem suam; & tu attollis tuam? Quid ergò in vinea sabama intelligitur, nisi elatus sensus animi, sensus se attollens aduersus sensum Dei? sensum de quo dicit Apostolus k. *Hoc sentite in vobis, quod est in Christo Iesu, &c.* Et item l. *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Audi sensum alta sapientem, & se extollentem, & quasi fumum euanescentem in cogitatione sua, *Visitabo, dicit Dominus m, super fructum magnifici cordis regis Assur, & super altitudinem oculorum eius. Dixit enim in fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi.* Et alibi n. *Nonne hæc est Babylon illa magna, quam ego feci?*

g Esa. 16. b

h Luc. 18 c

i Act. 1 a

k Phil. 2. a

l Rom. 12. c

m Esa. 10 c

n Dan. 4. c

5. Audisti sensum, magnificum sensum se extollentem? intellexisti quid sit vinea Sabama, vinea quæ vtinam deserta sit; & non sit qui excolat eam. Audi nunc Apostolum. Audi Dominum, & Doctorem gentium. *Domini enim gentium exciderunt flagella eius*, Audi, quomodo ipse excidat flagella Sabamæ. *Noli altū sapere, sed time* o: *Præcipe diuitibus nō superbè sapere* p, flagella, inquit, præciderunt, radicem nequiuerunt, exciderunt quod eminebat, non potuerunt, quod latebat. Radix ipsa cupiditas, flagellum honor & sublimitas: concupiscentia quasi radix eius quasi flagella. Aduerte quam signanter loquitur, Nos in sublimitatibus delicias arbitramur. Prophet flagella vocat, flagellant verè & excoriant animum & exulcerant tenerum & intentum in Christo affectum, infelix planè qui in exterioribus adeò induruit, vt non sentiat hæc esse flagella, sed gaudia, *Flagellauerunt me & non sensi* q. *Deserta facta est vinea Sabama*, verè deserta à patribus nostris, qui nescierunt possessiones, sed pietatem excolere, non rebus intendere, sed religio-

o Rom. 11. c

p 1. Tim. 6. d

Honor & sublimitas non nisi flagellū.

q Esa. 16. b

ni, ô tempora! ô mores! Modo ferè omnes mundi in se scorum excolunt; mundi huius spiritum habere se gaudent, sapientiam huius mundi, quæ stultitia est apud Deum; quæ legi Dei nescit, immò nequit esse subiecta: non n. potest cupiditas seruire charitati; non nouit aliorum onera portare: magis à sua aliis impingere. Acerrimi corrogatores, parcissimi erugatores, vt verè in eis de Cis Saul natus videatur. Cis namque *durus*, Saul a. *petitio*, id est, de auaritia auiditas, de parcitate improbitas, durus ventus Aquilo, ab eo congelatæ sunt aquæ; suauis Auster, ad cuius flatum misericordiæ & charitatis fluunt aromata. Durus pater Cis, suauis ille, de quo Iesus Christus; *vt sitis*, inquit r, *filii Patris vestri, qui oriri facit solem suum super bonos & malos.*

r Matt. 5 g

6. Quam dissimiles rerum æstimatores in coëmendis & in transigendis non operibus, sed mercibus quam argutè de oris sui sacculo duplicia proferentes pondera! orati & edocti videntur, non apud mooathaeum, sed apud mercatum; in hoc sensu abundant; satis teouiter & exiliter & siccè de Christo sapientes: Propter quod Propheta s; *Brachium Domini cui reuelatum est, & ascendit quasi virgultum coram eo, & quasi radix de terra sitienti.* Nihil validum, nihil sublime, sed infirmum & humile; & præter simplicis radicem fidei, sublimioris & diuinæ vix aliquid attingentes sapientiæ. Paulus dicit t *fructificantes & crescentes in Scientia Dei*: isti è contra, propria non contenti inscitia, contemnunt aliorum scientiam; & iniqui æstimatores, sapientiæ studia stoliditatem interpretantur, sobriam subtilitatem, insaniæ vel iactantiæ denigrant notā, operantes ipsi cibum qui perit, non qui permanet in vitam æternam, ac si quando de agro reuertantur domum, indignantur ad symphoniam & chorum, & iunioris fratris ad gaudia grunniunt. Bonus iunior ille de quo dicit Apostolus u; *induite nouum hominem qui secundum Deum creatus est.* Bonus iunior, de quo item ait x: *si qua in Christo noua creatura, vetera transierunt, & facta sunt omnia noua.* Imprudens ille senior, qui laborem nouit; lætitiam non nouit; iure senior, qui in vetustate perdurat, & quæ veteris sui hominis, curat, qui carnis agit curam, etsi non in deliciis, tamen in desideriis; in desiderio copiosè possidendi, & si non intemperanter vtendi. *Qui volunt*, inquit y, non delicati *sed diuites fieri, incidunt in desideria multa inutilia & nociua*, inutile & nociuum desiderium, vbi etsi necessitas est in caussa, nimietas est in cura. Mala fitis ardor habendi. Hæc ergo est terra sitiens; de qua pietatis & fidei radix infirmè & humiliter ascendit, vix se paululum ab imis subrigens: denique non potest ista non languere, vbi mundi desideria luxuriant, & vanæ dilatantur propagines. Felix qui has à se exciderit, in quo deserta neglecta est vinea Sabama; vinea se. quæ altitudinem suam attollit, altitudinem conuersationis, ad gradum prælationis. Sabama enim etiam aliqua conuersio dicitur; nam qui conuersionis aliquatenus videntur attigisse initia, hi, inquam, magis quasi summa flagella, ambitionis agitantur vento, per se satis hæc plantatio luxuriat; per se oritur, vbi non seminatur; & surgit dum succiditur: propterea non indiget plantari, sed amputari; non excoli, sed excidi.

Prælatos in temporalibus promptos & prudentes, in spiritualibus tardos & stupidos perstringit.

s Esa. 53. a

t Colos. 1. b

u Eph. 4 c

x 2. Cor. 5 d

y 1. Tim. 6. b

In diuitiis nō tantum abusus, sed & nimius habendi appetitus damnabilis.

7. Sed iam ista sufficiant pro eo, quod non expediat propter alios exhortationem quam exigis, facere. Sed quoniam iam aliquanta in ambitionem diximus congruum erit, si de præsumptione omnino penitus sileamus. Confutauimus illos ex parte, priuata qui cupiditate ad alta feruntur; confundamus immò & commoneamus & illos, qui fraternæ necessitatis obtentu se teneri gloriantur, quibus laudabiliter quidem occupatio grauis est, & grata quies; Sed tamen inani, immò insolenti & tumidiore mouentur, si magisterii gradum dimittant, ne non forcat iure committant: qui sapientes sunt in oculis suis, & coram semetipsis prudentes: qui hoc vanitatis non contenti gradu, cum Elia a soli relicti sibi videntur. Quendam se, Mosen reputant, sed supra Mosen. Ille nāque dicit b. *Domine prouide alium quem mittas*; isti dicunt, non est alius Domine, quem mittas. *Apprehendet*

In eos qui prælaturas non fugiunt, quod alias nō putent idoneos.

a 3 Reg. 19 b

b Exod. 4. c

H

c Esa. 3. b

inquit Esaias, [c] *Vir fratrem suum, domesticum patris sui, vestimentum tibi est, princeps esto noster.* Quid ille, *non sum medicus, & in domo mea non est panis neque vestimentum. Nolite constituere me principem.* Ac si dicat, non sufficit vt vestimentum mihi sit, nisi abundet, vt & aliis impertiam, non est satis vt principatum obtineam habere vestimentum disciplinæ, vestimentum exterioris conuersationis & obseruantiæ, compositum habere hominem exteriorem, quo tanquam vestimēto vtor in omni actu & gestu; nam nec mihi satis, multò minus aliis satis. Exiguum est quod in me commendatur; maiora expetenda sunt, parum est, vt ipse sanus sim, nisi & alios sanare possim: propterea dicit, *nolite constituere me principem, nō sum medicus, & in domo mea non est panis, neq; vestimentum*, non sum ego medicus. Et iste dicit, solus ego medicus. Denique quocumque circumspicit, aut imperitia, aut impuritas, aut dolus, aut desidia occurrit, vt solus sit, qui prudens sit, & fidelis seruus; & ideo in cogitatione suâ dicat, nolite alium constituere principem, ne fortè detur puer princeps, & effæminati dominentur: huiusmodi non indigeot persuasione, quam postulas; quamuis enim superiori gradu non delectantur; laborum se tamen lucris solantur, quietis & pacis affectu labori resultant, sed alia ex parte ad vberes operum fructus exultant. Currentem hic ego sermonem contraho, quia tu iam ad alia traheris, immò forsitan, vt fieri solet, per plura distraheris.

NOTA In Prælato quæ requirantur.

ALTERA PARS EPISTOLÆ.

Qua Rogerum commendat, vti instructum dotibus ad Prælaturam idoneis, & perseuerare iubet, prius tamen difficultates & onera prælationis exponit.

1. Sermone præterito studium gessimus præsumptuosos simul & ambitiosos reprimere. In hoc a. plus iusto meticulosos animare. Bone Deus, quid interualli inter hunc & illum obuenit! quantus sæcularium irruens turbo calumniatum calamum excussit à digitis; pariterque manum & animum longè abripuit à materia! Veni verè in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Quando, Bone Iesu, saluum me facies à tempestate ista: etsi nondum tempestate, saltem à spiritus pusillanimitate. Crescit & increbrescit vndiq; tempestas, & ego pusillo sum spiritu, & angusto animo: nec possum turbinum impetus, & ventorum rabiem meditationum aura tranquillare. Non possum in cordis mei cratere forensibus iurgiis spiritualem miscere lætitiam. *Coangustatum est stratum*, sicut ait propheta [a], *vt alter decidat, & pallium breue vtrumq; operire non potest.* Sanctus Iacob vicibus vxorum mutabat amplexus, & quæ simul vtraq, tenere non poterat, ab vnius thalamis in alterius iura difficilè transibat; felix suo planè iudicio, si solius Rachelis totus in possessionem cederet. Poterat occaluisse animus noster frequenti tritus iniuriâ, & vsu ipso contra aduersa durior reddi. Et quidem frequenter ei callus obducitur & ingruentibus duratur aduersis. O quoties firmum me reputo ad mundi perferendos turbines; nec est iam quod delitescere velim; & sicut scribitur [b], abscondere me à vento, & à tempestate celare.

a Esa. 28. e
Iurgiis sæculi, & spiritus deliciis malè conuenit.

b Esa. 32. a

2. At si quando inter molles Rachelis mens lentescit amplexus, solitam statim remittor in teneritudinem, & ad sufferentiam tribulationum rudis reddor & insolens. Denique nihil melius arbitror quam humilis mutatione loci, irruentes declinare iniurias, & intrare cauernas petrarum à facie formidinis huius. Væ prægnantibus & nutrientibus, in his diebus præsertim Beata planè vbera quæ non lactauerunt, qui n. lactis indiget alimento, paruulus est; & ad perferendam inopiam & rapinam bonorum imbecillem animum gerit. Tales sunt pro quibus exercenda sunt iurgia; sectanda concilia; palpandi rectores; repellendi raptores; refellendi litigantes; redimendi iudicantes; conformandi sæculo qui cum Paulo [c] conuersabantur in cœlo. Fuere tempora quando fugere solebamus lac gentium, & mammilla Regum lactari; & ecce iam repetunt instanter, quod nos forsitan paulò intemperantius suximus: sed dum arida vehementius vbera premunt, cum temporalium lacte subditorum eliciunt sanguinem, non hunc sanguinem carnis, sed illum animæ sanguinem; illum vitalem & interiorem, qui spiritualibus animi venis includitur; illum de quo Propheta [d]: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius*; illum, inquam, sanguinem nimia absorbent & ebibunt inquietatione. Heu quomodo rerum omnium vicissitudo est! In bello pax nobis, in pace bellum. In pace amaritudo amarissima: sed nobis qui obligati sumus mundi ad negotia quos Ægyptia illa prælationis inuolutos pallio tenet, & prouidendi cæteris necessitate astrictos: qui animales adhuc sumus, qualibus loquitur Apostul. [e] *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui a. spiritualis est, ipse diiudicat omnia, & à nemine diiudicatur* [f].

En conseruatio bonorum etiam ad religiosos & pia loca spectantium quas difficultates & molestias pariat Prælatis.
c Philip. 3. d

Principes religiosis infesti sanguinem eorum eliciūt.

d Psal. 102. a

e Rom. 13 a

f 1. Cor. 2. d

Sed quorsū ista? An vt Ægyptiæ in manu suscepti muneris palliū relinquas? relinquas, inquā, & refugias cum Ioseph quasi periculosū; vel cum Dauid deponas quasi onerosumq. Deniq; vt frequenter expeditius sese daret in saltū, exutus & nudatus est quo tegebatur pallio [g]. Sufficit n. corpori pigritia sua; & illud propria satis ponderositas grauat. Nunquid suscepti muneris te quoque velamine nudare volo? At id contra propositum; susceptum est n. persuadere tibi, ne onus abiicias pastorale, quod & ritè subiisti & ratione commoda administras; nam cum id parum ex voto susceperis, libens semper amoliris, vel periculi metu; vel quietis obtentu. Verendum a. erat sic affecto ne dum quodam mens in pendulo fluctuat in administrandis aliquid obrepat incuriæ. Sed quomodo tibi persuadere conabor, quod iam mihi ferè dissuasi? sed longe dissimilis ratio. Denique imperitus ego artifex in difficili habeo sudare materia; tibi ad votum concurrunt omnia, & ea sententia respondent. 3.

g 2. Reg. 6. f

4. Dissimulare non potes, quod rerum euidentia clamat: exteriora, si respicias, & ampla & tuta sunt; nulla te in illis coarctat inopia; sed ne iniuria quidem inquietat. Locus secretus & consitus, & irriguus, & fertilis, & nemorosa vallis verno in tempore auium dulci cantu resultat, vt possit emortuū recreare spiritum, delicati animi detergere fastidia; indeuotæ mētis emollire duritiam. Denique hæc vobis aut futuræ iucunditatis auspicia depingunt; aut primæ illius qualescumq; exhibent reliquias, quas inter paradysi amœna humanæ conditionis sortita est integritas, sed nullum, inquies, in huiusmodi meritū virtutis collocari. Negare non possum, quippe cum media sint hæc; sed sicut ad comparandum meritum nulla; sic ad quietem conferendam non parum sunt commoda: Nec nos ita ab antiquis, qui nobis conuersationis experimenta tradiderunt, quorum authoritas antiquior, & puritas amplior, non, inquam, ita ab illis dissentimus, vt quæ ipsi ad perfectionem impedimenta crediderint; non virtutis instrumenta prædicemus. Illi fortioris animi impedimenta loca fertilia & amœna diffiniuere: nos dicamus fomentum esse infirmioris, & eius qui necdum dicere possit; [h] *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei & delectatus sum. Omnia possum in eo qui me confortat Christo.* Quæsiuerunt antiqui Patres loca horrida, arida; vt exercendæ haberent abstinentiæ materiam; & distēdendi per sollicitudines animi nō haberent causā. Corporali indulgētius sese labori impenderunt, vt & cordis libertatem possiderent, & vagam euitarent discurrendi leuitatem, simul & conquirendi improbitatē. Denique plus manuum artificio, quam agrorum cultu vitam trāsigebant; tenuis angustias substantiæ (vt non dicam nullius) lucro quietis leuantes: quippe paucis contenti vel affligendi corporis, vel recreandæ mentis gratiâ. Anxiè siquidem & miserè cor distenditur & distrahitur, cui multa prouidendi, & in longinquū incumbit necessitas.

Situm monasterii amœnum, & statum commodum cōmendat.

Antiquorum & recentiorū religiosorum collatio, vbi de primæuo Monachorum rigore, & parcitate.
h Psal. 76. a
i Philip. 4. c

5. Seruierunt illi tēpori suo, nos nostro seruiamus. Hæc nostra ætas in deterius vergens, alios attulit mores. Prouidenda nunc sunt permanentib. copiosa; aduenranti-

Ætas in deterius vergens alios affert.

mores sed haud meliores.

A bus curiosa. Nec hos dico aduentantes, qui sæculares sunt, quid enim mihi de his qui foris sunt, iudicare? Quamuis nec apud illos solita teneatur districtio, ægrè ibi ferentes inopiam, vbi rerum omnium copias arbitrantur. Sed quid illos commemorem, quorum Deus

k Philip. 3. d

venter est[k], ipsi abstinentiæ professores & prædicatores, ipsi primates ordinis quam fastidiosi sunt alienis in domibus, quam exquisitas & elaboratas artificiosè requirunt epulas, quomodo contrahunt frontem, corrugant nares, auertunt oculos, si quid minus lepidè, minus festiuè apponatur! sed quoniam huius temporis malitia ita comparatum est; ad vtrumque sufficit manus tua; vt possit simul ostentui seruire, & vsui: pauperum necessitati, & diuitum vanitati. Quid deinceps? quales habes officiales socios, quam strenuos, quam industrios, quam sollicitos, quam, quod primum est, fideles! vix administrandæ exterioris substantiæ ad te summam deferri necesse est: nusquam ferè de tabernaculo Domini egrederis; in concilijs, in conuenticulis, in capitibus plateatum, vbi modo dispersi sunt lapides sanctuarij, (& si tui aliquotics) tu rarissimè videris. Magnum in hoc argumentum, tibi non gratam inquietudinem, & remotam procedendi necessitatem. Te non manus, non oculos,

Religiosos lautitiæ deditos perstringit.

Officiales sedulis & fideles, magnũ Prælatis solatium & solatium.

B non pes tuus scandalizat: alioquin quamuis cum dolore abscindendum & separandum erat potius membrum à capite, quam caput à corpore. Nullum ergò in his habes deferendi materiam officij.

6. Fortè iniuriosus videar, & nimis molles afferre consolationes, erudito exercitatoq; indignas animo. Quid enim si paupertas incumbat, si iniuriæ, si calumniæ, si rei inopia familiaris, immò communis, si huius etiam inopiæ direptio; si à latere periculum in falsis erumpat fratribus, succumbendum erit viro forti & fideli? cedendum loco, & contra Pauli monitum[l] deserenda collectio? Immò quidem tenenda & tuenda tantò amplius, quantò periculosior institerit dies. Denique ferè hæc omnia transcurristi tentamentorum genera: qui verò in arduis cucurristi, nunquid in planis effundentur gressus tui? aut qui egere didicisti, abundare nescies? cum Paulo esuriens[m], sed cum Paulo saturari? Immò vtroque in genere bene instituti animi documenta præbuisti, susceptum conuersationis iter continuò, nusquam interrupti tenoris filo deducens. Ego verò his fortioribus omissis, mediocri incedere via, & ea commemorare, inquietudinis à te quæ caussas amouerent: quam altissima in paupertate quietum te semper audiuimus, plus fide & manu nitentem, quam vel pudenda mendicatione, vel turpi inundatione.

l Hebr. 10. c

m Philip. 4. c

7. Sed quoniam multa de facilitate administrationis diximus, consequens est, vt administrandi peritiam non transeamus, peritiam dicam, an gratiam? immò & peritiam & gratiam. Inepta erit quamlibet apta materia imperiti inter manus artificis; ipsa verò peritia aut periculosa erit, aut inefficax, si gratia dirigente destituatur. *Nisi enim Dominus ædificauerit domum in vanum laborant qui ædificant eam* [n]. Collatas tibi dotes forsitan dissimulabis, sed quid humilitas dissimulat vtilitas clamat. Quid nunc ego commemorem prædia; quid pecunias, quid vasa, quid vestes, quid ædes, quid homines, quid omnia & otia, & aucta in manu tua, quæ vel rerum exteriorum sunt, vel religionis; ea quo te Dominus ligauit ad arandum loco suo, ad confringendas glebas vallium post se? quanta piorum surrexit seges animarum! quomodo valles tuæ abundant frumento, frumento de quo dicitur. Quid *bonum eius, aut quid pulchrum, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines* [o]? Non potes administrare sine gratia, quod per te sic exercuit in gloria, gloriosa planè facta sunt in ciuitate tua, sed per manum tuam. Pro co n. quid fuit derelicta & contemptui habita, & non erat qui transiret ad illam; ecce quomodo posita est in superbiam sæculorum, paupertate, tempestate conuulsa, absq; vlla consolatione, quomodo nunc strati sunt per ordinem lapides tui, & fundata eris in saphyris! Si in saphyris fundata, vbi consummata? fundata es in saphyris, fundamentum humilitatem su-

Rogerum Abb. initè cõmendat, vt parem officio seu prælaturæ, & administrationi omnimodis idoneum

NOTA. Hic ergo ideam, seu viuum exẽplar boni Prælati seu superioris.

n Psal. 126. a

o Zachar. 9. d

A nat, saphyrus puritatem: humilitatem conscientiæ, & puritatem scientiæ; humilitatem conuersationis; puritatem contemplationis.

Fundata es, inquam, in saphyris, propterea dicitur[p]. *Nazaræi tui candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphyris pulchriores*, in primo contriti, in secundo nutriti, in tertio roborati, in quarto purgati. In primo pœnitentes; in secundo innocentes; in tertio amantes; in quarto contemplantes. In primo mortificati; in secundo viuificati; in tertio inflammati; in quarto illuminati. Et hoc totum, quoniam *fundata es in saphyris*. Tu ipse fundamenti vice fungeris per exemplum & prouidentiam; saphyrum te exhibes per verbum & sapientiam. Denique vox tua suauis, & decora facies; vox verbi, & facies exempli; vox prædicationis, & facies cõuersationis. Propterea adolescentulæ diligunt te nimis: quod si tu discesseris, cui alteri dicere poterunt, ostende nobis faciem tuã; sonet vox tua in auribus nostris? Cuius alterius poterunt & inniti exemplis, & intẽdere sententijs? quis similis tui, vt vocet & annunciet, & ordinẽ eaponat. Fundamentum aliud tale quis poterit ponere, quale positum est. Abbas Rogere, filij tui sicut nouellæ

8.
p Thren. 4. b

B plantationes; filiæ tuæ compositæ, circumornatæ vt similitudo templi: promptuaria plena; oues fœtosæ, abũdantes in gressibus suis; quomodo nõ beatum, quomodo non sanctum dicemus hominem cui hæc sunt? quomodo non Dominus Deus eius, cuius tales diuitiæ eius.

9. Hæc ergo sunt, quæ manifesta dant indicia, quod Dominus in ministerio suo elegit te, & nõ abiecit te. hæc tibi persuadent, vt teneas, quod tã vtiliter tenes. Tametsi vbi te solaris cõscientia operum, quid est in quo nostra tibi videbitur necessaria persuasio: domesticę tibi persuadẽt virtutes, vt teneas, ne alius accipiat locum, persuadet tibi tam domestica industria, quam aliena ignauia; prosper successus, & prauus successor. Noui animum tuum, noui studia, noui mores, vel naturaliter collatos, vel industria comparatos; noui quam facilè hoc onere careres, si inueniretur cui dignè conferres. Contendunt inter se affectus & ratio: affectus humilitatis & vtilitatis ratio, gratum duceres tibi vacare, & Deo: sed graue item locum tuum deserere vacuum; vacuum planè: quis enim supplebit illum? Quis dabit nobis alterum Iacob,

Vide quam viliter & rectè præsit.

C qui in baculo suo transiuit Iordanem, & nunc pluribus cum turmis regreditur[q]? Quis, inquam, talem nobis parabit, qui sciat inter Liam & Rachelẽ moderatè discurrere, vnius fœditatem fertilitate compensans, sterilitatem alterius decoræ formæ prætexens gratia. Non est tui similis, qui ita sit contemplatione suspensus, ne fiat operatione remissus; qui propter otia sapientiæ, prouidentiæ negotia non deserat; qui sub obtentu vtilitatis in iura non transeat otiositatis; qui non ita Liam commendet, vt Rachelem condemnet, aut certe contemnat; cui nec Lia sit infœcunda, nec Rachel fœda. Qui die & nocte æstu aduratur & gelu, sollicitus ne gregis damnum sustineat; sollicitior, si quid damni contigerit, de suo vt reddat; reddat lachrymis, reddat ieiunijs, compassione, oratione, exhortatione.

q Gen. 32. c
Iacob exemplar boni rectoris seu prælati.

10. Qui in reditu suo auaritiæ nesciat idola; qui etsi illa habet in comitatu, non tamen habet in cultu: si habet in sarcinis, non habet tamen in sacris: qui pietati non pecuniæ seruiat; sicut legitur[r], *pecuniæ obediunt omnia*. Denique & *auaritia idolorum est seruitus*[s]. Qui & auaritiam

Prælatus sit ab auaritia alienus.
r Eccle. 10. d
s Colos. 3. a

D nesciat exteriori in occupatione, & corporalium quasi idola formarum exterioarum in contemplatione, sed vtrumque sit eius & pura & prudens, tã intentio quam intuitio. Videbis multos tenero ad Deum affectu, generoso vultu, pura & pulchra sicut Rachel facie, siue conuersationis; siue cogitationis; sed infirmo & fœmineo adhuc consilio, & alterius Iacob regi arbitrio egentes. Denique Rachel dum ad Iacob agenda non retulit, clam patris sui Laban idola tulit. Tulit, inquam, idola Laban, tulit quædam simulachra mundana honestatis, mundani fauoris, mundanæ dealbationis; Laban n. *dealbatio* dicitur.

11. An non tibi videntur quædam Laban idola in itinere

tulisse, & sæcularis simulachri vanitatis, qui superfluos nescio quos lepôres religioni superinducunt? qui antiquæ obseruātiæ regulas nouellis dispensationibus temporant, & vinum suum aqua miscent, qui laboriosam Patrum vineam in molles olerum hortos trāsferunt, & monachorum dutinam in mundi delicias? sicut enim (A)
Philip. 3. d scribitur, *quorum Deus venter est*: similiter dici potest, quorum Deus vanitas est; & sic per singulas sæcularis dealbationis & delectationis species, quantum vereor ne nos reuertentes de Mesopotamia Syriæ plurima huiusmodi nobiscum idola portemus, non iam clanculo, sed in propatulo; neque Iacob nesciente; sed planè cōsentiente. Quædam Rachel patris idola, quæ cupide sustulit, cautè operuit, quod fœmineo & molli tenebat affectu, infirmitatis obumbrans & excusans obtentu. Sed quid Laban adorauit, & Rachel occultauit, Iacob ignorauit, quod apud Laban erat in honore, apud Rachel in amore, cognitū apud Iacob in horrore. Propterea quod ille in propatulo coluit, illa in periculo ad tempus occultauit, iste in perpetuum sepeliuit. Sepeliuit inquam, &
o Gen. 35. a suffodit deos alienos subter terebinthum o, sub arbore fidei, ambitionis vanæ, & sæcularis apparatus memoriam.

12. Deniq; fideli animæ post tentationem in promissio-
n Esa. 6. d ne dicitur, *Erit in ostēsione sicut terebinthus, & sicut quercus quæ expandit ramos suos subter terebinthum, quæ est post vrbem Sichimorum.* Sichima *humeri dicitur*; Boni humeri illi, de quibus legitur: *Posteriora dorsi eius in pal-*
o Psal. 67. *lore auri* o. Bonus humerus Christi Iesu. *Factus est enim*
x Esa. 9. b *principatus super humerum eius* a. Post hāc Sichimam posita est terebinthus; plātata est in passione Christi & fide. Felix qui in hac arbore triumphat omnes principatus & potestates; & sub eius radice vanitatis vniuersa infodit simulachra, *ventus enim & inane simulachrum eorum.* Et
Mundi pompa simulacris confertur. ideò mundi pompa simulachris iure confertur, non est hoc infirmæ animæ, & fœmineæ, & fragilis; sed luctatoris cuiusdam & supplantatoris. Denique non est Rachelis, sed Iacob, nam etsi plures Racheles, sed non multi Iacob. Rarus qui sciat Esau supplantare, Laban fallere, Deos eius infodere; infodere, inquam, & sepelire veterem hominem, mundi imaginem, sæculi huius conformitatem, vt non amplius conformetur huic sæculo, sed reformetur in nouitate sensus sui, complantatus factus similitudini mortis Christi, vt simul resurrectionis fiat. (C)
Defodere idola Laban, quid propolog. Hoc est enim damnare & delere & defodere idola Laban, si veteris & terreni quam portauimus hominis imago fiat in absconsionem, & noui & cœlestis in ostensionem, sicut terebinthus.

13. Hæc ideircò tam sollicitè distinguo, ne fortè vir subliciatur, & mulier præficiatur, ne fortis oderetur, & fragilis negotietur, ne Iacob decedat, & Rachel succedat. Quamuis nouelli isti, qui temporibus his prodire cœperunt, compositi & nitidi & dealbati, & quædam progenies Laban, qui *dealbatus* dicitur, nec Rachelis in hoc
Perstringit eos, qui in monasteria obtentu humanitatis velut vanitates, luxum, mores, & abusus sæculi introducunt. adæquant, modestiam: quod illa vanitatis mundanæ formam infirmitatis obtexit & excusauit velamine: isti verò secularitatis & superfluitatis negotium colore depingunt & palliant humanitatis, non expurgatores veteris fermenti, sed magis ostentantes peregrinis ciborum festiui confectionibus, & copioso conuiuiorum laudabiles apparatu. Longum erit si multa vanitatis percurrere velim genera, & iactantiarum catalogum texere. Hi sunt quos videas in gestu thrasones, in conuiuiis caupones, in conuiuiis gnathones, hi sunt qui sibi videri volunt in capitulis Catones, in caussis Cicerones, in metris Marones; denique in collocutionibus sunt mimi, non monachi. Copiosè iocosis verborum salibus fluunt; nō (D)
y Colos. 4. a illis de quib. Apostol. y. *Sermo vester semper in gratia sale*
z Matt. 5. b *conditus sit.* Magis illo de quo Dominus z, *quod si sal euanuerit & exanuerit, in quo salietur?*

14. Propter tales ergò videtur mihi studiosè retentandus, & non contutandus; & si qui alii, apud quos antiquæ (vt aiunt) rusticitatis resedêre vestigia. Ne si bonum salem abiiciamus, infatuatum suscipiamus; & contingat illud propheticum, *in siccitate messes illeus contererentur, mulieres*

(A) *venientes & docentes eam.* Possem singulas tibi Patriarchæ appingere virtutes, & ampliorem ad commendationem, in omnibus Iacob assimilare te: sed parco ne dum amico grandi voce benedico, similis videar maledicenti, tu tamen nisi penitus te non noui, licet ista aliquoties tecum reputas, tibi non imputas. Hæc ergò sufficiant, & de administrandi facilitate, & de gratiarum vbertate, & de substituendorum raritate, quid si commissum munus & facile potes, & commodè exequeris; & nescio, si modernorum quisquam commodius, nihil iam quid obstet video, nisi fortè inferiore in gradu vberiorem meritorum tibi gratiam polliceris, tibi quidem, sed non aliis: tibi; sed non Ecclesiæ Christi, & ideò nec tibi; in quo solo Christus compensare non potest, quod in pluribus perdet; Sed hoc si videtur, alteri tempori reseruemos; nunc enim charam nostram sepeliuimus, & sermo nostris psalmis mutandus est.

SERMO

De semine Verbi Dei.

(B) VT abutar verbis apud vos Apostoli, quę modò audi- 1.
stis, *libenter sustinetis insipientē, cū sitis ipsi sapiētes* a. a 2. Cor. 11. d
Paulus hæc dixerit exprobrando: ego dico commendando. commendo auiditatem vestram, commendo & humilitatem: siquidem verbi Dei auditum ardenter æmulamini, & à me parum ad id idoneo reuerenter audire dignamini. Denique, sicut scriptum est b, cum ipsi ebrii sitis, nihilominus sitientem absumitis. Propterea dixi, libenter sustinetis insipientem, cum sitis ipsi sapientes: quamuis non tam me sustinetis; quam à me verbum extorquetis. A vobis accepi mandatum, à vobis materiam, quasi in omni possim solo viuentis aquæ venas reperire, & seminare super omnes aquas; & sub hora verba mihi ad votum exuberent. Vtinam tum mihi fiat iuxta fidem vestram, & membra mea omnia in linguam laxentur & cum Propheta dicere possim c. *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tui?* (b Deut. 19. c; c Psal. 34. b)

Ego vero quantum possum pro tempore enitar: & 2.
labia mea non prohibebo. Tantum id cauete, ne verbum Domini ad me, immò ad ipsum reuertatur vacuum: Neque enim reuertetur, dummodò non cadat secus viam; non cadat supra petram; non cadat in spinis d. (C) d Matt. 13. a
Ab his, inquam, obseruate vobis, à viis, à petris, à spinis. Semen verbi Dei quomodo excipiendum.
Primi impedimenti causa inimici calliditas, secundi cordis nostri duplicitas, tertii curarum multiplicitas. In primo imprudenter nos custodimus; in secundo segniter excolimus; in tertio nimis diligenter aliena curamus.
In primo molliter resistimus; in secundo ab incepto desistimus; in tertio rebus superuacuis sollicitè insistimus. Quæ eius impedimenta cauenda.
In primo cogitatio nostra mollis; in secundo mobilis; in tertio molesta: immò in hoc tertio simul & mollis, & mobilis, & molesta, mollis in voluptatibus, mollis in transitoriis, diuitiis & facultatibus, molesta in anxiis & sollicitis cupiditatibus; anxiæ enim sunt & molestæ rerum transeuntium curæ, & cupiditates, quippe cum earum & difficilis sit quæstus, & cuius transitus, & inanis, vt non inhonestus dicam, fructus.

AD LECTOREM.

Hæc sunt, LECTOR beneuole, quæ iuxta exēplar (D)
Bibliothecæ Oxoniensis *fideliter descripta, nobisque ex Anglia per Virum boni cōmunis amantem transmissa, nunc primum publici iuris facimus. Vtinā licuisset & cætera, quæ* Catalogi Scriptorum Angliæ *memorãt* *. *Quis enim non doleat, ea vel iniuria temporum periisse; vel nescio quorum incuria etiamnum latere ac supprimi? Alia quædam sequebantur in MS. sed eadem in Sermonibus eiusdem in Cant. deprehendi, nec putaui hic repetenda.* Porrò ex

* vide Præfat. Tomi V.

his facilè colligas, quantus Vir GILLEBERTVS *noſter fuerit; quam ſimilis tanto Patri (*BERNARDO*) filius, quam digno tali Doctore Diſcipulus. Excellens ſanè eius pietas, religio, ingenium, eruditio & eloquentia luculenter hic vndique reſplendent. Vtinam ſint viri boni doctique, qui huiuſmodi* Scriptores *veteris æui, ac nota meliorıs tandem è tenebris ac latebris eruant, edantque in apertam lucem, ne videantur potius tineis blattiſque quam litteris doctiſque benè velle & fauere.* A

Sequens S. BERNARDI *Epiſt. ſerius venit in manus noſtras, ſatius tamen duximus in fine append. apponi, quam prorſus omitti.* HILDEGARDIS *autem fuit Abbatiſſa* MONTIS S. ROBERTI, *propè* Bingen *ad Rhenum, reuelationibus clara quæ ab* Eugen. III. *agēte* S. Bern. *examinatæ & approbatæ ſunt. v.* Chronol. noſt. Operib. hiſce præmiſſam. Anno 1148. B

BERNARDVS CLARÆVALlis Abbas HILDEGARDI Abbatiſſæ.

Dilectæ in Chriſto filiæ HILDEGARDI, *Frater* BERNARDVS *Claraualleñſis vocatus Abbas, ſi quid poteſt oratio peccatoris.*

1\. QVod de noſtra exiguitate longè aliter, quam noſtra ſeſe conſcientia habeat, quidam ſentire videntur, non noſtris meritis, ſed ſtultitiæ hominum imputandum eſt. Ad dulcedinem autem piæ charitatis tuæ ſcribere properaui, quamuis id breuius omninò quam vellem, negotiorum multitudo compellat. Congratulamur gratiæ Dei, quæ in te eſt; & vt eam tanquam gratiam habeas, & toto ei humilitatis & deuotionis affectu ſtudeas reſpondere, admonemus: ſciens quod *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Quod in nobis eſt, hortamur & obſecramus. Cæterum, vbi interior eruditio eſt, & vnctio docens de omnibus, quid nos aut docere poſſumus, aut monere? Diceris enim cæleſtia ſecreta rimari, & ea quæ ſupra homines ſunt, Spiritu ſancto illuſtrante dignoſcere. Vnde rogamus magis & ſuppliciter poſtulamus, vt noſtri memoriam habeas apud Deum, & eorum pariter, qui nobis in ſpirituali ſocietate iuncti ſunt. Nam cum Spiritus Deo coniungitur, confidimus, quod nobis multum prodeſſe valeas & ſubuenire. *Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua.* Nos pro te aſſiduè oramus, vt conforteris in bono, inſtruaris ad interiora, dirigaris ad permanſura, ita vt nec hi qui ſpem ſuam in Deum poſuerunt, deſperando pro te claudicent: ſed vt in profectu benedictionis, quam à Deo accepiſſe cognoſceris, benè confortati, in melius & melius proficiant. C

AD LECTOREM.

Guigo V. Maioris Carthuſiæ Prior; *magnus* S. BERNARDI *amicus, (vti facilè colligere eſt ex Epiſt.* BERN. XI.) *Epiſtolas nōnullas, & Opuſcula miræ pietatis & ſpiritus reliquit. Nos illam, ad quam* BERNARDVS *dicta Epiſtola reſpondet, auidè multumque quæſiuim⁹; (vtpote, quam tanti facit, & ſic commendat* cit. Ep.) *ſed fruſtra.* Nam *pro vna, tres alias inuenimus: & ecce hic Lectori exhibemus; ne penitus intercidant. Lege & ex vngue noſce Leonem; primam præcipuè, quam ne ſi aliud præferret nomen; ab ipſo* Bernardo *dictatam crederem. Adeò hic nihil alienum à Spiritu & ſtilo Bernardi. Quamuis non inſuetum* Bernardo, *aliorum, etiam Epiſcoporum nomine Literas ad Magnates ſcribere, vti videre eſt* Tom. I. *Dolendum ſi illa ad* B. Bern. *data, aliæque plures, Eiuſdem* GVIGONIS *alibi lateant, non proferri in lucem. Porrò haſce tres* Carthuſia Colon. *exhibuit. Tu Lector fruere; nec mirare, ſi eorum hic videas iungi Litteras, quorum animi olim adeò coniuncti fuere.* D

AD HAYMERICVM CARD. & Cancellar, S. R. E.

EPISTOLA.

Domino & amico in Chriſto Reuerendiſſimo, Sedis Apoſtolicæ Cancellario HAYMERICO, *amici, (ſi tamen dignum eſt) eius, & ſui, Carthuſienſes fratres, terrena deſpicere, & amare cœleſtia.*

QVam grata fuerit nobis veſtra præſentia, recordatione ſentimus; vnde quæſumus ſic agite, vt cū ab his diebus, qui ſecundum Apoſtolum *mali ſunt* & ſecundum Pſalmiſtam, *ſicut vmbra deficiunt*, ad dies bonos & annos æternos tranſieritis, non de noſtra (quid enim nos vel ſumus, vel erimus?) ſed de illius viſione & ſocietate cum Sanctis omnibus læte mini, propter quem noſtram & obſcuritatem noſſe, & neceſſitatem ſupplere, & quod longè pluris ducimus, tot & tantis Eccleſiaſticis quibus nunquam caretis interpoſitis negotiis, latebras noſtras, non ſolum humiliter, ſed & laborioſè penetrare, noſque ipſos oculos ad oculum intueri, & ore ad os loqui, non eſt dedignata veſtra ſublimitas; à quo ſolo ſummo & beneficio bono, ſocietate ſcilicet & viſione Dei, non ſpatiis locorum, aut temporum (ſemper enim eſt, & vbiq;. Et in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus) ſed meritis ſeiungimur peccatorum, ſicut ſcriptum eſt, *non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, neque aggrauata auris eius, vt non exaudiat, ſed peccata veſtra diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum.* Quæ quoniam penè cuncta de mentis elatione, aut de carnis veniunt voluptate; quorum nobis alterum cum belluis, alterum cum Angelis, eſt commune, ſed reprobis: nitendum ſummopere eſt, vt & mentis ſuperbia prematur humilitate, & carnis luxuria ſobrietate. Hinc Dominus, *videte*, inquit, *ne grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* Itemque, *diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* 1.

Non ergò in multa noſtra diffundatur intentio. Duo ſunt tantum, aduerſus quæ nobis totis eſt viribus dimicandum. Elatio in mente; Voluptas in corpore. His ſuperatis nil remanebit vincendum, nil ſupererit metuēdum. Cupiditas enim rerum exteriorum non ob aliud inflammatur, niſi vt his modis omnibus ſeruiatur. Contra quæ, ſi noſtrum ſentimus non ſatis eſſe conatum, diuinum imploremus auxilium, ſed imploremus humiliter; imploremus deuotè, corde, ore, actu, habitu. Dictum quippe Iſraëlitico, cum peccaſſet, eſt populo. *Iam nunc pone ornatum tuum. Depoſuerunt ergo ornatum ſuum de monte Oreb.* Itemque alias luxit populus, & nullus eorum indutus eſt ex cultu ſuo. Sicut & Niniuitarum Rex homo gentilis ad vnius hominis ignoti vocē & naufragi, *deſcendit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimēta ſua à ſe, & indutus eſt ſacco & ſedit in puluere, & clamauit ad Dominū;* eandem auſteritatem non ſolum omnis ætas, & ſexus ho- 2. Duo aduerſa quæ maximè nob. pugnandum; Elatio mentis, & Voluptas carnis.

mines, sed & iumenta subire compellens. Et nos itaque dominici corporis, quod est Ecclesia, cruentam scissionē, quam non nisi nostris euenisse credendum est meritis, nec immutis visceribus, nec siccis aspiciamus oculis; alioquin preciosis ornati vestibus, herminiis & griseis consoti pellibus; numerosis & exquisitis refecti dapibus, plumis instar Sardanapali, non tam impositi quam immersi mollibus, diuinam indignationem quomodo nostris putamus placandam precibus? & non magis metuimus, ne tum prophetica contra nos dirigatur inuectio, dicaturque *Væ, qui opulenti estis in Sion & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum ingredientes pompaticè domum Israel; qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti; qui dormitis in lectis eburneis: & lasciuitis in stratis vestris*; de quibus concluditur, *& nihil patiebantur super contritione Ioseph.*

3 Erubescamus ad hoc dulcissime, serò cognite, breui conspecte, citò rapte, & corporalibus oculis nunquam deinceps fortè conspiciende; ab amoris tamen nostri complexibus nullis casibus, nullis auellende temporibus. Erubescamus ad hoc, nosque ipsos, si possumus, defleamus, quod & Iudaicum & gentilem videamur superasse duritiam; dum illi diuinam seueritatem mediâ ciborum & vtilitate simul, atq; asperitate mitigant vestiū; nos in peccatis multis atq; periculis, nec gloriæ modum damus, neque deliciis. Neque enim agnum iā de grege, aut vitulos tantum de medio armenti, sed greges integros, & armenta tota consumimus: In modum quippe Amalech, cum innumera multitudine hominum & iumentorum superuenientes Ecclesiis cuncta complemus, quicquid tetigerimus, deuastantes; nec his contenti, tabulas, cruces, calices, & sacras spoliamus imagines; & vt quid hoc? fortè vt pauperes sustententur, monasteria construantur, captiui redimantur? non ita: sed potius, vt ad interficiendos Christianos, & sagittarii, & balistarii, equites, & lanceatii conducantur: & his eripiant res & animas, pro quibus debuerunt ponere suas. Prô dolor! à summis hodie Pontificibus, & per totum penè orbem, exemplo sedis Apostolicæ frater in fratrem, id est Christianus in Christianum sacrâ pecuniâ conducitur & armatur; & talibus triumphis Ecclesia mater gratulatur; & post hæc totis manibus cruentâ conscientiâ diuina pergitur ad sacrificia. Si hoc ferendum, quid reprehendendum?

4 At regalia, aiunt, hæc sunt, & de Imperatoris sumpta palatio, non negamus, atque vtinam in palatiis mansissent semper, non in sacrariis, imò magis nec in palatiis vnquam fuissent, nec in Ecclesiis. Quantò enim melius Ecclesiæ Palatiis leges, quam Palatia darent Ecclesiis? nunquid enim Ecclesiæ Palatiis, & non potius Palatia docenda commissa sunt Ecclesiis? aut Palatia Christum Ecclesiis, non Ecclesiæ dedere Palatiis? Quantò ergò rectius à nobis Reges cilicia, quam nos ab eis purpuras sumeremus? Quantò vtilius ipsi nostram paupertatem, nostra ieiunia susciperent, atque humilitatem, quam nos eorum auaritias, delicias atque elationem? Quod si quis in Ecclesiis, vel Ecclesiasticis tentauerit quid horum arguere personis, nonne statim respondebitur hoc agentibus. Quid agis? Quid me meis, contra Euangelicam sententiam, meliorem vis facere magistris? Nunquid non Ecclesia Romana variis, griseis, herminiis, marturinis, iugulatis, & lumbatis nec non & sericis abutitur indumentis? Nunquid Ecclesia Romana conuiuia respuit, exercitum non conducit, bella non conficit? Non est autem discipulus supra magistrum, neque Apostolus maior eo qui misit illum, sed potius perfectus omnis erit, si sit sicut magister eius: Quid ad hæc dicetur? Videtis in quàm arcto constituti sumus? Aut enim quod malum est, bonum dicere, aut Deo regente prorsus non faciemus; aut Apostolicam Sedem (quod quis audeat?) reprehēdere, aut, quod fortè tutius est, omninò tacere compellimur. Et ô Apostolorum tempora infelicissima, in quibus ad Dei regnum, nisi per famem & sitim, frigus & nuditatem aditus non patebat! O viros illos ignorantiæ tenebris inuolutos, & omni miseratione dignissimos! qui vt ad vitam quoque pertingerent, propter verba labiorum Dei, tam duras vias custodiebant, & hæc nostra compendia nesciebant.

Hæc non Doctoris aut reprehensoris auctoritate, sed dolētis & lamentātis affectu fudimus; zelo dom⁹ Dei, cui⁹ diligimus decorē, rodente viscera nostra, rogātes & obsecrantes, si nō in cæteris, in vobis saltē nonnihil proferant fructus. Si, inquam, hi cum quibus conuersamur, saluti suæ, aut nullam, aut paruam, aut non sufficientem adhibent curam, vos tamen vestri non immemores animam vestram nolite negligere. Scriptum est enim, *Custodi temetipsum & animam tuam solicitè*. Et iterum, *Miserere animæ tuæ placens Deo*. Itemque, *Omni custodia cōserua cor tuum*. Et Dominus, *Quid prodest*, ait, *homini, si mundum vniuersum lucretur, anima vero sua detrimentū patiatur? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua?* Non igitur eius vobis curam eripiat aut fauor Principum, aut nitor ornamentorum; aut frequētia negotiorum, aut gloria pomparum, aut deliciæ conuiuiorum, aut oblatorum quantitas vlla donorum: Semper & vbiq; vestro versetur in animo, quia nescitis in tremēdo Christi iudicio cum quibus futuri sitis, vtrum cum illis quibus dicitur, *Ite maledicti*, aut cum illis, qui audient, *Venite benedicti*, valete. Deus Pater, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum, aptet vos in omni bono, vt faciatis voluntatem eius, faciēs in vobis, quod placeat coram se, per Iesum Christum, cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen. Nobis autem misereatur idem ipse omnipotens Deus per vestras & totius Ecclesiæ Romanæ intercessiones, & opera sacra, exhilarans corda nostra flagrantissimis & saluberrimis odoribus famæ vestræ, & continuis in veritate profectibus. Iterū valete, salutate nobis Reuerendos Patres Albanum, scilicet & Ostiensem Episcopos: & si quos alios vestræ visum fuerit discretioni. Valete tertiò, habetote quæsumus domum istam in mente vestra, sicut ipsa vos reclusit in sua. 5

AD HVGONEM SANCTÆ MILITIÆ PRIOREM

EPISTOLA.

Dominis & amicis in Christo Charissimis ac Reuerendissimis HVGONI sanctæ Militiæ Priori, & omnibus qui reguntur eius consilio, serui & amici Chartusiæ fratres, spiritualiū simul & corporalium Christianæ religionis hostium victoriam plenariam & pacem per Christum Dominum nostrum.

QVoniam in reuertendo sicut in veniendo præsentiæ vestræ gratissima allocutione frui nequiuimus, visum est nobis, vt per literas vobiscum saltem pauca colloqueremur. Ad corporea quidem bella pugnasque visibiles dilectionem vestram exhortari nequaquam nouimus, ad spiritualia verò, in quibus, & quotidie versamur, etsi excitare idonei non sumus, admonere saltem desideramus. Frustra quippe exteriores hostes impetimus, si non prius intimos superamus. Et pudendum nimis est, & indignum quorumlibet velle ditioni nostræ subiicere agmina, si non prius nostra nobis subiecta fuerint corpora. Quis enim ferat exterius in amplas terras extendere velle nos dominationem, & exiguis cespitibus, id est, carnibus nostris ignominiosam perpeti vitiorum seruitutem. Acquiramus itaque, dilectissimi, prius nosmetipsos, vt securè deinceps ad exteros pugnemus inimicos: mentes nostras prius à vitiis, dehinc terras purgemus à Barbaris. 1

Non igitur regnet peccatū in nostro mortali corpore ad obediendū desideriis ei⁹; nec exhibeamus mēbra nostra arma iniquitatis peccato, sed exhibeam⁹ nos Deo, tāquā 2

ex mortuis viuentes, & membra nostra arma iustitiæ Deo. A Etsi caro concupiscit aduersus spiritum indomabiliter, *hæc enim*, inquit Apostolus, *sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis faciatis.* Vellemus namque omni, si fieri posset, carere concupiscentia. Sed si in hac vita, quæ tota tentatio est, concupiscentia ad plenum carere non possumus, concupiscentiis saltem non seruiamus, ad quod quia viribus nostris parum sufficientes sumus, confortemur in Domino, & in potentia virtutis eius: induamusque armaturam Dei, vt possimus stare, aduersus insidias Diaboli. *Non enim*, sicut ibidem sequitur, *colluctatio nobis est aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum: contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, id est, contra vitia, & eorum inuentores nequissimos spiritus. Qui si, quod & Dauid rogat, *nostri dominati non fuerint, tunc immaculati erimus, & emundabimur à delictis maximis.*

Stemus ergò succincti lumbos nostros in veritate, & calciati pedes in præparatione Euangelii pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere; caput galea salutis obtectum, dexteram gladio salutis munitam habentes. Curramus non quasi in incertum, pugnemus non quasi aërem verberantes; sed castigemus corpus nostrum & subiiciamus seruituti, quia hic est hominis, id est, animalis B ad Dei imaginem conditi status ordinatissimus, cum &
3. caro seruit spiritui, & spiritus subditur conditori.

In hoc bello tanto erit quisque robustior, tantoque regente & protegente Deo numerosis prostratis hostibus triumpho gloriosiore sublimior, quantò per omnia se tergerit esse humilior: tantoque è contra ad omnia bona infirmior & inconstantior, quantò voluerit esse superbior. *Deus enim resistit superbis.* Non ergo opus est, vt ad debellandos eos aliunde quæratur pugnator, quibus omnipotens resistit præliator. Quos contra Dauid dicit, *custodiens paruulos Dominus*, atque id ipsum expertus in se ipso subiunxit, *humiliatus sum & liberauit me.* Vtamur exemplo, si simili cupimus vti remedio. Faciamus quod fecit, si desideramus quod accepit: humiliemur, vt à malis omnibus liberemur. Apostolus etiam de Domino Iesu Christo.[a] *humiliauit*, inquit, *semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, nec incassum: propter hoc enim, ait, *& Deus exaltauit illum & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus Iesus Christus est in gloria Dei Patris.* Et hinc quoque vel maximè sumamus exemplum, si ardemus ad præmium: Faciamus quod fecit, vt sequamur, quo præcessit. Sectemur viam tantæ humilitatis, vt perueniamus ad gloriam Dei Patris. *Omnis enim qui se humiliat exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur*: testante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Omnipotentissima misericordia, & misericordissima omnipotentia Dei, tam in spiritualibus, quam etiam corporalibus præliis faciat vos semper & felicissimè pugnare, & gloriosissimè triumphare. Optamus vos bene valere, & in sacris quæ tenetis locis, nostri cum oratis memoriam habere, charissimi & præstantissimi, & meritis insignissimi fratres, has literas per duos diuersos nuncios transmisimus, ne quo impedimento, quod absit, non queant peruenire; quas petimus, vt cunctis fratribus exponi facias.

AD INNOCENTIVM SVMMVM PONTIFICEM

EPISTOLA.

Domino & Patri Charissimo ac Reuerendissimo Apostolicæ Sedis summo Pontifici INNOCENTIO, *serui & filii Chartusiæ pauperes; Illam quam mundus dare non potest pacem: suæque paternitatis deuotam seruitutem, & non necessarium licet obsequium.*

MVltas ad vestri Apostolatus sacratas aures preces, 1.
multas pro Ecclesia Gratianopolitana disponebamus offerre supplicationes, exigentibus eiusdem Ecclesiæ Clericis, & præcipuè charissimo & omni veneratione dignissimo Patre & Episcopo nostro Hugone, qui quod sine lachrymis non scribimus, dissolutus morbis, & senio, inter defunctos quantum ad Episcopale spectat officium, potest annumerari, sed diuina, vt credimus, miseratione prouenit, à Viro venerabili, & circa B vestram obedientiam valdè deuoto Abbate Pontiniacensi Hugone nostram exiguitatem interim visitari, cuius auribus cuncta quæ conceperamus, infudimus efficacius & plenius viua voce vestris conspectibus inferenda. Et quia semel cum nihil simus, forte non sine præsumptionis periculo cepimus loqui ad Dominum nostrum: rogamus & obsecramus, admonere vel exhortari minus idonei, quatenus in omnibus, quæ Romana vestris diebus, vel patitur, vel facit Ecclesia, nequaquam terreamini, sed magis confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, insuperabilibus armis munitus, quæ suis commilitonibus ex copiis vniuersalis Imperatoris beatus offert Apostolus: scuto scilicet fidei, & galea salutis, & qui non membra, sed errores, & vitia trucidat, gladio spiritus.

Nunc enim reuera non aduersus tantùm carnem & 2.
sanguinem: quæ regnum Dei non possidebunt, sed aduersus rectores tenebrarum, & spiritualis nequitias pugnandum est, vel pugnatum. Nam quid aliud petrinam duritiam, & leoninam rabiem, quæ aduersatur & C extollitur aduersus Principis Apostolorum Vicarium, nisi diabolica nequitia & inspiratio viperea tam atrociter concitauit? Quid aliud inueteratum dierum malorum Engolismensem Gerhardum, nisi veternosa cupiditas & ambitio diabolicis immissa suggestionibus contra Catholicam pacem & veritatem tam imprudenter tamque pertinaciter ire coegit? Quid nisi serpentina calliditas per humanam mutabilitatem aditum nocendi reperiens, tam detestandi schismatis fiendis auctoribus, ex his quoque de quorum scientia præsumebatur & fide, plurimos copulauit? Sed hæc religiosos animos & in Catholica veritate fundatos tanto minus mouere, tantoque minus terrere debent, quantò sunt & ab ipso Domino longius ante prædita, & à ministris iniquitatis crebrius tentata & à veritatis sectatoribus numerosius ac felicius superata. Quis enim numerare sufficiat, quoties Apostolica fides atque constantia ipso qui eam dedit, prædicente & prædicendo roborante, non solum non defectura, sed & alios affirmatura, quis, inquam, numerare sufficiat, quoties potestatum D sæculi crudelitatibus sit impugnata: & schismaticorum atque hæreticorum insidiis & fraudibus impetita? Quæ autem ab eo, quo permittente vel iubente cuncta fiunt, aliquid aliquando posse permissi sunt, nisi vt infirmi quatërentur, fortes exercerentur, imperiti erudirentur; sapientes ostenderentur, & vniuersaliter boni coronarentur, mali condemnarentur?

Gerard Episc. Engolism fautor schismatis Petri Leonis aduersus Innocent.

Cur permittantur hæretici & impii subinde persequi Ecclesiam.

Nunc quoniam sacri pectoris intentionem à melioribus & diuinioribus auocatam diutius fortè quàm decuit 3.
nostris tenuimus ineptiis occupatam, vestræ maiestatis pedibus aduoluti, pro cunctis quidem, sed maximè pro

nouellis religionibus Cisterciensi scilicet, & Fontebraldensi, nec non & pro vniuerso mundo, preces offerimus, non enim pars vna, sed totus pene est orbis vestra diœcesis. Nam sicut Deus est vnus, mediator vnus, mundus vnus, sol vnus, & vt minora inferamus, in animalibus cunctis caput vnum. Ita Beati Petri Vicarius, id est, Papa non potest esse nisi vnus. Vniuerso itaque mundo rigorem disciplinæ, rectitudinem iustitiæ, lumen doctrinæ & ipsius quam nomine quoque præfertis irreprehensibilis debetis exemplar innocentiæ. Nam sicut in hoc mundo visibili, lux est tenebris, & calor contrarius est frigori, ita vestra totius sæculi peccatis innocentia, erroribus sapientia, luxuriis temperantia, aduersitatibus tolerantia, vitiis est obiecta iustitia: vt dum ab vno vincitur vnus, id est, à beati Petri Vicario mundus, quò sine multitudinis viribus fuerit parta victoria, eò maior Deo, cuius est totum, honor reddatur & gloria. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Deo & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

FINIS APPENDICIS SEV TOMI VI.
OPERVM S. P. BERNARDI.

AN-

ANNOTATIONES
IN TOM. IV.
OPERVM S. BERNARDI.

AD LIB. I. CAP. I.

Pag. 1. INuitus, nisi fallor, auelleris à tuæ Rachelis amplexibus.] *Vsitatum Patrib⁹ & Theologiæ Mysticæ Scriptoribus, nomine* Rachelis & Liæ, Contemplatiuam & Actiuam *vitam designare. Ambæ quidem Vxores Iacob, sed alteram fœcunditas, alteram venustas commendabat: quæ duæ dotes disparibus vtriusque vitæ officiis applicari solent. Eodem* Marthæ & Mariæ *nomina non rarò vsurpari videas. Itaque insinuat Eugenium hactenus vitæ Contemplatiuæ studiis deditum, ægre ad actiuæ vitæ negotia descendere, vtpote quæ variè distrahant mentem, & pene obruant, vt vix subinde ad superna ac diuina valeat assurgere.*

Viris sanctis graue & molestū à quiete vitæ contemplatiuæ ad honores, ad negotia abstrahi. *Sane, quam molestum sit Viris piis & religiosis, auelli à sanctæ Contemplationis otio, ad negotia sæculi, ad dignitates & honores, tot tantisq; occupationibus obnoxios pertrahi, ex SS. Patrum scriptis rebusque gestis constat.*

Vnum libet adducere è summo illo culmine, vti probe conscium doloris & molestiæ, quam adferre solet istud quietis & tranquillitatis religiosæ dispendium. Gregorius M. *sanctiss. Pontifex, euectus ad illud summi in Ecclesia honoris fastigium, mirum quàm deploret sortem & conditionem suam, pristinam cum præsenti conferens. Verba eius perquam elegantia sunt, & perutilia, meritoq; inculcanda his, quibus adeo non horret animus, ad tot curas, & contemplationis remoras, vt potius instar Ephraim, quasi vitula docta diligere trituram, auidi ad ista ferantur, & esse sub sentibus delitias computent. Sed audiant isti* Gregor. *gementem & querentem se* sub colore Pontificatus, ad sæculum reductum, & iam tantis terræ curis inseruire, quantis se in vita laica nequaquam deseruisse meminerit. Alta enim, *inquit*, quietis meæ gaudia perdidi, & intus corruens, ascendisse exterius videor. Vnde me à Conditoris mei facie longè expulsum deploro, *&c. Et paulò post.*

Vndique caussarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita vt rectè dicam: Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Redire post caussas ad cor desidero, sed vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus redire non possum. Ex hoc ergo mihi longe factum est, quod intra me est, ita vt obedire nequeam propheticæ voci, qua dicitur: *Redite præuaricatores ad cor:* Sed stultis pressus cogitationibus, solummodo exclamare compellor: *Cor meum dereliquit me.* Contemplatiuæ vitæ pulchritudinem velut Rachelē dilexi sterilem, sed videntem ac pulchram, quæ etsi per quietem suam minus generat, lucem tamen subtilius videt. Sed quo iudicio, nescio, lux mihi in nocte coniuncta est, actiua videlicet vita, fœcunda, sed lippa, minus videns quamuis amplius pariens. Sedere ad pedes Domini cum Maria festinaui, verba oris eius percipere: & ecce cum Martha compellor in exterioribus ministrare, atque erga multa satagere. *Ita Pontifex verè sanctissimus, in Regist.* Lib. 1. Epist. 5. *Similia habet ibid.* Epp. 6. 7. *& præsertim* 24. *Item* 25. *&* 26.

Sed placet & alium eiusdem nominis & culminis Pontificem eadem quoque mente, & simili animi æstu loquentem audire. Gregorius enim IX. vbi, scribens ad Camaldulenses Monachos angorem animi sui in Pontificatu, exponit, & orationum ab eis suffragia postulat, ita loquitur: Quia verò importuna lippentis Liæ instantia nos frequenter à suauibus perspicacis Rachelis amplexibus auellente, ipsi Deo precibus insistere non possumus, vt oportet, vos qui ad pedes eius sedetis, iugiter cum Maria, & quibus ab olim nos iunximus bitumine charitatis, sollicitandos duximus, *&c.*

AD LIB. I. CAP. II. n. 3.

Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Interroga Pharaonem.] *Is enim nec monenti Moysi, nec minanti Deo, imò nec flagellanti cessit, vt duritiam cordis exueret, aut rediret ad saniorem mentem. Sic videre est homines sæculi negotiis immersos, vix aliquando admittere monita pietatis, aut salutis consilia. Si quid legant, vel audiant huiusmodi, non intelligunt sibi dictum, nempe intellectu aliis intento: aut si intelligant, negligunt tamen, affectu aliis inhiante. Hinc ad verba Dei surdi sunt, imo ad verbera stupidi, aut potius stipites. Vide quanta occupationum noxa, nisi cautelam Bernardi adhibeas.* Pag. 2.

AD LIB. I. CAP. IV.

Et quidem quotidie perstrepunt in palatio leges, sed Iustiniani, non Domini... Hæ autem non tam leges, quam lites & cauillationes subuertentes iudicium, *&c.*] Ibid.
Legum abusus fecit, vt sancti Viri & zelo iustitiæ feruentes acriorem subinde in Leges censuram ferant. Verum non tam Leges ipsas, quam abusum, & ipsos abutentes feriunt.

Horum sane vitio fit, vt Leges sæpe non nisi lites sint, aut ferant. Nempe & vinum abit in vitium, non sua sed abutentium culpa, nec ea-propter vinum rectè culpaueris. Quid enim abusu non possit deprauarier? Legum porrò vsum maximè corrumpunt ambitio, & lucri cupiditas. Patres cur legum studium improbent, in Clericis maxime.
Hinc nulli ferè caussa, qualiscunque ea sit, patrocinium deest: hinc illa litium ambages, antequam ad caussæ metam, id est, sententiam peruenias. Sed hac de re Cap. X. redibit sermo.

Hoc loco Bern. reuocat Pontificem ab immodica Legum Iustiniani *& litium occupatione. Quid autem vetat, idem ad cæteros quoque Ecclesiæ Prælatos, immo & omnes Ecclesiasticos extendere? quorum plures videmus ad Legum & Iurium studia ferri propensius, eo quod magis ad splendorem, quæstumque & vitæ commoda spectare putentur.*

At qua ista prapostera vita & studiorum ratio, vt tot hodie sint in legibus Iustiniani, quorum tota voluntas & veluptas esse debebat in lege Domini? Nonne hoc ipso vita genere & instituto) vt pote Clerici, id est, in sortē Domini cooptati) profitentur? Nonne huiusce rei seipsos quotidie commonefaciunt, cum praeunte Propheta Beatos illos pronunciant, quorum voluntas est in lege Domini, & in lege eius meditantur die ac nocte? *Iam verò illi in Scripturis diuinis hospites ac peregrini, à libris piis & spiritualibus alieni, ac fastidiosi, in Codice & Digestis, Nouellis ac Libellis, Legibus ac litibus maiori gustu & voluptate versantur, cum Codice Euangeliorum, ac gestis Sanctorum nihil illis commercii, nisi quod verba Psalmorum raptim cursimque demurmurant, & Chori pensum festinanter absoluunt. Hinc ad prophana, nedum vana studia sese conuertunt. Quæ hic meditatio diuina legis? qua sacrarum rerum & statui Ecclesiastico congruentium tractatio? Et tamen clamant quotidie:* Quomodo dilexi legē tuā Domine, tota die meditatio mea est! &c. *Mirum si non verentur testem cordis sui Deum, aut certe propriam conscientiam, ne forte arguantur mendacii, qui vtriusque testimonio conuincuntur, nihil minus diligere, quam quod ore profitentur. Quorsum enim quotidie recitamus Psalmos, nonne vt congruentes verbis sensibusque Psalmorum affectus induamus, & mores monitis diuinis conformemus? Quis autē credat eos sentire, quod asserunt aut certe per os diuini Vatis assertum, repetunt quotidie, Beatum dicentes illum, qui in lege Domini scrutatur & meditatur die ac nocte? Quid mirum, si tales videamus succo vera pietatis paulatim destitui, nullo diuinarum rerum vegetari influxu, sensim sine sensu exarescere, tandemque penitus emori.*

Studiū iuris d. luadet Clerico Blesen.

Hinc Petrus Blesens. Vir. doctiss. & ipse Legum peritiss. Res, *inquit*, plena discriminis est in Clericis vsus legū: totū enim hominem adeo sibi vendicat, vt eum suspēdat à spiritualibus, à diuinis auellat. *Ep. 26 & alibi:* Hęc (*legum tractatio*) vix vnquam pacifica est, quia semper litigat de cōtractibus, vel quasi de maleficiis, vel quasi de variis figuris causarū, de actionibus & obligationibus, de iudiciis, de sententiis & appellationibus, & aliis, quæ cum sopire lites debeant, sæpe cineres litiū excitant iam sopitos. *Ita ille Epist. qua Clericum Regis Angliæ à studio Iuris prudentiæ, ad SS. literarum studia, veluti statui Ecclesiastico magis congrua prouocat. v. in* Tubis *nostris* Disp. Eccles. Tub. 6. pag. 553. *Sic & apud Baron. Tom. XII. an. 1165. n. 2.* Ioan Sarisberien. *Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, qui demum pro Ecclesia gloriosus Martyr occubuit, à studio legum dehortatur, vtpote* quæ magis curiositati quā vtilitati seruiant. Mallem, *inquit*, vos ruminare Psalmos, & B. Gregorii Morales Libros euoluere. Quis à lectione Legum & Canonum compunctus surgit?

Similem Caroli Borromæi *sanctissimo Præsuli mentem fuisse lego.* Vsitatam enim (*inquit Scriptor Vita*) Iurisconsultorum scientiā, qua fuerat occupatus adolescens, minime iā in pastorali cura ad se pertinere arbitratus est. Theologica & canonica tantū nouit, quantum Cardinali magnā Ecclesiam regenti efficere posse concessū est. Ex Theologia Scripturas diuinas potissimum sequebatur, tū veteres Patres, Interpretesq; illos, qui solidiorē sensum amplectuntur. Canonū ea scientia periucunda erat, quæ Patrū mores & acta repræsentans, Ecclesiæ componendæ, atque ordinandæ rationē continet. Dolens autē eos cōmuni consuetudine tantūmodo Canones ad interpretandum seligi, qui ad lites iudiciaq; valēt, cōstituit ipse qui iis declarādis præesset, vnde sacra maiorū instituta, & rit' optimūq; Ecclesię administrandæ genus hauriretur, *Lib. 7. cap. XI.*

Porrò superiora omnia cum grano salis accipe. Sobriam enim legum scientiam & vsum, non quæstui, sed iustitia & veritatis patrocinio vtilem nemo sapiens damnat. Id solum monētur sacri ordinis homines, vt nouerint pracipuas sui status partes, & officia, ament digna & debita vocationi sua studia, & prapostere occupari caueant: ne negligant scire inprimis, qua perfectionem sui status magis magisq; promoueant: ne minorem pracipuis, maiorem vilioribus, & alienis curam ac industriam impendat. v. Liodan. E*pisc. Ruremund. lib. de Impœnit. fug. vbi quærit, cur multi Clericorum hodie pluris faciant Iurisprudentia studia, quam Theologia.*

AD LIB. I. CAP. V.

Nam tu nostra non eris meticulosa informatione cōtentus, sed abundabis magis.] *Periculose enim adeoq; meticulose apud magnates dicitur veritas, quorum aures blandis vt plurimum & iucundis assueuerunt: at veritatis oratio grauis & aspera est & pungere potius, quam mulcere nouit: Hinc fit, vt veritatis, vel eorum qui verum dicant, inopia potissimum laborant magna fastigia. Itaque Magnatum est, quod hic* Bern. *insinuat, vltra monita conari, nec putare, abunde iam factum, cum qua monentur, solum fecerint: quia monitor sæpe non profert omnia qua dicenda erant: sæpius non cordate & candide monet & inculcat, qua res & ratio postulat: nempe pudore & reuerentia, non rarò etiam (quod tamen indignum) spe vel timore prohibitus.* Pag. 2

Magnatib. timide veritas dicitur.

Vnde si Principes & Prælati sibi consultum volunt, monitores, consiliarios, confessarios sibi eligant Viros graues, cordatos, candidos, qui nihil sperent, nisi Deum, nihil timeant, nisi peccatum. His dicendi, monendi, arguendiq; potestatem deferant, imò necessitatem imponāt. Certo spes lautioris fortuna, & timor offensa, mala sunt Consiliarii nota. Quam verò ab vtraque alienus fuerit Bern. *satis hic ipse Liber (de Consid.) ostendit.* Meticulosam *nihilominus vocat* informationem *suam, causa reuerentia, qua Pontifici debebatur: nam etsi olim Pater, nunc tamen vt filium Patri scribere se meminerat.*

Quid illis faciendum, ne veritatis defectu deprauentur

AD LIB. I. CAP. VII.

Dicas forsitan in hoc me dissentire ab illo, qui pietatem definiuit cultū Dei.] *Hac sapientia sæpius his verbis citatur à Bernardo, & ex Scriptura petitam haud obscure indicat. Sed agre inuenies, nisi adhibitis aliis translationibus, vt è plures alias Bernardo, aliisq; SS. Patribus vsitatas. Itaque legitur apud Iob 28. iuxta LXX Interpret. vbi Vulg. leg.* Ecce timor Dom. ipsa est sapientia. Pag. 3.

Hæc est, quæ confusa determinat.] *Varios effectus & proprietates considerationis siue meditationis commemorat, de quibus prolixe vide* Iac. Aluarez *Tom. 3. Operum spir. lib. 1. p. 3. cap. XI. & seq.* Lud. Pont. *Duc. spir. Tract. 2. ca. 1. & seqq.* Lud. Gran. *de orat. & med.* Ibid.

AD LIB. I. CAP. IX.

Nunquid istud terruit beatum Papam Gregorium?] *S. Gregorius inter ipsos armorum strepitus sacris studiis intentus, velut alter Archimedes. Et quidem Præfat. lib. 2. Homil. in Ezech. testatur duobus se incommodis turbari in proposito, nimia obscuritate visionum, & terrore imminentium malorum. Nam* Agilulphum, *inquit*, Longobardorū Regem ad obsidionem nostram summopere festinantem Padū transisse cognouimus: Vnde pensate, Fratres, in caliginosis ac mysticis sensibus penetrare quid valeat mens misera, timoris sui perturbationibus occupata, *&c.* & tamē obscurissimā & extremā partem Ezech. eo tēporis tā diligenter quam eleganter exposuit, *vt inquit* S. Bern. *Videant nunc Prælati Ecclesia, cæteriq; Viri Ecclesiastici, quomodo in pace & tranquillitate viuentes, vtantur otio concesso: an ad sacra studia, an ad vana & sacularia negotia. Quam multos hos videre est alienis, otiosis, & indignis occupari! Quid autem interest, an otiosus sis, an male occupatus? Olim certe sancti Præsules etiam in grauissimis negotiis, inuenerunt otium vacandi Deo: & nunc inuenient, quibus cura & parsimonia temporis erit.*

Captandum inter negotia otium ad vacandum Deo.

AD LIB. I. CAP. X.

Causas breuiter decidere adsuescas, frustratoriasq; & venatorias præcidere dilationes.] *Perstringit artes fraudesq; aduocatorum, quibus adeo cura non est, controuersiis sopiendis admouere manum, vt potius oleum affundant. Nimirum seruntur lites ex litibus, cōtrouersia controuersias excipiunt, nullaq; remora sisti vel inhiberi rixarum ille cursus potest. Sed & sumptibus atteruntur litigantium* pag. 4

Causæ & lites breuiter decidendæ.

facultates, cautiusq; plerisque esset, de iure suo decedere, quam iuri experiundo, forsis nonnunquam minus idonea damnum, impendiorum iactura cumulare. Caussas itaque Bern. vult breuiter decidi, omnes litium ambages recidi. Cum nihil ita absque labore manifestam faciat veritatem, vti breuis & pura narratio.

In quam sententiam multa variis Conciliorum decretis statuta legimus, sed vtinam praxin in curiis & tribunalibus videremus. Concil. Trident. *Sess. 24 cap. 20. de Reform. & Sess. 25. c. 10. de Reform. vbi inter alia sic habet:* Admonet sancta Synodus tam Ordinarios, quam alios quoscunque Iudices, vt terminandis causis, quãta fieri potent, breuitare studeant: ac litigatorũ artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte iudicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competẽti alia ratione occurrãt, *&c. v.* Concil. Lateran. *vlt. Sess. 10. Et in Cle. Sæpe de verb. sig. c.* finem litibus, *&c. fin. de do. & cont. c. 2. de re iud. &c.* constiturus, *de procur. c.* nonnulli, *de rescr. Cle.* dispendiosam, *de iudiciis, & alibi sæpius.*

Horum Canonum obseruantiam magnus Ecclesiastica disciplina Zelator Car. Borromæus *studiose promouit, de quo memorabile est.* Notariis Scribisq; fori eius tempore accidisse, vt petitiam earum litiũ, quæ de beneficiis alibi, tam frequẽter inter Clericos esse solent, pene dedidiscerent, *lib. 7. vita cap. 36. Thomã quoque Morum Angliæ Martyrem à protrahendis in foro causis alienissimum fuisse Staplet. in vita eius testatur:* Nam causis omnibus & litibus adeo expediuit & liberauit tribunal suum, vt quadam vice expedita causa, dum sequentem proferri iuberet, responsum acciperet, nullam illic amplius superesse. *Ita in vita eius, mihi pag. 39.*

AD LIB. II. de Consid. CAP. I.

Incidimus in tempus graue.] *Expeditio in Orientem,* pag. 5.
hortatore S. Bernardo, suscepta infeliciter cessit. Hinc nata contra Virum sanctum murmura & calumnia. His hoc capite antidoton siue apologeticon opponit. Idem quoque faciunt alii Scriptores, ne putes ipsum Bernardum solum sua causa & innocentia assertorem. Vide Gaufrid. *lib. 3. Vita cap. 4.* Ott. Frising. *de Gest. Frid. lib. 1. cap. 60. vbi multis hac de re philosophatus tandem concludit: Expeditionem illam, etsi cum tanta Christianorum strage coniunctam, fuisse bonam & salutarem,* si non pro dilatatione terminorum, vel pro commoditate corporum, attamen ad multarum salutem animarum. *Additque,* Quamuis si dicamus sanctum illum Abbatem (*Bernardum*) spiritu Dei ad excitandos nos afflatum fuisse, sed nos ob superbiam lasciuiamq; nostram salubria monita non obseruantes, merito rerum personarumq; dispendium deportasse, non fit à rationibus vel antiquis exẽplis dissonum. *Ita Otto, qui præsens interfuit, & quæ oculis suis vidit, sincerius enarrare potuit. Vide Epist.* Ioan. Abb. Casamarii *inter Epist. Bern. 333. &* Vuill. Tyrium *apud* Baro. *An. 1148. vbi de causis frustrata Expeditionis. Sed libet vnum præ cæteris istius ætatis audire, bonæ notæ & fidei & Scriptorem causas infelicis belli diligentius edisserentem. Is est* Guillel. Neubrig. *lib. 1. de Reb. Angl. cap. 20.*

Legimus, *inquit*, olim numerosissimum Domini exercitum vnius hominis etiam occulte peccantis scelere ita inquinatum, & fauore diuino nudatum, vt eneruus & languidus appareret. Consultus Dominus, respõdit populum anathemate pollutum esse, & adiecit: *Anathema in medio tui est, Israel: non poteris stare aduersus hostes tuos, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.*
Causa infelicis expeditionis Catholicorũ aduersus infideles.
Porro in nostro illo exercitu tanta tam contra Christianam quam contra castrẽsem etiam disciplinam male increuerant: vt mirum non sit, quod eis tanquam pollutis & immundis fauor nequaquam diuinus arriserit. Castra enim à castratione dicuntur luxuriæ. At castra illa nostre, casta non erant: in quibus vtique infelici quadam licentia multorum spectabant libidines.

Præsumentes quoque de multitudine & instructu copiarum, atq; ita carnem brachium suum superbe ponẽtes, in Domini, pro quo æmulari videbãtur, misericordia atq; potentia minus confidebãt, declaratumq; in eis est, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Præterea in terra Christiani Imperatoris, cum quo fœdus percusserant, & quo iubente, venalia vel afferebantur, vel abundabant, minus à rapinis temperabant. Immisit ergo eis infensus Imperator, hinc famem, inde hostem: tanti sanguinis Christiani periculum Christianus minime perhorrescens.

Denique venalibus prohibitis, cum pro victualibus congerendis propter hostium insidias nostri non valerẽt excurrere: Primo exercitus fame cõtabuit: Deinde hostium exceptus insidiis, vel Turcarum gladios inebriauit, vel Christianæ statum libertatis ignominiosissimæ atque infelicissimæ seruituris sorte mutauit.

Nec superbis atque immundis castigandis iræ defuere cœlestes, & plerumque (vt dicitur) effusa desuper intempestiuarum nubium inundatio de exercitu nostro plus minuit, quam hostilis gladius. Itaque duorum exercituum maximorum parte longe maiore diuersis casibus & cladibus profligata, cum parte residua duo illi magni Principes ægre exitium euadentes, Ierosolymam venerunt: & nulla re memorabili facta inglorie recesserunt. *Ita Neubrig.*

AD LIB. II. CAP. V.

Quale est hoc, de paupere & abiecto leuari super gentes & regna?] *Monet vt veteris fortuna memoria contineat* pag. 9.
se intra limites modestia. Idoneum sane frenum ad arrogantiam & tumorem animi comprimendum ac sistẽdum. Exemplum huius rei præclarum ac celebre dedit Agathocles Siculus, qui figulo Patre natus & ignobilis, tandem Regno Siciliæ potitus est. At ne honoris species abriperet extra metas honestatis, immemorem, vnde esset, & quam in lubrico eum fortuna collocasset, ortus sui memoriam conseruauit, vtens vasis fictilibus, quorum intuitu figuli se filium esse recordaretur. Id *quod Ausonius eleganti expressit Epigrammate. Quod præter alios etiam adfert* Nicol. Serarius *in Hist. Moguntina, vbi agit de Vuillegiso Archiepiscopo eiusdem Eccles. qui itidem obscuro loco natus, sed demum factus Archiepiscopus, quanto maior fuit, tanto se submissius gessit: ideoq; studebat identidem pristina conditionis sua recolere memoriam. Et quia Patre carpentario natus erat, passim ædificiis & parietibus Rotas, fabrile scilicet parentis opus pinxit, addito hoc elogio:* Vuillegise, Vuillegise, quis fueris ne obliuiscere. *Et hoc velut insigne sibi perpetuum sumpsit, cuius intuitu semper originis sua memoriam aleret, idq; in hodiernam vsque diem Ciuitas Moguntina reseruat. v.* Serarium *loc. c. mihi pag. 723 vbi alia quadam Symbolica de rota adfert, & de vita breuitate ac fortuna volubilitate non abs re philosophatur.*

Pristinæ conditionis memoria ad custodiam humilitatis retinenda.

AD LIB. II. CAP. n. 14.

Simia in tecto, rex fatuus in solio sedens.] Aloysius. pag. 9.
Nouarinus *ex Ordine Theatinorum Vir doctiss. Adagio 984. sic enarrat:* Qui sceptrum tenet, imperantis vetis noris destitutus: & qui aliis præsidet, ineptus muneri, Regis aut Superioris quamdam laruam præseferens is demũ, qui in culmine positus, deformior apparet & ineptior, is hoc prouerbio premetur. *Adde simiã in tecto ludere, nugari, & tractare quisquilias, & non nisi otiosum ac ridiculum adstantibus probere spectaculum; quid aliud Rex, vel Prælatus & Superior ineptus agit?*

AD LIB. II. CAP. XIII.

Inter seculares nugæ, nugæ sunt; in ore Sacerdotis blasphemiæ.] *Nugas & otiosas fabulas facessere iubet ab* pag. 9.
ore Sacerdotis, quidni Pontificis? seriis tantum & vtilibus id patere vult, nempe Euangelio consecratum, nec vano sermone (quamuis alii eum vrbani nomine colerent) profanandum. Simile prorsus prisca & rigida virtutis exemplum reliquit B. Pet. Damian. qui tædium vita publica, & desiderium quietis ac solitudinis, vel hinc accepisse, vel certo auxisse videtur, quod illi cum moribus, facetiis, iocis vel (vt verbo Bern. vtar) nugis Curialium minus conueniret. Audiamus ipsum in Epist. qua se apud Pontificem & Cardin. ob demissum Episcopatum Ostiensem excusat.

Fuit, fuit olim, *inquit*, sed iam elapsum est tempus, vt modestiæ pudor, mortificationis insigne, digna seueritas & sacerdotalis genii valeat censura seruari. Nam vt me

Pet. Dãm. nugas, iocos, &c. detestatur

folum digne coarguam, videtis ipsi, quia protinus vt ad vos venio, ecce sales, ecce facetiæ, ecce lepores, vrbanitates, dicacitates, volumina quæstionum, omnesq; verborum inanium pestes insolenter erumpunt, quæ nos non iam Sacerdotes, sed potius oratores ac rhetores, siue quod inhonestum est, scurras ostendunt. Mox enim, vt verba consertmus, paulatim quædam lenocinia confabulationis alternæ surrepunt, quæ omnem animi rigorem indecenter emolliant, & seueritatis robur in excussum risum, & turpia ioca dissolnant.

Hinc est, quod mens extra se sparsa confunditur, acies cordis obtunditur, lux diuini amoris extinguitur, terror in alios & reuerentia sacerdotalis amittitur, & quod periculosius est, recte viuendi linea, quæ aliis ad exemplū proponenda fuerat, non tenetur. Quod si nos, vel pudore vel metu, in hæc declinate contemnimus, mox inhumani, rigidi, & quos Hyrcanæ genuerint Tigres, saxei iudicamur. Reprimo calamum, nam vt turpiores attexantur ineptiæ, pudore suffundor. Videlicet venatus, aucupium, alearum insuper furiæ, vel scachorum, *&c. Ita ille. vbi vides quam belle Bernardo consentias, & quales in Sacerdotibus nugas detestetur: quas hodie multi Ecclesiasticorū, nedum Prælatorum adeo non cēsent cum Bernardo* blasphemias, *vt ne quidem veniales culpas existiment. Quam hic* Bern. *Eugenio cauendam monet vaniloquii culpam, eam alius olim sanctiss. Pontif. Gregorius, proposito sui exemplo, velut ipsa rent grauiter & pathetice reprehendit. Nam dum expendens verba* Ezech. Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël, *onus vocationis suæ ponderat, in hæc verba prorumpit, quæ merito etiam corda nostra percellant: pauca nos excerpemus, tu integra suo loco lege.*

Hom. 11. in Ezech.

O quam dura mibi sunt ista, quæ loquor! quia memetipsum loquendo ferio... qui otiosis verbis sæpe implicor, & ab exhortatione atque ædificatione proximorum torpens & negligens cesso. Qui in conspectu Dei factus sum mutus & verbosus: mutus in necessariis, verbosus in otiosis, *&c.*... Et quidem in monasterio positus, valebam & ab otiosis linguam restringere, & in intentione orationis pene continue mentem tenere. At postquam cordis humerum sarcinæ pastorali supposui, colligere se ad semetipsum assidue nō potest animus, quia ad multa partitur... Quia autem necessitate loci sæpe viris sæcularib. iungor; nonnunquam mihi linguæ disciplinam relaxo. Nam si in assiduo cēsuræ meæ rigore me teneo, scio quia ab infirmiorib. fugior, eosq; ad hoc quod appeto, nūquā traho. Vnde fit, vt eorū sæpe & otiosa patienter audiam. Sed quia ipse quoq; infirmus sum, in otiosis sermonibus paulisper tractus, libenter ea loqui incipio, quæ audire cœperam inuitus. Et vbi tædebat cadere, libet iacere, *&c.*

Verba notanda Viris Ecclesiasticis & Religiosis.

S. Greg. quā ob verba otiosa anxius.

S. Ambros. *vbi de officiis agit, iocandi disciplinam à secularibus viris tradi solitam, sibi prætereundam arbitratur.* Nam licet interdum, *inquit*, honesta ioca ac suauia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula, *lib. 1. cap. 23.*

Sacrosanct Oratores, qui, vt verbis Bern. *vtar*, cōsecrarūt os suum Euangelio, *hic cautos esse par est, ne ad nugas, & ludicra tum priuatim, tum publice defluant. Irascor Concionatoribus, qui pro suggestu iocos subinde seu facetias & lepidas fabellas proferunt, quales etiam in quibusdam recens editis cuiusdam Religiosi concionibus extare video.*

Legant illi Chrysost. in c. 5. Epist. ad Ephes. *vbi ostendit quam sit Christiano grauitati conueniens, ridiculis abstinere. quæ qui legerit* (inquit Carol. Regi⁹ S. I. in Oratore Christiano) *non poterit non mirari, quantum plerique Christiani populi Oratores ab ea grauitate distēt, quam ille Vir sapientissimus iure ab ipso populo exigebat, vbi deinde præsentem Bernardi locum iis inculcat. Qui proinde prudenter monet, Concionatori fugiendum modum agendi, magis aulicis, quam religiosis viris conuenientē, & eorum qui magis spiritu huius mundi, quam spiritu Dei viuunt, proprium: magisq; sapit mores quosdā, quos hodie politicos vocamus, quam simplicitatem Euangelicam.* Ex hoc genere est, *inquit*, lenis & iuuenilis in familiari vsu libertas, sub prætextu hilaris & lætioris cuiusdā cōuersationis, ridicula dicta & facta, & lepidas historias intermiscēdi, vt hoc modo amicos & viros nobiles familiarib. colloquiis detineant.

Concionatoribus cauendæ nugæ & facetiæ.

Car. Reg. in Orat. Christ. lib. 2. c. 16.

Ita Scriptor ille, ad formandum sacrum Oratorem perquam idoneus, dignusque qui versetur in omnium Concionatorum manibus.

AD LIB. III. CAP. II.

Quid tam decorum, vt ad inuocationem nom. tui oppressi effugiant, versuti non refugiant?] *Sic quidem legūt hactenus impressi: Nec* Vossius *alterius lectionis meminit, etsi alias complures adferre solitus. (vix enim quidquam habent eius Scholia præter diuersas lectiones) Mihi tamen semper visa fuit neruosior & magis emphatica fore sententia, si verbis transpositis ita legeretur,* Oppressi refugiant, versuti non effugiant. *Et ecce, dum M. SS. consulo; sic in Confluentino exemplari perantique & proba nota inuenio. Imò si sententiam cum antecedentibus & consequentibus conferas, sic omnino videtur legendum. Id enim vult, vt facilis pateat aditus oppressis ad Sedem Apost. refugientibus. Versuti vero, si & ipsi easdem pulsent fores, id est, si audeant ipsi quoque callidis & iniquis suis molitionibus præsidium apud Pontificem quærere, non* effugiant *iustam Pontificis iram & vltionem, seu, non euadant impune. Nam hanc esse mentem Bernardi, clare patet ex sequentibus vbi vrget, curandum Pontifici, vt læsus sentiat opem, lædens indignationem. Nam si iniquè appellans id ferat impunè, id fore iniquarum appellationum fomitem, ait.* Pag. 10.

Iniqua omnis appellatio, ad quam iustitiæ inopia non coëgit. Appellandum à sententia: ante sent. improbè omnino, *&c.*] *Quæ de re prudentissime* Concil. Trident. *Sess. 13. c. 1. de Refor.* Cum igitur rei criminum plerunque ad euitandas pœnas, & Episcoporum subterfugienda iudicia, querelas & grauamina simulent, & appellationis diffugio, iudicis processum impediāt, ne remedio, ad innocentiæ præsidium instituto, ad iniquitatis defensionē abutantur, atq; vt huiusmodi eorum calliditati & tergiuersationi occurratur, ita statuit, *&c.* Pag. 11.

Appellationes iniquæ refutandæ.

Cessuris Romæ, domi cedere satius.] *Alii legunt,* Sessuris Romæ, domi sedere satius, *vti Edit. Antuerp. Cuyckii. Alii,* Cessuris Romæ, domi sedere satius. *Sed prior lectio retinenda, vtpote plurimis Mss. conformis, Vossio etiam teste. Sensus enim est, Subterfugiunt Curiam, iniquè appellati, etsi caussa iustitia fulti, malentes cedere, vel succumbere domi, quam in Curia (vbi sæpe appellantes triumphant, non æquitate causæ, sed ope fautorum, &c.) se iudicio committere, via periculis & incommodis se exponere, inanes sumptus facere. q. d. Malunt domi quiescentes causa cadere, quam frustra foris periclitari, cum facile videant, quis in Curia caussæ exitus exspectandus sit, ob vires & fauores partis aduersæ.* Ibid.

Præstat sæpe causa subire iacturam, quā iudiciorum aleam.

Quam multi tales etiam hodie, qui non iustitia, sed pecuniæ inopia, aut amore quietis & otii, aut metu partis aduersæ, fortunis & fautoribus præualentis, malunt potius cedere, quam iudiciorum aleam subire. Quin & Vlpianus Iureconsult. Tit. 11. de rei vindicat. testatur Prætorem eius factum non improbare, qui tanti habuit re carere, ne propter eam sæpius litigaret. Hæc enim verecundia eius & cogitatio, *vt ipse inquit*, qui lites execratur, non est vituperanda, *&c.*

Bene facis tu, quod appellationum negato suffragio multa remittis, *&c.*] *Laudat hoc facientem Eugenium, sed Innocent. II. olim aliter agentem grauiter perstringit Epist. CLXXVIII.* Recta gesta, *inquit*, ab ipsis (*Episcopis*) destruins, iuste destructa statuitis, *&c. Vide Epist. & ibidem NOTAS.* Ibid.

AD LIB. III. CAP. III.

Sagmarii non leuati sarcinis.] *Mira hic lectionis varietas, alii,* Sagittatii, *alii* Saginatii, *alii* Sagenatii, alii Sūmatii, *&* Saumatii. *Apud Blesens. Epist. 14. eadem vox legitur, Summarii instant Summariis. Sed vtrobique restituenda vox* Sagmarius. *Nam σάγμα Græce idem quod onus vel sarcina. Vnde sagmarios dixeris oneriferos, onerum baiulos, clitellarios.* Reperitur eadem vox Sagma *Leuit. 15. v. 6. edit. vulg. apud LXX* ἐπὶ σάγμα. *Vbi, teste* Bonfrer. *significat ephippium, seu quicquid equo vel iumento insternitur ad equitandum: licet & pro clitellis seu oneribus, quæ iumentis imponuntur, positum legamus.* Eo tamen loco Sag- pag. 12.

Sagmarii vox explicatur.

ma, *vel* episagma *asini aliud significare non potest, nisi ephippium. Hinc dictus* equus sagmarius *apud* Lamprid. *in Heliogabalo, &* multa sagmaria *apud* Rhodigin. *nempe, qui iam ephippio vel oneribus gestandis idonei sunt.* Godescalcus Steuechus *Comment. in Vegetium lib. 2. cap. 10. gloriatur se primum ius postliminii huic voci in Vegetio restituisse, cum alii* Sagittarii, *vel* Saginarii, *vel* Sagitarii *legendum putarent. Vide etiam* VVatsium *in Glossar. Manh. Paris.*

Ibid. Siquidem vnus Moguntinus, Coloniensis alter.] Henricus I. *Archiepisc. Mogunt. grauatus suorum Canonicorum calumniis, & implorans Sedem Apost. absolutus est. Scribit pro eo* Bern. *Epist. 302. Effecerunt tamen Canonici, (quibus odio fuit ob studium reformandi) corruptus pecunia Legatis Apost. vt demum an. 1153. deponeretur, si fides habenda Conrado Archiep. Mog. qui circa an. 1250. historiam scripsit. Vide* Serar. *in Mogunt. pag. 816. in Henr. I. &* Baron. *Tom. XII. an. 1153. n. 5. vbi ob diuersas Scriptorum sententias, dicit dubium esse, iuste ne depositus sit.* Coloniensis alter, *id est,* Arnaldus, *qui ex Praeposito S. Andreae in Archiepiscopum electus An. 1138. post annos aliquot de simonia accusatus est. De hoc Arnaldo* Auctor *Magni Chron. Belg. Canonicus Reg. S. August. prope Nussiam, testatur, eum in Concil. Romano praesente Eugenio de simonia accusatum, vna cum Archiepisc. Mogunt. sententiam depositionis accepisse. Dictis vero Archiepiscopis pro sua reconciliatione Romam accedentibus, &* Henrico *Moguntino gratiam obtinente, Arnoldum Colon. reconciliationem impetrare non potuisse, cum tamen pro ea obtinenda plurima obtulisset.*

AD LIB. III. CAP. IV. n. 37:

pag. 13. Monstrum facis, si manui submouens digitum, facis pendere de capite, superiorem manu, brachio collateralem.] *Ita habet editio Vessii. Sed obscura sententia. Clarior videbatur futura, si ita legeretur:* Monstrum facis, si manum submouens, digitum facis pendere de capite, *q. d. Sicut monstrum esset, si submota manu, digitus immediate penderet à capite, essetq; manu superior, & propinquior capiti, quam manus: ita monstri instar esset, si in Corpore Christi mystico, membra inferiora non dependeant à superiorib. v. g. Monachi ab Episcopis sed immediatè à supremo, id est, ipso capite Ecclesiae summo Pontifice. Haec mens Bernardi, quamuis in hanc sententiam vulgata lectio etiam trahi possit.*

Ibid. Vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio, vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis. Vtilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.] *Notanda Bernar. in materia dispensationum sententia: nempe vt non nisi necessitate vrgente, & communi vtilitate suadente dispensetur. Iam vero saepius dispensari, vbi necessitas & vtilitas vel non est, vel tamē priuata est. Quid autem hoc est dispensare sensu Bernardi, nisi dissipare? Et his merito illa eiusdem S. Patris verba ingerimus:* Quid tibi frustra quispiam blanditur de absolutione Apostolica, cuius cōscientiam diuina ligatā tenet sententia? *Ep. 1. ad Rober. Nep. Et illa:* Apostolicam, inquiunt, licentiam quaesiuimus & impetrauimus. (O friuolum satis remedium, quod non est aliud, nisi more protoplastorum cauteriatis conscientiis texere perizomata, videlicet ad velamētum, non medicamentum) Vtinam non licentiam quaesissent, sed consilium, id est, non vt liceret, *&c. Ita* Bern. *Epist. 7. vbi notatu dignissima circa dispensationes, à num. 7. vsque ad 10.*

Dispensationes quatenus probandae.

AD LIB. III. CAP. V. n. 20.

Ibid. Luxus vestium interdictus, sed nō restrictus, poena dictata, sed minime secuta est.] *Aeuo Bernardi luxum & mollitiem vestium inter Clericos eò magis, & pene impune grassatam censent plerique, quod è prima nobilitate tunc plures in Clerum allecti, & iam pridem elegantia assueti, aegre se ad modestiam & frugalitatem sacro statu dignam componerent: quin & hoc modo pristinum splendorem & stemmatis excellentiam peculiari vestium cultu tueri vellent, ne forte è plebe instar caeterorum viderentur assumpti.*

v. Cresol mystag. l. 4. c. 13. sect. 3.

Sed quis prudens hoc in iis studium probet? Nā vna cū statu & vita genere mores habitumq; mutari par erat; vel certè ita statuere secum, praecipuum hominis Deo sacrati decus & ornamentum esse virtutem, modestiam, pietatem. Sed quia hic ferè deprauata plurimorū errabat opinio, sanctis & religiosis Viris semper cura fuit, venienam illam in communem perniciem indies magis magisq; tumescentē acriori stylo pungere. Accesserunt & diuersorum Ecclesiae Praesulum, nec non Conciliorum decreta, ad reprimendū luxum vestium edita, quae tamen S. Ber. non obseruari dolet ac queritur. v. infr. Tract. de morib. & off. Episc. *contra luxum vestium in Cler. &c. cap. 2.*

Vestium luxus in Clericis damnatus.

Si non vt prius fissura enormis penè inguina nudat.] Ibid. *Sacris decretis seuere cauetur, ne Clerici vestes ferant virgatas, partita scacatas. Maiores nostri vocabant* fractulatas *vestes & pomposas. v.* Chron. Vuindesem. *lib. 2. c. 47. quae videntur concisae fuisse vestes, latissimis rimis & hiantibus, quales vidimus in Gallorum thoracibus aestiuo tempore: quibus fiebat, vt feminudi esse viderentur: & vt cum* Petro Chrysologo *loquar,* artificiosa nuditate vestiti. *Ser. 122. id S. Bern.* fissuram enormem *appellat,* quae pene inguina nudet: *eo quod olim non thoraces modo haberent ea ratione fenestratos & hiantes, verumetiam & femoralia late fissa, vt ex antiquis picturis constat. Quare cum* Clerici *extra chorum longiorem vestem posuissent, in omnium oculos incurrebat illa amictus turpitudo, quae modestorum oculos animosque offenderet. Ita fere* Cresoll. in Mystag. lib. 4. c. 13. sect. 5. *Vbi etiam addit morbum illum dire in Germania grassatum. Sed & à Praesulibus magna vigilantia laboratum, ne licentius latius que serperet. Et quidem deinceps diuersos* Coloniensee Praesules *adducit, qui pastorali cura & censura inualescentem abusum reprimere studuerunt. Tales fuerūt* Conradus *An. 1260.* Vualramus *An. 1337.* Vuilhelmus *An. 1353. & 1360. qui inter alia sic ait:* Monemus vniuersos & singulos Clericos, ne de caetero vestes partitas, virgatas, taliatas, scacatas, &c. aut omnino rubeas, aut omnino virides, aut glaucas, aut botonatas, vel nodatas, &c. deferant. *Omitto caeteros.*

AD LIB. IV. Cap. II. n. 5.

Si caussa requir. paulo submissius agere.... tentaueris: Absit, inquiunt, non decet, tempori non congruit, *&c.*] pag. 5.
Vide vnde corruptela Principum ac Praelatorum sumpe à malis consiliariis & familiaribus. Vtpote qui tantum norunt blanda suggerere, ac non nisi placentia loqui. Hinc eleganter Seneca: Monstrabo tibi, *inquit,* cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet ille qui verum dicat.. Non vides quemadmodum illos in praeceps agit extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque, sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio quis blandissime fallat, *lib. 6. de benef. c. 30.*

Hinc S. Ambros. *quamuis Theodosii Imperatoris acre ingenium, & vehementem impetum nosset, minus tamen hinc quam à familiarium suorum consiliis metuebat. Idem Imperatori scribens Epist. 28. id ab ipso enixius postulat, vt a motibus motus, quantuis acres & viuidos sibimet potius, quam aliis regendos & gubernandos committat.* Vtinam, *inquit,* si nemo mitigat, nullus accendat, libenter cum naturae impetum committo tibi: ipse te reuocas, & pietatis studio vincis impetum naturae. *Et recte quidem. quod quamuis à vehementi Principis ingenio non posset non timeri, plus tamen ab improbis familiaribus metuendum esset. Ambrosii voto fidem faciunt, quae de Theodosii imperio olim florentissimo legitur apud* Baronium, *Tom. 6. An. Christ. 446.* Ita plane Theodosii Imperium pro arbitrio aulicorum, non pro ratione consilii administratum interiit, tantaque moles corruit. *Hoc ergo restat, vt Principes accurate dispiciant, quos in numerum familiarium allegant. Audiant, imò spectent & sequantur Dauidis exemplum. Ecce, dictum & factum eius egregium & verè regium.* Non habitabit in medio domus meae, qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum, *Psal. 100.*

AD LIB. IV. CAP. III. n.7.

pag. 15.

Propter hoc magis aggredere eos, sed verbo non facto. Quid tu denuo vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam. &c.] *Vbi docet vtrumque gladium competere Ecclesiæ, & spiritualem & materialem. Sed illum ab Ecclesia, hunc pro Ecclesia exerendum, illum Sacerdotis manu, hunc eius nutu, sed manu militis, & ad iussum Imperatoris. His verbis vtuntur longa serie Politici, (vt Sectarios sileam) imo Theologi plures & Canonistæ, qui olim (forte etiam hodie) Imperatoribus & Principibus contra Pontificem armatis nauarunt operam: & cum alibi ferro decertaretur, illi non minus calamo rem egerunt. Contendunt illi, non competere Pontifici gladium materialem, sed vt supremum caput Ecclesiæ, posse Imperatorem (vt pote dignius & potentius Ecclesiæ membrum) similiratione alios Principes) ad hoc requirere, vt arma commodet Ecclesiæ, eamq; contra hostes defendat, non vero propria authoritate posse mouere bellum. Et ad hoc nituntur præsenti loco Bernardi, vt qui velit non manu, sed nutu tantum Pontificis, iussuq; Imperatoris temporalem gladium exeri. Similia proferunt eiusdem verba ex Epist. 256. ad eundem Eugenium:* Exercendus, *inquit*, nunc vterque gladius, Christo denuo vbi & altera vice, patiente, per quem autem nisi per vos? Petri vterque, alter suo nutu, alter sua manu quoties necesse est euaginandos. De quo enim minus videbatur, ad Petrum dictum est: *Reconde gladium tuũ*: suus ergo erat, sed non sua vtiq; manu educẽdus, *&c.*

Quõ gladius vterque competat Pontifici

Sed vide Gloss. *in cap.* Vnam sanctam, *vbi præsens Bernardi locus commode explicatur. Vide etiam Epistolam* Gregorii IX. *ex Editione* Vossii *de duplici Gladio Pontificis, & vsu vtriusque ex professo tractantem. Item* Petrum Damiani *lib. 4. Ep. 6. vbi gladium materialem non videtur permittere Ecclesiæ, sed annotatione sat prolixa, antidotum auctor nescio quis (forte ipse qui edidit,* Constant. Caiet.) *adhibet. Item lege* Baron. *An. 1053. Sed videat omnino Lector* Sixtum Senens. *virum doctiss. ex Ord. Prædic.* lib. 6. Bibliot. sanctæ, Annot. 72. *vbi prolixe Bernardi verba explicat, eaq; à sinistris interpretationibus Caluini, Ferialiorumque vindicat. Sufficiet Lectori, hæc indicasse, nec enim vacat istanunc prolixius, discutere, cum has notas videam præter mentem excrescere.*

AD LIB. IV. CAP. IV. n.9.

Ibid.

An non eligendi de toto orbe, orbem iudicaturi?] *De electione Cardinalium, vtilissime hic monet & instruit Pontificem, & vult illos non ex vna gente vel natione, sed de toto mundo eligi. Idem statuit* Concil. Basil. *Sess. 23. & postremo iisdem verbis* Trident. *Sess. 24. cap. 1. de Reform.* Quos, *(Cardinales) inquit.* Sanctiss. Rom. Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, assumet. *Ratio inprimis est, quia id cognoscendis causis, & rebus per omnem Ecclesiam emergentibus, statuque omnium gentium explorando necessarium est. Neque enim grauiores in gubernatione committuntur errores quam ignoratione status Reip. at vix fieri potest, vt exteri omnia perspecta habeant, aut ita vt par est, cordi illis sint, quæ ad alias gentes instruendas, conciliandas, regendasq; pertinent. Deinde, quia cum omnium Gentium Principibus, Rebuspub. Regib. agendum est, expedit, in consilio esse omnium gentium Optimates, quorum opera res & negotia felicius tractentur. Denique, ne in Consistorio & iudicio Ecclesiæ, quod par est, omnium esse sincerissimum, studia & æmulationes nationum sentiantur, dum natio aliqua se contemptam arbitratur, adeoq; sibi deesse fautores & patronos queritur.*

Ibid.

Clericum Curiam frequentantem.] *Clericos in Curiis frequentes, merito de ambitu suspectos, adeoque honoribus, quos ambiunt, indignos, alii quoque* Principes *censuerunt. Ita* Philippus II. *Rex Hisp. Clericum quendam designarat Episcopum, sed mox vt intellexit eum adesse in Curia, reuocauit collationem, laceratis, quæ iam desuper confecta erant literis. Vide* Petrum Damian. *&* Petrum Blesen. *aduersus Clericos Curiales. Item* Cl. Espencæum *digress. in Ep. ad Tim. l. 2. c. 10. Sed hoc magis indignum, & minus ferendum, si qui Præsules & Prælati neglecta residentia, & posthabitis ouibus, hæreant in Curiis, præbeant se asseclas Regum ac Procerum: & qui tales detinent sine caussa, vel non remittunt ad suos, forte non erunt minus culpabiles. Huius rei indignitatem considerans Gentianus Heruetus scribens in Canon. Concil. Chalcedon. ita loquitur:* Miserabile certe, miserabile! qui omnes illud Romæ iudicans spectaculum, cum catervæ cernantur Episcoporum, qui malunt affectando Cardinales, se eorum seruitio mancipare, quam in sua Parœcia suo obeundo munus Christo seruire. Quos certe (*durior sententia*) si summus Pontifex flagellis, non ex Ecclesia, sed ab Vrbe Roma ad Ecclesiam suam expelleret, is mihi Vicarii Christi officio rite fungi videretur. *Ita ille. vbi sup. pag. 43.*

v in 7. Tubis discipl. Eccl. Pag. 457.

pag. 16.

Itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes, etiam coge illos & compelle intrare.] *Non nisi dignos assumi iubet, at digni olim qui fugiunt. Nam cur plurimi tam auide honores desiderant? nempe quia onera non considerant: Meditantibus quidem honores, blandiuntur: at pensantibus onera, horrori sunt atq; formidini. Iam quis credat illos rite functuros eo eis honoribus, qui ne quidem eorum onera vel officia norũt, aut curant? At in sanctis viris semper obseruatum, inuitos & coactos ad honores & dignitates peruenisse. Et tamen quo ægrius susceperunt impositas dignitates, eo dignius fideliusq; gesserunt. Nimirum qui honorẽ fugiunt, non blandientẽ foris speciem, sed latẽtem intus aculeum, respiciunt, hunc territi abstinent, & fugiunt. Cum vero ei se rebelli nequeunt, fugere nequeunt, quin se diuina prouidentiæ & superiorum obedientiæ subiiciant, & humeros sarcinæ submittant: necessitas illis virtutis laborisq; fit calcar & stimulus: dum hoc sibi incumbere sentiunt, vt omnibus modis conentur se suscepto muneri præstare pares. Ita mox mirantur manum ad fortia, ad laborem se vocatos agnoscunt: ideoq; non libet otiari aut deliciari, sed curant sic præesse vt prosint, & de commisso sibi talento quandoque respondere possint. Talis erat Heliodorus, quem* Hieron. *sacerdos inmeritus suam sic commendat:* Merebatur, *inquit*, negando, quod esse nolebat, eoq; dignior erat, quo se clamabat indignum. *Talis quoque Papa Cornelius, quem laudat* Cyprianus: Non vt quidam, vim fecisse vt Episcopus fieret, sed vim passum vt Episcopatum acceptaret. *Epist. 52. Saluberrime ergo sanxit* Leo Imperat. *sub annum Dom. 469. L. 32. C. de Episc. & Cler.* Non pretio sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat: sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.

Digni honoribus qui fugiunt, itaque hi promouendi.

Ibid.

De cæteris qualitatibus eligendorum Cardinalium vide Concil. Lateran. *sub Leone X. Sess. 9. de Reform. Cur. Item c.* bonæ, *de postular. Præla. c.* Execrabilis, *ext. de præb.* Anton. Flor. 3. *p. summ. Tit. 21. cap. 2. §. 2.* Hieron. Platum *lib. singulari de statu Cardin. cuius doctrina cæteris quoque Prælatis & Ecclesiasticis Viris facile accommodari potest.*

Ibid.

Qui non de dote viduæ, vel patrimonio Crucifixi, vel se vel suos ditare festinẽt. *v NOTAS ad Epist. 271.* Concil. Trident. *Sess. 25. cap. 1. de Reformat. vbi verba* Bernar. *pulchre confirmat.* Canones *Apost. Can. 39. & Can. 75.* Concil. Antioch. *c. 25. &* Carthag. IV. *cap. 15. & 32.* Matiscon. *cap. 13.* Hispal. I. *cap. 1. Videat, si cui libeat,* Cornel. *in Ezech. 44. vbi occasione præcepti diuini, quo Pontifex prohibetur lugere super mortuo, ne quidem Patre & Matre, hæc habet:*

Hæc Sacerdotes veteris Testamenti, coniugiis, filiis familiæ illigari: quid iam faciant Sacerdotes & Episcopi noui Testamenti, quos Deus cœlibes & illibetes esse voluit, vt à curis terrenis ad cœlestia mentem transferrẽt, eãq; totã in Deo, bonisque æternis defigerent? quare sapienter monet *S. Basil.* in Constit. monast. c. 23. *Scientes itaque intolerabile detrimentum huius erga cognatos affectus, fugiamus illorum curam, tanquam diabolicam ad nos impugnandum armaturam.* Sed ecce, *inquit Doctor sapiens*, hisce Satan inuidens insidias ex latere ponit, dum

Affectus humanus inordinatus erga cognatos in sacris hominibus damnabilis.

cognatos pro filiis substituit, eosq; curandos, & ex imo sensim ad summos opum & dignitatum gradus pronehendos esse suggerit, in illis extollendam & perpetuandum esse familiam, in illis conseruandum & celebrandum apud posteros nomen : ita nimirum,

Cum Factor rerum priuaret semine Clerum.
Ad Satana votum successit turba Nepotum.

Hæc est fraus, hic laqueus diaboli, hæc petra scandali, in quam non pauci aliàs boni impingunt, vt ab hoc cognatorum affectu se vinci & vinciri sinant, iisq; opes & status iugi cura & studio sine fine accumulent, etiam è bonis Ecclesiæ, cum animæ & salutis suæ suorumque graui periculo. Gliscit enim, serpit & crescit hæc cupiditas instar ignis latentis, quo magis illi indulgetur, tandemque fit insaturabilis, & in immane euadit incendium. Ita Sacerdotes, qui cœlestes esse debebant, fiunt terreni, & summi fiunt imi : ita quos animo excelso omnia humana despicere, illisq; altiores esse, aliosque idipsum docere oportebat, ad ea conuersi prolabūtur, mentemque sublimem ad infima hæc deprimunt.

O curua in terras animæ, & cælestium inanes!

Quam hi à Christi & priscorum Patrum virtute degenerant! *Vide hac, & in similem sententiam plura apud* Cornel. *à Lapide in cap.* 44. *Ezech. v.* 25.

AD LIB. IV. CAP. V.

Ego palpaui, non fodi parietem.] *Prouerbialis loquutio, alludens ad verba* Ezech. 8. *quasi diceret : Ego leniter tantum & obiter seu blande, & quasi summis digitis remtetigi, & insinuaui, tuum vero est, idq; ex officio quod geris, omnia altius rimari, & perscrutari, qui abusus deforment Ecclesiam, qua vitia ministros Sedis Apost. dedecoreat; eaq; ac omnia sedula cura corrigere, &c.*

AD LIB. V. CAP. V

Quid ergo sibi vult gradualis distinctio hæc?] *Nouem esse Angelorum Ordines, nec plures, nec pauciores; gradu ac dignitate inter se distinctos, sententia est multorum Patrum consensu tradita. Nam ita sentit* Ignatius Epist. *ad Trallian.* Dion. *de cœlest. Hierarch. cap.* 6. *vbi ex instituto eam rem tractans, tres constituit Angelorum Hierarchias, & singulas in tres ordines subdiuidit. Hos sequuntur* Gregor. *hom.* 34. *super Euang.* Hieron. *lib.* 2. *Apol. adu. Ruff.* Chrys. *hom.* 4. *super Gen.* Rupert. *lib.* 3. *de process. Sp. S. cap.* 6. *&* Bernard. *noster præter locum præsentem,* Serm. de S. Martino. *&* hom. 8. in Cantic. *In ordine tamen horum Ordinum constituendo, Patres variant, nec certa collocationis rationem habuisse videntur. Qua de re v.* S. Thom. 1. *p. q.* 108. *a.* 6.

Porro obserua Bernardum de hac materia sobrie admodum & opinando potius, quam affirmando loquutum. Nam quot sint Angelorum Ordines, & quibus inter se proprietatibus discreti, res est à sensibus, atque experientia mortalium longe remotissima. Proindeq; in loco obscuro & caliginoso non temere figendus gressus, neque ex humanis rationibus definiendum, sed procedendum caute, quousque Scriptura sacra & Ecclesia nobis auctoritas præluxerit. Vnde & SS. Patres hanc rem parce & sobrie sibi tractandam putarunt, vti videre est apud Hilarium *Enarr. Psal.* 129. August. *in Ench.* 58. *vbi fatetur ingenue, se ignorare, quomodo se habeat beatissima illa & suprema societas; & quæ ibi sint differentia personarum. Idem* Lib. ad Orosium cont. Priscill. & Orig. *profitetur, sed nec in ea ignorantia vllum esse periculū ait. Quin & ipse* Dionys. de cœlest. Hierarch. cap. 6. *vbi tractationem de Angelorum Ordinibus aggreditur, præfatur solum Deum & Angelos scire, quot sint, & qui cælestium naturarum Ordines. Sed vide* S. Thom. *loc. cit. art.* 5. *& 6. & ibid.* Comment.

AD TRACT. De Morib. Episc. Cap. I.

pag. 15. Ad consilium soli eligantur, qui & prudentes esse videantur & beneuoli.] *Enorme hîc mendum, in omnibus quæ hactenus vidi impressis : quod demum deprehendi ex MSS* Campensi *& Confluent. Nam post verba iā citata, leguntur ista :* Absque prudentia & beneuolētia nō esse perfecta consilia. *Sed qua male præcedentib. coharent, & sensum perturbant. Lemma marginale fuisse suspicor, quod fortè nonnemo ad oram sui Codicis annotauerat, idq; in ipsum postea textum irrepsisse. Dum alias hunc Tractatum, in VII. Tubis nostris, ederemus, ob defectum MS. non licuit corrigere, licet sensum esse corruptum aduerterimus. Eadem nunc denuo ad marginem reiecta in hac Editione leguntur.*

TRACT. Eod. Cap. 2.

Honorificabitis autem (ministerium) non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis, sed ornatis moribus, *&c.*] *Ita* Concil. Carthagin. IV. *cui S. Augustinus interfuit, Can.* 15. Episcopus, *inquit,* vilem suppellectilem, mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem, fide ac vitæ meritis quærat. *Qua verba* Concil. Trident. *repetit, & noua auctoritatis pondere corroborat Hortaturq; Episcopos, vt imprimis mores suos ita componant, vt reliqui ab iis frugalitatis, modestia, continentia, & sancta humilitatis exempla petere possint. Et post adducta verba Concil.* Carthag. *vale,* vt etiam in reliquo vitæ genere, ac tota sua domo caueant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum, quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat; *Sess.* 25. *cap.* 1 *de reform.* Pag. 16.

Peruersa multorum animos occupauit opinio, externum illum splendorem, fastum, & magnificum apparatum, Proceribus quoque Ecclesiasticis competere, immò necessarium esse, vt status sui dignitatem tueri possint. Sed hanc persuasionem Canonum ac Conciliorum authoritas, vnanimis Patrum doctrina, sanctorum Præsulum exempla, & Ratio ipsa conuellunt. Ostendere id facile esset per singula, si ferret præsentis instituti ratio : Fiet alias prolixe, cum edetur in lucem ZELVS *Domus Dei, Liber hoc titulo de Ecclesiastica vita disciplina iam affectus. Interim hos Auctores lege.* Bartholom. de Martyrib. *ex Ord. Domin. Archiepisc. Bracarens. lib. vtilissimo, qui* Stimulus Pastorum *inscribitur. parte* 2. *cap.* 6 *Ibidem adiunctum habes Tractatum elegantiss. De Morib. Prælat.* P. Ludou. Granat. *ex eodem Ord. Concionatoris celeberrimi, vbi idem argumentum doctè ac eleganter prosequitur,* Cap. xt. Antonium Molinam *in Instruct. Sacerd. Tract.* 2. *cap.* 13. *qui liber vtinam omniū Ecclesiasticorum manibus teratur.* Lindanum *Episcop. Rurem. Tract. ad omnes Ecclesiast. de fugienda impœnit. lib.* 2. *pag.* 115. Henricum Cuickium *itidem Ruremund. Episcopum Epist.* 2. *Paranet. ad Cler. sua Diœces.* Gersonem Cancell. Paris. *Tom.* 2. *Tract. de Temperant. Prælat. mihi pag.* 543. *& seq. &* Tom. 1. *pag.* 202. *de signis ruina Eccles. Quibus meritò addendi* Bellarm. *de officio Princip. Christ. lib.* 1. *cap.* 5. Platus *de Cardin. cap.* 16. Rodriquez. 2. *p. Exerc. Tract.* 3. *cap.* 29. *vbi testimonio S.* Francisci Xauerii *docet, quomodo paretur & conseruetur authoritas, & cur ea in Prælatis hodie adeo euiluerit.*

Hi omnes vna voce docent, idq; grauissimis rationibus & exemplis conuincunt, veris solidisq; virtutibus potius, quam externo splendore honorem & reuerentiam acquiri : nimis infirma esse honoris fulcra, quibus pleriq; nituntur : potius illa auctoritati officere, & tandem in contemptum vergere. Et hoc maximè in Prælat. Ecclesiastico locum habere : Sanctorum Præsulum exemplis facile id comprobari. Quanta enim, vt alios infinitos prætercam, SS. Basilii, Martini, Augustini, Chrysostomi fuit auctoritas, quæ dignitas & gloria, at quibus illa rebus constitit? Certe si illa tuenda auctoritatis adminicula quæsissent, quæ sola nunc multis cura sunt, iam dudam Periisset memoria eorum cum sonitu, & nomina eorū tenebris & obli- Dignitas & auctoritas quib. modis Ecclesiæ Prælatis tuenda.

nione perpetua sepulta laterent, qui nunc honorificati sunt mmis per omnem Ecclesiam, eruntque semper in benedictione, quia nimirum ipsi honorificarunt ministerium suum in diebus carnis sua non argento vel auro, non pretiosis vestibus, bonisque huius saculi: sed talium rerum contemptu, sedula officii ac vocationis cura, serioq; humilitatis, modestia, charitatis cæterarumq; virtutum studio.

Sed hac vberius, elegantiusque tractata leges apud citatos Auctores, quorum verbis in huiusmodi materia libenter vtimur, vt veritas, tantis nixa Auctoribus, plus habeat ponderis, & minus timeat inuidiam.

Sed quia diuersitatem temporum obtendere solent, qui in imo iacentes, & languidi circa sublimioris vita studia, virtutibus honorem & auctoritatem, se consequi ac tueri posse desperant, adeoq; ad infima isthac & infirma prasidia conuersi alia tempora, alios mores requirere dictitant: His libet sanctissimum nostra atatis Prasulem proponere, cuius quo rarior vita modestia, maiorq; frugalitas, & omnis splendoris abdicatio, eo maior fuit auctoritas & reuerentia. De quo ita Hieron. Platus *lib. de offic. Cardin. cap. 16.* Hæc est via certissima & optima venerationis acquirendæ inter homines, si virtus emicet, si integritas, si grauitas, religio ac pietas ita emineat, vt ab omnibus conspiciatur. *Confirmat exemplo S. Nicolai Myrens. Episcopi, deinde subdit:* Sed quid antiqua repetimus? *Cardinalis Borromæus*, ne quis tempora causetur, notum est, quam omnem supellectilem alicuius pretii, conopæa, aulæa, aliaq; eius generis abs se remouerit. Vestibus vtebatur exterois quidem, vt Cardinalis, interioribus vero ex simplici panno & tela: quin etiá cubicularis amictus ex panno erat cinerico, rudi & crasso, quam ipsam vestem quatuordecim totis annis nonquam mutauit, multaq; alia eiusmodi, quæ non est necesse referri, quoniam nota sunt & recentia, constanter vsque ad mortē seruauit. Quid horū igitur de eius celebritate imminuit? Potius multum addidit. Nam qui hæc speciosa habeaot, multi sunt, neque id virtutis est, sed opulentiæ, quæ etiam in insipientem cadere potest, & sæpe cadit. At vero illa spernere sapientiæ est, ideoq; admirationem potius & commendationem patit. *Ita Platus.*

Carol. Borr modestia & frugalitate nō imminuit au toritatem suam, sed auxit.

Cui suffragatur Carolus à Basilica Petri Episcopus Nouariensis, disertissimus Vita S. Caroli Borromai Scriptor, lib. 7. cap. 6. vbi ait fuisse, qui exiguum comitatum & alia quædam in Carolo ad Christianæ humilitatis virtutem pertinentia reprehenderent, & summam dignitatem aliquo modo ita imminui quererētur. Res etiam ad ipsum Pontif. Pium V. aliquando relata est. Cui Carolus ita facti sui rationem reddit, vt nihil haberet optimus Pater, quod improbaret. Eorum qui Dei ministri essent, dignitatem ac existimationem dicebat, non in humanis ornamentis, sed in religiosis virtutibus consistere. Res ipsa declarauit, & superius* narrata demonstrant, Caroli abiectionem, morum grauitate, sanctitateq; coniunctam, summis atque infimis tanto semper in honore fuisse, quantum nulla terreni splendoris ornamenta coosequi potuissent.

*Lib. 3. c. 3. Lib. 5. c. 7.

IBID. CAP. IV.

pag. 27.

Et Deus ipse ad Cain, peccasti, quiesce.] *Hac verba Bern. allegat iuxta translationem LXX. Nam vbi Vulgata legit:* Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum aderit, *Septuag. ita habent:* Nonne si recte offeras, non recte autem diuidas, peccasti? quiesce. *Qua lectionis diuersitas, non inscitia LXX. Interpretum adscribenda, vti vult* Eugubinus, *sed quod alii punctis legerint, aliterque interpunxerint, quam Hieron. Vide* Bonfrer. *in hunc locum*, Cornel. à Lap. *aliosq; Interpretes, qui ex vtraque congruos sensus eliciunt, & quidem hac LXX. Interpr. lectio apud Patres etiam Latinos frequens est, vti alibi etiam monuimus.*

IBID. CAP. VIII.

pag. 30.

Curritur in Clero passim ab omni ætate & ordine à doctis pariter & indoctis, &c.] *Graphice hic effrenem cupiditatem, & insatiabilem auaritiam Ecclesiasticorum beneficia cumulantium describit. Quam alibi quoque grauiter non semel perstrinxit, & nos occasione data cum Bernardo, quam neque hic praterire possumus. Malumus tamen id verbis alienis facere, vt inuidiam veritatis comitem, in fortiores humeros deriuemus. Itaque Ruremundanus ille Episcopus, quem alibi non semel laudauimus,* Henricus Cuyckius (*in cuius Diœcesi natale mihi solum obtigit*) Parænesi 2. *ad Cler. sua Diœces. sic loquitur:*

Inde hæc deploranda Ecclesiæ facies, & hæc deformitas, quæ ex immoderata cupiditate tanquam malorum omnium pullulans radice, in omne vitiorum genus latissime progerminauit, in illis maxime, quibus non satis est vnius Ecclesiæ maritos & sponsos fieri (sicut Ambrosius loquitur) sed tanquam Nemrhotæi quidam, hoc est, robusti & vafri venatores, vt plura melioraq; semper congerant sacerdotia, artes varias adhibent, sæpenumero quidem illicitas, semper autem parum honestas: & illorum, qui ab ista auaritiæ lue immunes sunt, iudicio improbatas semper ac damnatas.

Pluralitas damnata.

Amb. de dignit. Sacerd. c. 4.

Hac imbuti persuasione, cupiditati suæ omnia indulgent, omniaq; quæ conquirere quaqua ratione possunt, coacervant: nec ab illis etiam abstinent beneficiis, quæ vel propter sui præstantiam dignitatemque, vel propter ministerium pastorale, quod habent annexum, (Canonibus sacris & Ioann. XXII. Extrauag. cuius initium est, *Execrabilis*. prohibentibus) in vnum hominem nequeunt conferri; vbi per posterioris adeptionem, prius semper amittitur. Habent semper in promptu, quod suæ obtendant cupiditati: habent vnde post tergum proiiciant scrupulos, & synteresin omnem excutiant. & malis sæpe artibus & falsis narrationibus occæcante auaritia, veniam (dispensationem vocant) extorquent, & obtinent.

Lib. 1. Decr. tit. 6. c. 54. & l. 3. tit. 5. c. 28.

At verò sacrosancti Concilii Tridentini constitutio, vnicum vni vult conferri beneficium, omnem repudians multiplicationem, nisi eiusmodi sint beneficia, quæ singula ad sustentationem honestam minime sufficiant. Quænam vero hæc sint beneficia, non adeo promptum est definire: & hic quoque sæpe omnem cæca & indomita impingit cupiditas: quando quisque pro suo, non pro Episcopi arbitrio hoc finitur definire.

Sustentationem sui, quam in Clericis omnibus, ipsisq; etiam Episcopis ex Tridentini Concilii sententia, oportet esse frugalem, hospitalitatis & beneficentiæ velamine, illi volunt esse magnificam; vitæ huius impendia non pro necessitate, aut eo quod naturæ satis esse queat, (quæ paruo est contenta) sed pro effectu priuato & habendi libidine metientes; & ex cuiusque beneficii accessione prouentu aucto, aliquid etiam ad familiæ splēdorem, ad vestium luxum, ad prædiorum aliarumq; siue fixarum siue mobilium rerum prouentum accedere volunt, & vt in plures benefici esse possint, aut ad sui nominis memoriam celebrandam, opulentas erigere fundationes, domum domo & agro agrum è beneficiorum prouentibus semper coniungunt: & hoc satis esse arbitrantur ad palliandam aut excusandam inexplebilem auaritiam suam, si hunc sibi scopum propositum habeant. Sed artificiosa hæc & palliata cupiditas est, de qua Nepotiano scribens *Hieronymus, Melius esse dicit, non habere quod tribuas, quam impudenter quærere quod recondas.*

Et quomodo non defraudant Ecclesiam, qui cum non possint Ecclesiis pluribus, quibus adscripti sunt, se exhibere præsentes, & in iis ministrare, (quod in singulis fieri debere Ecclesiis, Nicæna primum, deinde Antiochena & Arelatensis Synodi constituerunt: qua de re etiam in 3. Decretal. lib. extat Canon: *Conquerente, de nonresidentibus Clericis*: cui omnes Iuris Interpretes in illud scribentes capitulum succenturiantur) plurium tamen Ecclesiarum beneficia volunt occupare?

Nicæn. c. 16. Arel. 2. c. 22. Antioch. c. 3.

Lib. 3. Decr. tit. 4. c. 6.

Quomodo non defraudant hodie Ecclesias, qui etsi nullo salutis animarum zelo moueantur, nec domui suæ rectè præesse norint, pluribus tamen regendis præficiuntur

ciuntur Ecclesiis? scilicet vt potentia & facultatibus aucti, Ecclesiæ hostibus sint terrori, & habeant vnde atterant & consumant vires hæreticorum: qui interim vt nunquam saturi, sed aliorum semper inhiantes facultatibus, semper nihilominus exhausti & inopes sunt: non secus ac si vel non nisi vnum, vel nullum omnino Episcopatum obtinerent: & de coercendis ac subuertendis hæreticis, de curandis animabus, de Ecclesiis regendis, de reuocandis errantibus, de exercenda in concubinarios aliosque criminosos Ecclesiastica disciplina, de morum vitæque in melius reformatione, nulla sollicitudine ducuntur.

Quomodo denique non defraudant Ecclesiam ministris necessariis, qui sua pluralitate arcent omnes illos qui legitimi tituli defectu (prohibentibus sacris Canonibus) non possunt in ministrorum ordinem cooptari; & ad secularem vitam, ad mechanicas artes, aliaue profana studia conuertere se coguntur?

IN APOLOGIAM ad Guilielmum Abbatem S. Theodorici.

De hoc Guilielmo Abbate vide NOTAS ad Epist. 86. Occasionem vero huic Apologiæ dedit lis & controuersia inter Cluniacenses & Cistercienses, ob regulam S. Benedicti, ab vtrisque dispari habitu, nec pari zelo ac rigore seruatam. Qua de re vide Baron. *ad Ann. 1126. Item Epistolas* Petri Abbatis, *quarum vna lib. 3. Epist. 28 prolixe respondet querelis & accusationibus Cisterciensium; & nisi fallor, præsenti Apologiæ opponitur. Vide aliam eiusdem Epist. inter Bernardinas num. 28.*

IBID. CAP. XI.

pag. 39. Fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget, suos lapides induit auro, & suos filios nudos deserit, de sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum, *&c.*] *Hic locus Bernardi, vbi nimium cultum Templorum perstringit, facile hoc tempore patebit calumniæ, quo multorem liberalitas pronius in templorem donaria, quam in egenorem subsidia fertur. Nempe, quod pauperibus impenditur, in vacuo. & obscuros abit veneres: quod templis offertur, omnium oculis conspicuum exponitur. Nam hoc multorum motiuum indicat Chrysostom. Vide infra. Hic sit, quod ait Bernar.* ipso visu sumptuosarum, sed mirandarum vanitatum, accenduntur homines magis ad offerendum, quam ad adorandum: sic opes hauriuntur opibus, pecunia pecuniam trahit, quia nescio, quo pacto, vbi amplius diuitiarum cernitur, ibi offertur libentius. Auro tectis Reliquiis saginantur oculi, & loculi aperiuntur.

Vt in his & similibus mens Bernardi patefiat, & verba eius à calumnia vendicentur, consona SS. Patrum, & recentiorum quoque Scriptorũ verba nonnulla apponemus.

Inprimis Ius Canon. 14. q. 2. Aurum habet Ecclesia, non vt seruet, sed vt eroget & subueniat in necessitatib. Quid opus est custodire, quod nihil adiuuat? ..Melius fuerat, vt vasa viuentium seruares, quam metallorum. His non potes responsum referre. Quid enim diceres? Timui ne templo Dei ornatus deesset? responderet. Aurum sacramenta non quærunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur, *&c. Vide apud* S. Ambr. *1. de off. c. 28. Nã inde petita sunt. Et rursus ibid. c. 12 c.* Gloria *Ex S. Hieron.* Multi ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt: marmora nitent: auro splendent laquearia: gemmis Altare distinguitur: & ministrorum Christi nulla electio est.

Neque vero mihi aliquis opponat diues in Iudea templum: mensam, lucernas, thuribula, patellas, scyphos, mortariola, & cætera ex auro fabrefacta. Tũc hæc probabantur à Domino; quando Sacerdotes hostias immolabãt, & sanguis pecudum erat redemptio peccatorum. Quanquam hæc omnia præcesserunt in figura, scripta sunt autem propter nos, in quos fines sæculorum deuenerũt. Nunc vero cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicauit, cogitemus Crucem eius, & diuitias lutum putabimus... Quid suspicimus & amamus, quod Petrus se non habere gloriose testatur? Alioquin si tantum literam sequimur, & in auro atque diuitiis simplex nos delectat historia, cum auro obseruemus & cætera. Ducant Põtifices Christi, vxores virgines. Quamuis bonæ mentis sit, qui cicatricem habuerit, & deformis est, priuetur sacerdotio, lepra corporis animæ vitiis præferatur. Crescamus & multiplicemur, & repleamus terram. Nec immolemus Agnum, nec mysticũ pascha celebremus, quia hæc absque templo fieri lege prohibentur, *&c. Ex* Hieron. *Ep. 2. ad* Nepot. *c. xii. Qui & alibi sic alloquitur Demetriadẽ*: Alii ædificent Ecclesias: vestiant parietes marmorum crustis; columnarum moles aduehant; earumq; deaurent capita, pretiosum ornatum non sentiẽtia: ebore argentoq; valuas, & gemmis aurata distinguãt altaria. Non reprehẽdo, non abnuo. Vnusquisq; in sensu suo abundet: meliusq; est hoc facere, quam repositis opibus incubare. Sed tibi aliud propositum est, Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pascere in esurientibus, *&c.*

S. Chrysost. *Homil. 51. in Matth. disertissimo*: Et certe non erat ex argento illa mensa, nec ex auro ille calix quo Christus discipulis sanguinem præbuit suum; pretiosa tamen erant omnia, & venerationis plena, quia spiritu abundabant. Vis corpus Christi honorare? non despicias ipsum nudum: neque hic quidem in Ecclesia sericis pannis induas, foris autem frigore ac nuditate confici negligas. Qui enim dixit: *Hoc est corpus meum,* & rem simul confecit, idem dixit: *Esurientem me vidistis, & non cibastis, & in quantum non fecistis vni eorum minimorum, nec mihi fecistis.* Hoc certe corpus Christi non amictu, sed anima munda indiget: illud autem multa cura & diligentia eget.

Perdiscamus igitur philosophari, & ipsum Christum ex voluntate sua honorare. nam qui honoratur, eo maxime honore lætatur, quem ipse vult, non quem optamus. Sic & Petrus honorare Christum credebat, si eum à lotione pedum prohibuisset: quod rerte contrarium erat. Pariter tu etiam ita eum honora, vt ipse vult, expone diuitias tuas pauperibus. Non est opus vasis, sed pomis aureis. Hæc dico, non quia vetare velim talium vasorum oblationem, sed quia dignum putem, ante omnia misericordiæ ac benignitati esse incumbendum: Nam & vasa Deus suscipit, sed illa multo magis sibi gratiosa sunt. Et vasa quidem danti solum profuerint, benignitas vero etiam accipienti. Et hic quidem ostentatio nonnunquam potest accusari, ibi vero totum misericordi animo attribuitur.

Christus suo non nostro sensu honorandus.

Responde, quæso, quænam vtilitas est, si, cum mensa eius multis calicibus aureis ornatur, ipse inedia pereat? prius igitur ipsum esurientem satura, deinde ex quadam superabundantia mensam etiam eius ornabis. Calicem aureum facis, & aquæ frigidæ calicem ei non præbes: & quod hinc emolumentum consequitur? coopertoria mẽsæ auro nitent, & ipsi necessaria vel legumina negas: Quid igitur ipsi præbes? dic, oro, si quẽ fame pereuntem videres, nec cibo soluere ipsius famem curares, sed multo argento ac auro mensam solummodo exornares, quas putas illum gratias tibi habiturum, ac non potius indignaturum? Quid porro si vestibus detritis ac pertusis vestitum & frigore congelatum hominem aspiceres, nec vestem aliquam ei præparares, aureas statuas ad laudem eius erigere, nonne contemnere atque irridere ipsum videreris? Ita te oportet in Christo etiã cogitare; cum errabundus & peregrinus circumuagetur, tecto indigens, tunc tu ipsum quidem nõ suscipis: vermiculato emblemate pauimenta ornas, magnificos muros construis, columnarum capita erigis, Lychnos ab argenteis catenis dependere facis: ipsum vero nec visitare quidẽ curas in carceribus vinctum. Nec prohibeo magnifica templa condere, sed hæc cum illis, imò verò hæc ante illa facere moneo: nemo enim, quia templa magnifica non condiderit, vnquam accusatus est; at verò gehennæ, ignis inextinguibilis, supplicia dæmonum imminent, nisi quis diligenter illa peragere velit.

Mensam vocat Altare, in qua sacra mysteria peraguntur.

Cum ergo ædes exornes, noli afflictum fratrem despicere: hoc enim templum illo est multo præstantius. Nam & illud infideles reges, & tyranni, & latrones capere possunt, quidquid autem benigne in fratrem feceris, nec diabolus ipse poterit vnquam eripere, sed manet thesauris æternis reconditum.

Quare igitur, inquies, ipse dixit: *Pauperes vobiscum semper habetis, me autem semper non habetis?* Quin propterea censeo misericordia liberaliter esse vtendum, quia non semper, sed in præsenti tantummodo vita ipsum esurientem habemus. Quod si sensum cupis illius textus (*Math. 26.*) vniuersum perdiscere, scias illud non esse aduersum discipulos dictum, quamuis ita videatur, sed imbecillitati mulieris accõmodatum. Nam cum adhuc imperfectior esset, ne verbis discipulorum quasi perperam faciens turbaretur, ad confirmandam ipsam hæc dicta sunt. Vnde pro ea respondens Dominus, intulit: *Quid molesti estis huic mulieri?* Nam quia ipsum nobiscum semper habemus, alibi manifestauit (*Math. 28.*) dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Ex quibus omnibus patet, non alia de causa Christum ita dixisse, nisi vt tenera mulieris fides, tunc pullulans, dura discipulorum increpatione non emarcesceret. Non confugiamus ergo ad ea, quæ tunc aliqua de causa dicta, tempori accõmodata fuerunt; sed omnia, quæ in Scriptura, siue noua, siue veteri, de misericordia & benignitate scripta sunt, diligenter lectitantes, magno studio huic rei incumbamus. *Eadem habet* Chrysost. *Hom. 60. ad pop. Antioc. Hæc verba Chrysost. allegans* Cornel. à Lapid. *in Prou. 16. v. 5. ita concludit:* Ex quibus constat, Deum tantum pauperibus deferre, vel potius sibi ipsi in illis, vt quod attinet ad externa, honestius, liberalius & decentius secum in his agi velit, quam in Eucharistiæ Sacramento.

Porro notandum, his verbis Chrysostomum non tantum commendare caussam pauperum præ donis templorum, sed & præmunire sese, aliosque SS. Patres idem sentientes aduersus calumniam, qua forte ex facto Iudæ & Discipulorum Magdalenam sugillantium notari possent.

Quainre Chrysostomi vestigia legit S. Isidorus Pelusiota, (*vtpote Magistri Discipulus*) *Lib. 2. Epist. 88. quam recitat* Ioannes de la Haye, *in Apparatu Euang. cap. 144. Is ergo respondet cuidam miranti, cur Christus represserit Discipulos, incusantes de effuso vnguento Magdalenam; præsertim cum eorum sermo videretur consulere commodis pauperum, qui & ipsi Christo tantopere curæ erant. Digna quæstio. Cui ita respondet* Pelusiota:

Hoc aio, *inquit*, eum qui de Eleemosynis tot ac tantos sermones habebat, eamque sacrificiis anteponebat, nunc eandem, quod tu existimas minime repulisse. Nam qui dixit: (Matth. 9.) *Misericordiam volo & non sacrificium.* Et: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et: *Quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis;* haud quaquam in contrarium recidisset. Verum quoniam mulier ea, quæ accesserat, oleum effundere anteuertit, absurdissimum esse diuina sapientia iudicauit, ipsius fidem obterere, atque ipsius patrocinium suscepit, hisque verbis vsus est: *Bonum opus fecit:* ac vide sapientiam omni orationis facultate præstantiorem. Non enim dixit: Bonum opus factum est: sed *fecit.* Neque enim ipsum facinus priuatim expendit, verum vna cum mulieris persona: perinde ac si diceret, quandoquidem semel hoc fecit, laude atque commendatione digna est. Quamobrem perfectam quandam, ac numeris omnibus absolutam virtutem ab ea ne requiramus: verum, quia fieri potest, coronam ei texamus.

Nam si non hoc sensu mulierem comprobasset, omnibus profecto, vt eius exemplum sequerentur, lege lata indicere oportebat. Porro cum nihil eiusmodi dixerit, satis argumenti dedit, se ob indulgentem quandam demissionem eam comprobasse. Nam si, cum dixisset, *fecit*, id sane pro lege habeatur: si autem eam, cum id fecisset, in animi anxietatem minime coniecit, non est cur quisquam indulgentiam huiusmodi in legem trahat. Nam cum sacrificia in veteri Testamento permissa postea euerterit, quonam pacto, quæ hic ne permisit quidem, lege lata sanxisset? Quemadmodum enim, si ante effusum vnguentum interrogatus fuisset, haud dubie illud vendi, & pauperibus dari iussisset: sic posteaquam effusum fuerat, mulieris fidem per obiurgationem extinguere absurdum erat.

Atque ad eundem quoque modum nunc faciunt probatissimi quique Sacerdotes. Nam, si quis dicat: Consecrare atque appendere aliquid volo, id eum pauperibus dare iubent. Sin autem id iam ipse fecerit, non modo eum non increpant, verum etiam blande ac leniter admittunt; non quod hoc illo melius ac præstantius esse ducant (non enim propterea Christus venit, vt Ecclesias auro & argento impleat) sed ne eum, qui hoc donarium obtulit, animi anxietate afficiant.

Bonorum Sacerdotum est, ex sententia Isidori, potius curare subsidia pauperum, quam dona templorum.

Verum ne cui videatur hæc priscorum Patrum sententia, nostri æui Scriptorum calculo aut suffragio destitui. Ecce tibi recentis memoriæ, sed antiquæ sapientiæ & virtutis virum, Hierem. inquam, Drexelium, qui, vbi pauperum, præsertim studiosorum curam & subsidia commendasset, ita proponit sibi obiicientem hominem erga templa liberalem: Ego templis do. Non reprehendimus. Sed templa viua potius ac prius curanda sunt, quam ea, quibus nihil est vitæ. Sunt qui Sacerdotia augeant, Cœnobia condant, Templa aut Sacella erigant; Parentes aut cognatos summe pauperes destituant. O munificentiam magnam, sed male ordinatam! Aureæ linguæ Orator, quid hac in re sentiat, apertissima facundia in medium ponens: *Ecce enim*, inquit, *qui martyria ædificant*, Ecclesias ornant, bonum opus facere videntur: sed si quidem & alias iustitiam Dei custodiant, si de bonis eorum pauperes gaudent, si aliorum bona per violentiam non faciunt sua: scito, quia ad gloriam Dei ædificant. Si autem alias iustitiam Dei non seruant, si de bonis eorum pauperes nunquam gaudent: si aliorum bona faciunt sua, aut per violentiam, aut per fraudem: quis tam insensatus est, vt non intelligat, quia non ad gloriam Dei faciunt ædificia illa, sed propter æstimationem humanam? & iuste ædificant martyria, vt pauperes violentiam passi ab eis interpellent contra eos. Non enim gaudent Martyres, quando ex illis pecuniis honorantur, pro quibus pauperes plorant.

Garoph. p. 1. cap. 2.

Chrys. Hom. in c. 25. Mat.

Qualis est virtus illa iustitiæ, munerare mortuos, & exspoliare viuos? de sanguine miserorum tollere, & Deo offerre? Illud non est Deo offerre, sed velle violentiæ suæ socium facere Deum: vt cum si oblatam sibi pecuniam de peccato libenter acceperit, consentiat in peccato. Vis domum Dei ædificare? da fidelibus pauperibus, vnde viuant, & ædificasti rationabilem domum Dei. In ædificiis enim homines habitant, Deus autem in hominibus sanctis. Quales ergo illi sunt, qui homines exspoliant, & ædificia Martyrum faciunt? habitationes hominum component, & habitationem Dei destirpant? Iam ergo ex antiquis temporibus morbus iste in hominibus habebatur. Dicebant enim apud se: Si bene fecerimus pauperibus, quis illud videt? & si viderint, pro tempore vident. Transit enim tempus, & transit cum tempore benefacti memoria: Nonne ergo melius ædificia facimus, quæ omnes aspiciunt, non solum hoc tempore, sed etiam in posterum? Nam quamdiu ædificium permanet, tamdiu ædificantis memoria nominatur. O insipiens homo, quid tibi prodest post mortem ista memoria; si, vbi es, torqueris, & vbi non es, laudaris?]

Primum ac potissimum, quod templis debetur, est mundities. Non tantum adsint, quæ in vsus sacros necessaria, sed etiam quantum fieri potest, mundissima sint. Viderint illi, qui sacras ædes squalore ac situ obduci, omnia in eis pessum ire suauiter cernunt, nec ruinosa restaurant, nec collapsa erigunt, imo domesticis vsibus prophanant, qui legumina, rapas, lac, olera, sacellis velut penuti custodienda tradunt. Hic cum Christo

Mundities templis debetur.

vociferandum: *Fecistis domum Patris mei speluncam*, si non latronum, certe araneatum, vespertilionum, noctuarum.

Hæc de reuerentia in nostris Aphorismis Eucharistiæ. Sunt etiam, qui domos habent instructissimas ac ornatissimas, in eorum templis aut sacellis squalent omnia & sordent, aræ à frontalibus nudæ vix laceris ac sordidis pannis insternuntur, in cæteris omnibus confusio & squalor. His diuini honoris contemptoribus flagellum Christi proximum est. Et certe totas familias male perisse videmus, quæ sacras ædes tutelæ suæ commissas negligi, ruere, ac collabi non veruerunt. Da igitur, quod debes ædibus sacris, quæ ad sacros vsus necessaria sunt, assigna; munditiem eis præsta. & caue domibus sacris spatium vel minimum, caue quidquam redituum, aut donaria vlla subtrahas. *Ita pius ille Auctor. Hæc prolixius allata, vt videas, non damnari dona collata Ecclesiis; sed eatenus probari, si potior & prior sit cura Pauperum.*

TRACT. De Vita & Morib. Cler. CAP. X. n. 31.

pag. 64. Vidi ego aliquando quinque viros.) *His verborum inuolucris, seu potius, sermone parabolico varia peccatorum genera fame tabescentium designat. Mundum enim vult esse esurientium hominum congregationem, insatiabili fama temporalia & peritura bona appetentiũ, & simul cælestium bonorum nausea laborantium, nihil enim comedunt, quod satiari eos possit; ac proinde omnes fame cruciantur ac pereunt. Ergo primus ille auaros,* alter *luxuriosos,* tertius *iracundos,* quartus *superbos & ambitiosos,* quintus *denique proprias carnes sugens, vel inuidos, vel homines sibi ipsis placentes, & de se præsumentes repræsentat.*

TRACT. De diligendo Deo, n. 19.

Impossibile namque est tota hæc ex toto ad Deum

pag. 60. An præceptũ dilectionis in hac vita impleri possit. colligere.) *De præcepto dilectionis, quo iubemur Deum ex toto corde diligere, agit, atq; non posse ab homine mortali, seu in statu vitæ præsentis impleri, scilicet,* perfecte: *Idẽ asserit Serm. 50. in Cant. Similia habet* S. Augustinus *variis locis, Lib.* 1. De Doct. Christ *cap.* 21. *Lib* de Perfect. iustit. *cap.* 8. *vbi in plenitudine charitatis vitæ futuræ hoc præceptum implendum ait*: Nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, vel quod continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus: *Et iterum*: Cur ergo homini non præciperetur ista perfectio: quamvis eam in hac vita nemo habeat? non enim recte curritur, si quo currendum est, nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? *Item lib. de spir. & lit. cap. vlt commemorans præceptum dilectionis Dei & proximi*: Hoc *inquit*, in illa vita complebimus, cum videbimus facie ad faciem: sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, vt admoneremur, quid fide exposcere, quo spem præmittere, & obliuiscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debemus, *&c.*

Quõ Deus ex toto corde diligendus. *Sed caue putes hæc fauere Sectariis, docentibus, Neminem posse in præsentis vitæ statu legem* Dei *implere, etiam regeneratum. Contra quem errorem vide* Concil. Trident *Sess. 6. cap. 11. & can. 18.*

Vt hic punctum difficultatis paucis expediamus, Notandum, Totalitatem illam lege præscriptam, cum dicitur: Ex toto corde. *&c tribus modis intelligi posse.* Primo, *vt totum cor nostrum in solidum vni Deo diligendo tribuatur, nec amor in aliud feratur obiectum, quam solum* Deum. *Hoc sensu non præcipitur Dei dilectio, alioquin non liceret diligere proximum.* Secundo, *vt significetur tanto conatu cor nostrum in Dei dilectionem ferri debere, quanto fieri potest, seu, vt tantum diligat, quantum ab ipso diligibilis est.* Tertio, *vt toto corde id fieri dicatur, in quo quis præcipuum studium & curã ponit, quomodo dicimus, aliquem totum esse in literis.*

Dicendum itaque, totalitatem præcepto dilectionis in-

Annot. Pars II.

clusam, non tertio modo *intelligendam, sic enim non posset amari proximus, nec* secundo, *quamuis si sic præciperetur, seruari posset; sed* tertio, *quod fit, quando in amore nihil Deo præfertur, cũ nullius creaturæ amore vel timore à nobis offenditur. Hunc sensum expressit* Apostolus *Roman. 8.* Nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei. *Et Christus ipse Matth.* 10. Qui amat Patrem aut Matrem, *&c. id est, qui amorem parentum præferat amori Dei, non diligit Deum super omnia. Hoc sensu laudatur Abraham, quod vnici filii amorem postposuerit amori Dei.*

Itaque SS Augustinus & Bernardus *intelligunt quidẽ totalitatem primi & secundi modi, & hoc sensu asserunt dilectionis mandatum in hac vita impleri non posse; sed simul insinuant, mandatum sic acceptum non esse homini infirmo sub pœna peccati præceptum, sed tantum propositum vt scopum & finem, ad quem conari, tendere, & peruenire aliquando debeat, id est, eam iustitiæ perfectionem quæ speratur in futuro seculo. Vnde loco citato de spir. & litt. S. Augustinus,* Neque enim, *inquit*, si esse nondum potest tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ perfectæque debetur, iam culpæ deputandum est. Aliud enim est, totam nondum assequi charitatem: aliud, nullam sequi cupiditatem. v. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 6. & 8.

AD TRACT. De Præcept. CAP. II. num. 5.

Quamdiu ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt; mutariq; omnino, ne ab ipsis quidem Præpositis pag. 74.
sine eorum offensa possunt.) *Nẽpe quæ pro charitate instituta sunt, non rescindenda aut mutanda; nisi caussa charitatis postulet. Ita & Aelredus Abbas Rie-vall.* Hoc sane prouidendum, vt ipsa mutatio, vel variatio, dispensatio sit; Dispensatio
non omnimoda destructio, cum custodia charitatis, vitio- quãdo licitã
rum emendatio, vt ipse B. Benedictus insinuat, ipsius in- & vtilis.
stitutionis caussa sit: sic profecto ipsa dispensatio rationabilis erit, si caussæ huic ipsa dispensatio profecerit. Si autem dispensatione magis quam institutione nutriuntur vitia, charitas violatur: certe periculosa ipsa dispensatio comprobatur. *Ita ille, Compend. Specul. Charit. cap.* 45.

IBID. CAP. XIV. n. 34.

Cum tamen nemo; qui hoc velit cauere maledictum,
&c.) *Locus mendosus, vel certe obscurus. Contuli Mss.* pag. 80.
sed nihil ab impressis diuersum habent. Consului Doctores, sed difficultatem non expediunt. Videbatur mihi constare posse lectio, si pro qui, *legeretur* quin: *hoc sensu, q. d. Scitis neutrum horum væ illud euitare propheticum*: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum *cum tamen nemo sit, quin velint cauere & effugere maledictum vtrumque, quod intentatur tam dicẽtibus bonum malum, quam malum bonum, de quo, nempe de velle cauere hoc maledictum, q. d. illa ipsa voluntas cauendi maled. scilicet, quæ includit fugam mali, & intentionem boni, vt homo non intendat aut velit malum, sed bonum, illa, inquam, voluntas est lux totius corporis ab illa enim desumitur æstimatio boni operis.*

IBID. CAP. XVII n. 53.

Audite & hoc vultis à me, vnde Monasteriali disci- pag. 84.
plina meruerit hanc prærogatiuam, vt secundum baptisma nuncupetur.) *B. Petrus Damian. Opusc.* 16. *in Episcopum Monachos ad seculum reuocantem.* Dic, *inquit*, obsecro, legisti aliquando vitæ monasticæ propositum secundum esse baptisma? Sed quia hoc inueniri in dictis Patrum perspicuum est, negare licitum iam non est, *&c. Vide loco citato, cap.* 8. *Vide &* Hieronymum *Epistola* 25. *vbi Paulam de Blesilla obitu consolatur*: Reuera, *inquit*, si seculare desiderium, & quod Deus à suis auertat, delicias huius vitæ cogitantem

mors immatura rapuisset, plangenda erat. Nunc verò cum proprio Christo, ante quatuor ferme menses, secundo quodammodo propositi se baptismo lauerit, & ita deinceps vixerit. vt calcato mundo semper monasterium cogitatit, &c.

Idem ad Demetriadem: Nunc, *inquit*, quia seculum reliquisti, & secondo post Baptismum gradu inisti pactum cum aduersario tuo, dicens ei, Renuncio tibi Diabole, & seculo tuo, & pompæ tuæ, & operibus tuis, serua fœdus quod pepigisti.

Religiosa professio cur secundus baptismus appelletur.

Ratio ergo, cur vitæ religiosæ professio, quasi quidã Baptismus censeatur, ista est. Nã sicut in Baptismo hoc agitur, vt omnino moriamur vitæ veteri, & renascamur nouæ v. Rom. 6. Coloss. 3. Ephes. 4. & alibi *vnde nõ idẽ homo è baptismo emergit, qui in eũ ingressus erat, sed plane alius, sequitur etiam, vt prioris illius hominis peccata, nõ magis huic homini recẽs nato tribuẽda sint, quã mea alteri, vel alterius mihi. Ita prorsus in professione Religionis sese res habet. Moritur enim religios⁹ mũdo, eiusq; operib⁹, ac sibi insuper ipsi voluntatiq; suæ: & ita moritur, vt non magis liceat ei mundo, eiusq; deliciis vel voluntate sua vti, quam si plane mortuus ac sepultus esset. Cum ergo Religiosi quoque, sicut in baptismo, desinant esse quod antea fuerunt, & noui quidam homines esse incipiant, nouis studiis, noua vita, aliisq; omninò delectationibus & cogitationibus dediti. Nil mirum si culpa & pœnæ, quas vetus ille homo debebat, vnà cum ipso homine morientur, nec iam ad secundum hunc hominem pertineant.*

Ita fere Hieron. Platus *lib* 1. *de bono statu relig. cap.* 13. *Hinc, vt etiam obseruauit* Renatus Chuppinus *lib.* 1 Monastici *tit* 2. n. 17. *sicut in baptismo renatis, sic professis in religione ceu nouis hominibus noua induuntur nomina: Italis præsertim ac Belgis, vt ait ille, Franciscis etiam Fuliensibus & Capuccinis.*

pag 97. IN EXHORT. ad Milit. Templi. cap. 3. n. 5.

De Hugone, inscribitur, Exhort. vide Notas ad Epist. 31.

Exeratur gladius vterque fidelium] *Spiritualis & corporalis. Ita aliàs scribens ad Eugen. Pontif ait*: Exerendus est nũc vterque gladius, &c. *Ep.* 256. *v.* 4. *de Consc. c.* 3.

AD TRACT. de Conuers. cap. 10. n. 21.

pag 112. Si rectè offeras, & non rectè diuidas.) *Sic leg. LXX. Gen.* 4. & *Græci PP. Cass. collat.* 21. *vide Notas ad* Tom. I. *Epist.* 87. *Item supra in hunc* Tom. IV. *Tract. de vita & moribus Episc. cap.* 4.

AD TRACT. de Errorib. Abailardi.

ibid. *Vide* NOTAS *ad* Tom I. *in Epist.* 188. *vbi multa huc spectantia.*

Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala... Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum.] Nota *sectarie, & quicunque Romanæ matris Ecclesiæ nota inquam, prærogatiuam Romanæ & Apostolicæ Sedis, & quis sit legitimus controuersiarũ fidei iudex. Et ne putes fortè, Bernardum blandiri Pontifici; vel eius authoritatem respuas, quasi qui posteriori æuo vixerit, quo prisca Christianæ fidei sinceritas, iam adulterinis hominum commentis (quæ vestra calumniandi libido est) vel inualescente iam Pontificum potentiâ corrupta sit. Age repetamus ab ætate longè vetustiore Patrũ testimonia. Aut potius tu ipse lege* Epistolas S. Augustini 90. 91. 92. 95. & 106 *vbi videbis controuersas fidei Quæstiones referri ad Sedem Apostolicam, & similia passim cum Bernardo eiusdem Sedis recensere elogia. Vide etiam* Hieron. *Epist.* 57 *ad Damasum. Alia eiusdem, & innumera Cypriani ad Cornelium, & aliorum loca prætereo.*

Ibidem Cap. III. n. 7.

pag 113. Nam per *alius* & *aliud*, nouit pietas fidei) *Sic Theologi in Tractatu de S. Trinitate, vbi agũt de modis loquẽdi in hac materia, dicunt, Hanc esse verã*, Filius est alius à patre. *Hanc falsã*. Filius est aliud a Patre *Ratio est, quia* Aliud *sub[stantiuè] denotat distinctam essentiam.* Alius *adiectiuè & similiũ suppositũ. Vnde* August. *de fide ad Petrũ cap* 1. Vna est Patris & Filij, & Spiritus S. essentia, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus S. quamuis personaliter sit alius Pater, alius Spiritus S.

Ibid. Cap. VI. n. 15.

Nec alter iam inueniatur qui forefecit.) *Forefacere peregrina & obsoleta vox. Reperitur eadem apud* Iuonẽ *Episcopum Carnot. qui floruit circa Annum* 1110. *epist.* 173. Et ad foris faciẽdum eidem armata manu militum ea die procederet. *Anselmus Cantuar. in epist. ad Henricum Regem*: Audio quod vestra excellentia vindictam exercet super Presbyteros Angliæ, & forisfacturam excipit ab eis, quia non seruauerunt præceptum consilii. *Guilielm Naugeaeus lib de gestis Philip.* Et ab ipsis Burgensibus, quidquid antea Clericis forefecerunt, fecit ipsis celeriter emendari. *Matth. Paris. in Henrico* 1. Si quis Baronum vel hominum meorum forisfecerit, non dabit vadium in miseria pecuniæ suæ, sicut faciebat tempore patris, vel fratris mei, sed secundum forisfacturæ modum. *Vbi VVatsius in Gloss. ait forefacere est substantiam, aut priuilegium, ob offensam aliquam legalem vel non solutionem, amittere. hinc forisfactum. Gall.* forfaict. *Angl.* forfet. pag 125.

IN TRACT. ad Hugon. de S. Vict c. 2.

Sed ex eo tempore tantum cuique cœpit antiqua obseruatio non valere, & non baptizatus quisque noui præcepti reus existere, ex quo præceptum ipsum inexcusabiliter ad eius potuit peruenire notitiam.) *Nam cum ea sit ratio legis positiuæ, vt non nisi promulgata obliget, satisq; constet, baptismum non naturali, sed positiua tantum lege diuina præceptum esse, consequens est ad eum suscipiendũ non fuisse homines obligatos, priusquam in hominum notitiam perduceretur: quodquidem promulgatione fieri solet. Quamuis enim renasci ex Spiritu S. semper & omnino fuerit necessarium ad salutem, modus tamen renascendi, qui est per aquam, non semper fuit necessarius, sed post factam ipsius institutionem, vim necessitatis accepit, partim ex abolitione modi alterius, videlicet circumcisionis, partim ex manifestatione præcepti. Non igitur continuo postquam dictum est*: Nisi quis renatus, &c. *putandum est omnes homines, vel certe omnes Iudæos, multosq; minus etiam infantes non potuisse in regnum Dei ingredi, quoniam non essent ex aqua regenerati: deerat enim adhuc legi publicatio, quæ etsi fieri fortasse cepit paulatim Apostolis ante passionem in Domino baptizantibus, ideoque & baptismum eius prædicantibus, non tamen statim sufficiens fuit ad hoc vt lex iam promulgata censeretur. Quare ne tunc quidem, quando à Petro multitudini Iudæorum dictum est, Act* 2. Baptizetur vnusquisque vestrum, &c. *Credendum est hanc baptismi legem fuisse sufficienter promulgatam, ne apud Iudæos quidem. Nam quod ibi dixit Petrus innumerabiles alii Iudæi per orbem sparsi scire nondum adhuc poterant.* pag 129.

Baptismi præceptum quando cœperit obligare.

Dicendum igitur est, tunc primum generaliter baptismũ obligare cœpisse, postquam sufficiens facta fuit Euangelii promulgatio quod ex natura legis positiuæ facilè potest ostendi, simul enim cum Euangelio prædicabatur lex baptismi, velut ipsius Euangelii pars. Et in hunc modum respondet Bernardus *Hugoni Victorino, qui eius sententiã libenter amplexus est, vti videre est apud eundem* lib. 2. de Sacram. *Vide* S Thom. 3. *p. q.* 86. *art.* 2. Comment. *ibid.* Mag. sent. *lib.* 4. *dist.* 3 *ibid.* Estium, Soto, &c. *vide etiam* S. August. *epist.* 108.

Ibid num. 9.

Quid planius, quam quod voluntas pro facto reputetur, vbi factum excludit necessitas?) *Quod non ita accipiendũ, quasi voluntas illa seu votum suscipiendi Sacramentum vim Sacramenti in se includat, id est, ita operetur effectum Sacramenti, quomodo ipsum Sacramentum, si adhibitum esset, suũ effectũ operaretur Non enim ex opere* operato, *sed* operantis *valet desideriũ illud Sacramẽti tãquã desiderium operis operati, perinde vt fides & oratio. Quod ergo ibi voluntas baptismi pro baptismo habeatur nõ prouenit ex natura rei, sed Dei misericordia, qui propter fidẽ & desideriũ quærentis salutẽ, supplet in necessitate, quod deest ex* pag. 130.

Voluntas quando pro facto reputetur.

parte

parte sacramẽti. In iis autem operibus in quibus non opus operatũ spectatur, sed meritũ operantis, volũtas, dummodo sit magna satis & efficax, pro facto propterea reputatur, quod tota meriti ratio in voluntate posita sit, quæ eãta esse potest absque opere, quanta operi coniuncta, atque interdum etiam maior. In hoc igitur operum genere propriè locum sibi vendicat illud, Voluntatem pro facto reputari *Non autem in his quæ tantum ex opere valent operato, nisi in quantum misericordia Dei supplet inuisibiliter, quod visibili opere sacramenti præstari non potuit. Hoc autem misericordiæ diuinæ supplementum ubi adest voluntas seu desideriũ visibilis sacramẽti, in necessitate præsto esse semper Patres intellexerunt. v.* Cyprian *epist. ad Iubaianum.* Ambros. *orat. funeb. in obitum Valentiniani, qui baptismum expetens ab Ambrosio, mortuus est in itinere, antequam ad eum perueniret.* August. *lib. 4. cont. Donat. c. 21. & 25. & in Leuit. q. 84.*

IBID. eodem num.

Fidem alienã infantib; cum baptismo sufficere ad salutem.

Dignum nempe est, & ad Dei spectat benignitatem, vt quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodesse concedat alienam) *Ita August. lib 4. cont. Donat. c. 23.* Sicut in adultis fidelibus, quibus per aliquam necessitatem corporaliter baptismus deest, perfecta salus est, quia per pietatẽ spiritualiter adest. Sic cũ ipse baptismus præsto est, si per necessitatem desit fides, perficitur salus. Quod traditũ tenet vniuersitas Ecclesiæ, cum paruuli infantes baptizãtur, q[ui] certe nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. *Et Cap.* 24. Sicut in adultis quod in sacramento deest, complet Omnipotentis benignitas, quia non superbia, vel contemptu, sed necessitate deest, sic in infantibus baptizatis eadem gratia Omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo cum alii pro eis respondent, vt impleatur erga eos celebratio sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. *Et rursus epist. 23. ad Bonif.* Offeruntur *inquit*, paruuli ad percipiendam spiritalem gratiam non tam ab eis quorum gestantur manibus quamuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt, quam ab vniuersa societate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, & quorum sancta & indiuidua charitate, ad communicationem sancti Spiritus adiuuantur. Tota hoc ergo mater Ecclesia, quæ in Sanctis est, facit, quia tota omnes, tota singulos parit.

Cur paruulis non prosit fides aliena sine sacramento, vti adultis prodest propria.

Porro cur hominem adultum fides propria etiam sine sacramento saluet in necessitate, infants verò non idem præstet fides aliena, sine baptismo: ratio est, quia fides propria etiam sine sacramento adultum Deo viciniorem, & per se commendabilem facit, dum ex fide Deum inuocat, de peccatis dolet, salutẽ quærit, quale nihil in paruulis operatur fides aliena, sed eum relinquit auersum, vsque ad ipsius sacramenti perceptionem. Atqui magis congruit diuinæ bonitati, vt saluetur homo iam conuersus, & quærẽs Dominum, quam qui totus adhuc auersus est à Deo, nullum vitæ spiritualis in se principium habens. Adde quod Ecclesia, cuius materna charitas Christo filios parit, nõ intendit fidem suam infantibus accommodare, nisi per medium ad eam rem à Christo institutum, id est, per Baptismum.

IN VITAM MALACHIÆ, n. 26.

Iusti hostib. formidabiles.

Putares stupere lacertos, sic non fuit qui extenderet manum.) *Iusti hostibus terrori sunt. Vide similia exempla in* S Ambrosio *aduersus Maximum,* Baron. *Ann.* 388 S. Basilio *aduersus Valentem,* S Leone *M. aduersus Attilam imminentem Romæ,* S. Chrysost. *adu. Gainã, de quo Theodoretus:* Cuius constantia victus Gainas, reuerenter illum excepit. Ita solet, *inquit*, victos percellere, & pudore suffundere etiam immitissimos, *lib. 5. cap. 33. Alia innumera occurrent in Historiis.*

TOMO V. SERM. XLII. in Cant. n. 4.

Tom. V. pag 17.

Dele Annotationem margini appositam, & hanc substitue: Is est Guillelmus ille, qui dictante S. Bernardo scripsit Epistolam ordine primam in medio imbris sine imbre, & postmodum in Insulam Britanniam missus factusq; Abbas Rieuallis, Ordinem Cisterciensem ibidem mirifice propagauit. Præfuit Rieuallensi Cœnobio 13. annis, & obiit Anno Domini 1143. *Ita* Henriq. *in Menolog. 4. non. Aug. Idem testatur* Iongelin. *in Genealog. X. fil. Claræ-vall. vbi ait successisse ipsi Aelredum.*

TRACT. De Pass. Dom. Cap. XXIII. n. 90.

Eo quod Magister verminum Beelzebub.) *Beelzebub Idolum fuit in Accaron. 4. Reg 1. quod consuluit Ochozias Rex Israël.* Baalzebub *Hebræis dom॥ muscæ sonat, forte, quod contra muscas auxilium eius implorari solitum. Simile quid ianotuisse videtur* Plinio, *qui lib. 10 cap 28* Inuocant, *inquit*, & Ægyptii Ibes suas contra serpentum aduentum, & Elei Myiagron Deum, muscarum multitudine pestilentiam adferente, quæ protinus intereunt. *v. eund. lib. 6. cap. 29. Hunc Iudæi à fœditate & truculentia Diabolica eo nomine vocasse videntur. Sicut iidem Infernum Gehennam appellarunt, quod Echinnem siue vallis Hinnon dicti immanibusq; infantium Deo Moloch immolatorum suppliciis infamis esset. Et certè alioquin est, idola gentium, è quorum numero etiam Beelzebub, non esse nisi dæmonia, siue spiritus malos, humani generis hostes, id est, Diabolos.* pag 117.

AD LIB. II. De Amore Dei, Cap. 7.

Fidelis viri totus mundus diuitiarum est) *Hanc sententiam efferũt LXX. Interpretes Prouerb. 17. post versum 4. cum desit in Hebræo, Chaldæo & Latino; hoc modo: Eius qui fidelis est, totus mundus diuitiarum est. illius autem qui infidelis, neque obulus. Eadem legitur frequentius apud SS. Patres.* Hieron. *Epist. 103. ad Paulinum:* Credenti totus mundus diuitiarum est: infidelis etiam obulo indiget. S. *August. lib. 5. Confess. cap. 4. Et Epist. 54. ad Macedon in fine.* Iam vero, *inquit*, si prudenter intueamur quod scriptum est, fidelis hominis totus mundus diuitiarum est &c. *Eandem sententiam explicat* Cassianus, *coll 24. cap. 26. Vtitur eadem* Bern. *in vita S. Malachiæ, cui & si pauperi pecunia, attamen fiducia in Deum diuiti non deerant sumptus ad extruenda ampla Monasteria.* v. cap. 28. n. 61. pag 185.

SERM. XI. In vlt. Cœna.

Non tegeret vultus cortice Myrrha tuos.) *Myrrha Cyniræ Cypriorum Regis filia, quæ ob infandum cum Patre commercium fugiens, in arborem sui nominis est conuersa. Fabulam habet* Ouid *lib. 10. Metamorph.* pag 215.

SERM. I. In Salue Regina, n. 1.

Dulce canticum... quod in honorem S. Mariæ quater in anno Ordo noster deuotissime concinit. *)Nam cantatur in eo ad* Magnificat *in primis Vesp. Purific. & Annuntiat. & in 2. Vesp. Natiuit. ad* Magnif. *In Assumptione verò ad* Benedictos. *Tempore autem Bernardi hæ solæ festiuitates Virginis in Ordine celebrabantur: nam* Præsentatio *vsque ad ann. 1375. non fuit inducta in Gallias, &* Visitatio *vsque ad ann. 1389.* Conceptionem *autem ipse celebrari prohibuit. Aliunde vero liquet S. Bernardum deuotissimum eiusdem Cantici, seu Antiphonæ fuisse. quippe cum & illa vltima verba:* O Clemens, ô Pia, ô Dulcis Maria, *ipse addiderit, eo tempore, quo Legati Apostolici munere functus, Spiram adiit, vbi cum in templo illius decantationi adesset, Spiritu* Dei *afflatus, ter genua flexit ante Deiparæ imaginem, à qua meruit resalutari illis verbis:* Salue Bernarde: *cuius rei hodieq; testimonium extat in Cathedrali Ecclesia, teste* Guilelmo Eisengreinio, *in Chronicis Spirensib. tabulis æreis incisum. Ita* Franciscus Biuarius *in Bern. Vindic. lib. poster. § 10. Porrò Bernardum non esse auctorẽ quatuor illorũ in* Salue Regina *Sermonum nos iisdem luculenter ostendimus.* pag. 288.

Finis Annotat. in Opera S. Bern.

Vocem barbaram, preregrinarum quæ in Operibus S. Bernardi occurrunt, & Lectorem remorari possunt.

Vide quæ de huiusmodi verbis haud latinis, à *Bern.* vsurpatis, monui Tom V pag. 1c'.

ADDEXTRARE. Serm. 77. in Cant. n. 1. Hinc inde assistere. vnde sponsam addextrare. loc. cit.

ANGARIARE. Epist. 158 Cogere adigere ad ministerium, diuexare, à verbo Persico formatum, Extat apud *Matt.* c.5 & 27 vbi v. *Copm* & *Lud. Cerdam* in Aduersar. sacr. c 118. n. 10, *Vlpian l. Viæ sternendæ.* & de ptiuil. vet.

CANCELLARIVS Epist. 315. n. 2. & alibi. Sic dictus, non à cancellando, quod aliquibus visum; sed à cancellis. Erant autem cancelli lignei, ærei, vel ferrei, quorum lineolæ altrinsecus modicis interuallis, in quincuncem positæ, quibus cum aër aspectosque admitteretur, accessus prohibebatur Intra quos quia manere soliti, *Cancellarii* dicti sunt. Porrò magnorũ Principum Scribis, qui chartis diplomatis literisque præsunt, hoc nomen olim & nunc attributum constat. Cæteros passim *Secretarios*, voce haud magis latina, vocamus. Vtitur tamen *Cancellarii* nomine *Fl. Vopiscus* vide *Lud. de la Cerda*. in Aduers. sac cap 94. n. 10 & 178 n. 18.

CAPELLANI. lib. 4. de Consid. Hos à cappa S. Martini primum dictos volunt, eos, inquam Clericos vel Sacerdotes, qui cum Reges expeditionem susciperent, eidem in castris asseruandæ præessent. *Strabo Abbas Augiensis* cap. vlt. de Exor. & increm. rer. Eccl. *dicti autem sunt, inquit, Cappellani, à cappa S Martini, quã Reges Frãcorum ob adiutoriũ victoriæ in prœliis solebãt secũ habere, quã ferentes & custodientes, cum cæteris Sanctorũ reliquiis Clerici. Capellani cœperunt vocari.* Vide etiã *Bened Leuitam* Capitul lib 5. c 2. vbi videre est *Capellanos* dictos, quibus, ob sacrorum curam, licebat interesse militiæ seu castris, cæteris exclusis. Alii tamen dictos volunt à Capella, in qua sacrum papilionem, aliasque vestes & vasa ad sacrum ministerium necessaria. cũ peregre belli, &c. caussa Principes agerent, asseruare solebant. Hinc qui custodiæ huius Capellæ præerant, dicti *Capellani*.

CARITATIVE Tom. III. Serm. 37. in Cant.

CASAMENTVM. Ep. 39. vide Notas ibid.

CASSARE. Epist. 178. Quæ ipso iure nulla sunt, cassari, id est, irritari & infirmari solent.

COESSE. Epist 118. Simul esse.

COLLATERALES Lib. 4 de Consid. c. 4. vocat Cardinales, & qui assistunt Pontifici à latere ad consilia &c.

CVCVLLV. Apol ad Guil. cap. 1. vestis monachalis. v. Reg. S. Bened. c. 55. vox vsitata *Cassiano* l. 1. inst. cap 4. *Hieron* de Test. Hilar *Paulino* ad cither *Ambros* serm. vlt.

DIFFIDARE. Epist. 322. v. Notas ibid. (cludere.

EPILOGARE. 4 de Cons. c. 7 paucis enumerãdo con-

EPISCOPARI. Epist. 272. Episcopali officio fungi, vel in Episcopum eligi, & consecrari. alibi dicit, *In quo tota est Episcopatus progenies*, Tr. de cont. Mun ad Cler. n 14. id est, quasi ius aliquod & prærogatiuam, seu habilitatem ad Episcopalem gradum adepta.

Forefacere. Tom. IV. Tract. adu. errores Abail. num. 15. v. Notas ibid.

Frontositas. Tom IV. de cont. mun. ad Cler. n. 24. idem quod obstinatio, impudentiæ, temeritas, in. (de *Frontosus* ibid.

Galabrunus v. inf. lit I.

Garciones. Tom. IV. Apol. ad Guil. Abb. cap. 10. id est. viles personæ, ministri seu pedites, qui sequuntur Equites, illisque seruiunt, à Gallico *Garzon*.

Gracia. Epist 252 id est, Domus in agris, vbi coloni cum baiulo sub Monacho degebant, qui prouentus terræ in emolumentum Monasterii colligebat, & in horreis, siue cellis penuariis recondebat. Inde Monachus iste Prior *Grangiæ* dicebatur, & ipsa *Grangia* Prioratus v. Vatsium in Gloss. Matthæi Paris.

Guerra, Epist. 225 & alibi. alias etiam legitur *Verra*, vox Italica, gall. la *guerre*. visitatissima illo seculo, pro bello. v. *Hotom* de verb. feu. & lib Feud. 2. tit. 18. 6. 1. & 2.

Grauseæ vestes, Epist. 2. ex alba & nigra lana mixtæ

Grossæ vestes. Epist. 209 Apol. ad Guil. c. 9. quæ ex crassa & rudi materia, seu panno confectæ.

Grossus Intellectus Serm 60 in Cant. n 5. id est, crassus, hebes, contrarium eius. subtilis intellectus.

Gyrouagi. Epist. 58. v. Not. ibid.

Homacium vel Hominium Epist. 39. v. Notas ibi.

Imbanniti Epist. 251. n. 9. v. Not. ibid & Lexicon *Spigelii* verbo *Bannum*, vbi complura notatu digna.

Induciare. Epist. 383. Moras nectere.

Issembrunum, & Galabrunum Apol. ad Guil. c. 9. certus color panni, quem monachi ad vestes sibi quærebant. Sed quinam vel quales hi colores? Suspicor per prius vocabulum significari ferrugineum. Nam *Bruin*, nigrum etiam Gallis Bernardi æuo significasse, indicat *Auctor* lib. 6. vitæ S. Bernar c. 9. n. 10. vbi, *Bruinerire*, Nigrum Villare, exponit. Itaque Issembrunum corruptè, quasi *Isebruin* dictum puto Procliuè enim fuit nomina huiusmodi ab vna gente in aliam dimanare; præsertim in pannis & coloribus, qui vti alicubi magis excellunt, (non enim omnis æquè feliciter fert omnia tellus) ita nomen ex loco natiuo, in exteras quoque regiones secum, per commercia, deferunt. Quam multa huiusmodi aliarum nationum vocabula adoptauit Germania? Simili iure alias quoq; nationes peregrina quædam nomina, adeoq; Germanica possidere non dubito.

Sed quid *Galabrunum*? vt coniecturæ meæ indulgere pergam, arbitror Galubrunum dici, quasi *Galbruin* id est fuscum colorem, seu flauum, qui ad nigredinem vergat.

Ligius Epist. 320. vide Notas pag 59.

Maneries. Epist. 339. vide ibid. Not. margin.

Matta. Epist. 1. n 11 Storea, seu teges ex iuncis contexta. legitur & apud. *August.* lib. 5. cont. Faustum c. 5. *Ouid.* lib 6. Fast *Greg Turon.* l de vita Pat. c. 11. Reg. *S. Bened.* c. 55. *Pet. Clun.* l. 3 ep. 20 & l. 4. ep. 1.

Miles. à Scriptoribus mediæ ætatis accipitur frequenter pro nobili. vel equite ex illustri familia; vel qui militiæ insignis à Principe donatus est: idemq; fere est, ac nunc esse Equitem auratum, inquit *Coluenerius* in Cantiprat. Sed de hac acceptione *Militis* vide Præfat. *Ioan. Molani* in militiã sacram. & *Spigelii* Lexicõ Iuris.

Monachari Epist. 261.

Mundicordes. Tract. de Conu. ad Cler (tati sunt.

Officiales. 4. de Cons. n. 23. qui ad certa officia depu.

Palefridus. Epist. 104. & alibi. v. Notas ad d. ep.

Passagium. Ep. 119 aliquando accipitur pro tempore profectioni destinato, vt apud *Matth. Paris* Hist. Angl. mihi pag 515. *Ne iter versus terram sanctam arriperet, vsque ad Passagium*, quod est in Martio *Item* pro *viis publicis*, vt apud eund pag. 445. Imperator iussit in circuitu ciuitatis vias & passagia districtè custodiri. *Item* pro *Naulo* siue teloneo, à viatoribus caussa mercium exigi solito, sicut hoc loco apud *Bern.*

Pausare. Serm. 18. in Cãt. quiescere dormire vide apud *Aug.* in Psal. 105. *P. Bles.* ser. 29. *Plaut.* in Trin. & Mil.

Pitantia. In vita S. Bern. id est, ferculum, seu constituta portio, quæ cuique in mensa præsenti, in cibo & potu contingit. Alii *pietantiam* vocant, quasi quæ pia aliorum liberalitate religiosis hominibus obueniat vide *Matth. Paris.* in Vit. pag. 174

Prætexare. Serm 23. in Cant. cuius verbi significatio facile patet ex contextu.

Repatriare. Ser 3. de Asc. Ep. 168. lib. 5 de Cons. n 2. id Patriam redire. (gicè *seu Rabam.*

Ribaldus Scurra, nequam, vagus mendicus Bel.

Sagmatus. siue *Saumarius*, vel *Sumarius*, lib. 1. de consid. c 4. Not. ibid. (de Not. ad Ep. 358.

Torneamentum. al. *Torneta*. lib. 1. Vit. S. Bern. vi-

Transalpinare Serm. 1 de Adu. n 10. Ep. 245. id est alpes transire & Romam tendere. Sic *Matth. Paris.* pro negotiis regiis transalpinantes. pag. mihi 940. *Bles.* ep. 59

Typhus. Epist. 246. v Not. ibid.

Vadium. Serm 2. in Vigil Natiu. n. 5. v. Notas.

Vaniare. Tract de off. & mor. Episc. Apud *Iuon. Carnot* ep. 66. leg. *Vangare*, & sic *Iuretus* putat hic quoque legendum.

Plura forte inter legendum occurrent Lectori: sed quæ nos vllo cur, im taligentes, hac vice effugerunt.

ANTHOLOGIA BERNARDINA.

EN FLORES vel ipsa rigente bruma, vernantes: paucos e plurimis nec tam selectos, quam tumultuarie eo fasciculum collectos PASCIMIÆ, inquam, sunt, & prouerbiales GNOMÆ. Item AXIOMATA MORALIA, & quædam quasi prima Principia, mole quidem exigua, sed virtute maxima. De fragrantia & odore nosse iubes? Omnes NARDUM spirant: & MELLIS scatent, sed vbi Apes argumentulas, id est, studiosos Lectores nactæ fuerint. Sicut facile in tanta FLORVM copia non fastidiosis parca Collectoris manus, Lectoris erit HORTUM ipsum plenum Floribus, quem hic nobis curis exultum damus, adire, indeque asse manus, & quæcunque libet, legere. Nobis sat fuit, præsentem paginam implere.

PEriclitatur castitas in delitiis, Humilitas in diuitiis, Pietas in negotiis; Veritas in multiloquio, n. 38.

Charitas in hoc nequam seculo. De Con. ad Cler.

Nihil pretiosius tempore: sed, heu, nihil hodie vilius æstimatur. Tr. de conv. Mun. ad Cler. n. 55.

Transeunt dies salutis, & nemo recogitat: nemo sibi non reditura momenta perisse causatur. ibid.

Nil tam durū, quod duriori non cedat. 4. de consi. c. 3. Hinc consuetudo consuetudine vincitur.

Tibi impone, quidquid pateris ab eo qui sine te potest nihil. 4. de cons. n. 9.

Scorpioni non est in facie quod formides, sed pungit cauda. ibid.

Quid iuuat sapientem esse, si tibi non fueris? 2. de consi. 2.

Omnia illi desunt, qui nihil sibi deesse putat. lib. 2. de consi. c. 7.

Simia in tecto, rex fatuus in solio sedens. ibid.

Tene medium, si non vis perdere modum. 2. de consi. 1. 10.

Prosperitas hoc est incautis, quod ignis ad ceram, solis radius ad niuem. 2. consi. c. 12.

Non magnum est esse humilem in abiectione: rara virtus, humilitas honorata. Hom. 4. sup. Missus. (n. 14.

Nulla verior miseris, quā falsa lætitia. de lib. arb.

Velle plane continemus, quod non fieret, si nollemus. ibid.

Effusus animus damna interiora non sentit. de conu. ad Cler. c. 4 n. 5

Fugere persecutionem, non est culpa fugientis, sed persequentis. Ep. 2.

Voluntas profecto habetur, vbi factum excludit necessitas. Tract. ad Hugon. n. 9.

Nemo magis iram metet, quam amicum simulans inimicus. De con. n. 33.

Non est cur fures timeant, qui sibi in cœlo thesaurizant. De conu. ad cler. n. 41.

Non placet qui ipse non placet. ibid. 45.

Insolentiæ Clericorum mater est negligentia Episcoporum. Ep. 152.

Amicis omnes gerere mortem, sed non in suam mortem. Ep. 215.

Fluminis aqua si stare cœperit, computrescit. Serm. 3 de Quadrag.

Omnia quæ in mundo sunt finem habent, finis autem eorum, non erit finis. serm. 9 in Cant.

Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, prius tibi ipsi persuaseris. Ser. 95 in Cant. n. 3.

Illius doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moueat. ibid.

Turturis vox non dulce sonat, sed dulcia signat, nempe, Amorem comparis. ibid.

Velis nolis, intra fines tuos habitas Iebusæus, subiugari potest, sed non exterminari. Ser. 57. in Cant. n. 10.

Parum est semel putasse: sæpe putandū est, imo semper. ib. Nam vitia identidem repullulant.

Non potest virtus cū vitiis pariter crescere, putetur cupiditas, vt virtus sohoretur. ibid.

Tolle superflua, & salubria surgunt: vtilitati accedit, quidquid cupiditati dempsis. ibid.

Pastor doctus, sed non bonus, non tam vberi doctrina nutrit, quam sterili vita nocet. Serm. 76. cant. n. 10

Minus quandoque nocet petita veris ambitio quam frustrata. Ep. 126. nam ad violenta remedia conuertitur.

Ad audiendum legendumve amoris carmen frustra, qui non amat, accedit. Serm 79 in cant. n. 1

Non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. ibid. Sicut græce loquentem non intelligit qui græcam non nouit.

Fama non valet vendicare virtuti, quod esse vitium conuincit conscientia. Serm. 72. Cant. n. 2

Virtus est contenta candore conscientiæ, etsi non sequatur odor famæ. ibid.

Multa quæ respuis ociosus, post laborem sumes cum desiderio. Ep. 1. n. 11. Nam optimum cibi condimentum fames.

Hostis audacius insistit à tergo, quàm resistat in faciem. ibid. n. 13.

Facere malum, quolibet etiam iubente, non obedientia, sed inobedientia est. Epist. 7. n. 3. nempe erga Deum.

Quod quisque præ cæteris colit, id sibi Deum constituisse probatur. Tract. de contem. mund. ad Cler. c. 5 n. 17.

Multi non tanta alacritate currerēt ad honores, si esse sentirent & onera. Tract. de off. Ep. c. 7

Vtinam relinquant nobis moderni Noe, vnde nos ipsos possimus operiri. ibid. n. 29. c. 8. adeò iam palam & sine pudore peccatur.

In alto positum, non altum sapere difficile. ibid.

Si altiorem quam meliorem esse delecter, non præmium, sed præcipitium expecta. Epist. ad Ardut.

Stultum, ibi thesaurum recondere, vnde non valeas resumere, cum volueris. Tract. de off. Ep. c. 5

Qualis sit cuiusq. fides, tribulatio probat. ibid. c. 4

Qui ad sui mensurā proximum iubetur diligere, prius seipsum diligere norit. ibid. c. 4. n. 13.

Bonam reddunt conscientiam pœnitere de malis, & abstinere à malis. ibid. c. 4.

Eodem vtuntur medici ferro secandis regibus, quo & popularibus hominibus. ibid. c. 8.

Boni Pastoris est, non quærere quæ sua sunt, sed impendere. 4. cons. c. 2

Dispensatio sine necessitate & vtilitate, non fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. 3. de cons. c. 4.

Cum omnes te habeant, esto etiam tu vnus ex habentibus. lib. de cons. c. 3. n. 6. nam qui sibi nequam cui bonus?

Amans quandoque videtur amens, sed ei qui non amat. v. Præf. ad lib. de cons.

Modus diligendi Deum, est diligere sine modo. Tract. de dilig. Deo. c. 1 & 6

Non probo multa scientem, si sciendi modum nescierit. Serm. 36. in Cant. n. 3.

Sunt qui scire volunt tantum, vt sciant, & curiositas est.

Sunt qui scire volūt vt sciantur ipsi & vanitas est.

Sunt qui scire volunt, vt scientiam vendant, & turpis quæstus est.

Sunt qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est.

Sunt qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est. Serm. 36. in Cant. n. 3

Sumenti cibum, & non digerenti, perniciosum est ei. ibid. n. 4

Sine lumine discretionis incurrit, qui nutrit. Ser. in conuers.

Non potest non esse bonus, qui placet bonis, vel displicet malis. Ep. 148.

Non est tutum vicino serpente somnum capere. Ep. 142.

Habet vera amicitia nonnunquam obiurgationem, adulationem nunquam. Ep. 242

Melius est, vt pereat vnus quam vnitas. Ep. 102. Ex euidenti quæ contrariam.

Sola caussa, qua non liceat obedire parentibus, Deus est. Ep. 111.

Gustato spiritu, necesse est desipere carnem. ibid.

Non plus satiatur cor hominis auro, quam corpus aura. de conu. ad Cler.

Argumentum superbiæ, priuatio est gratiæ. ser. 54. in cant.

Præsto est oculus cui omnia patent, etsi non patet ipse. Serm. 55 in cant.

Bonus nunquam, nisi simulatione boni deceptus est. ser. 66. in cant.

Hæretici capiuntur non armis, sed argumentis. ser. 64. in cant v. NOTAS ibid.

Iucunda hominibus lux, sed magis emergenti de tenebris serm 68 in cant.

Eruditio absque dilectione inflat, dilectio absque eruditione errat. ser. 69. cant.

Dies palā facit, quod nox abscondit. ser. 75. cant.

Melius est vt scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur. Ep. 78.

Qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. Ep. 87.

In similibus factis causa dissimilis simile recusat iudicium. Ep. 84.

Nil tam ingloriosum, quàm gloriæ cupidum deprehendi. Ep. 106.

Spectati grandia modica minus grata veniresolent. Ep 153.

Currentem non apprehendit, qui & ipse non currit. Ep. 254. n. 1.

Nolle proficere, est deficere ibid.

Nemo inuitus benefacit, etsi bonum est quod facit. Ep. 158.

Magnus qui incidens in aduersa, non excidit à sapientia. 2. de consi. c. 12.

Canis fœnū quod nō comedit, defēdit. Ep. 313 n. 1.

Si sapis, concham te exhibebis, nō canalem. ser. 18. cant. n. 3. id est, Non prius effundas, quam impletus abundes.

Pastores à mercenariis persecutio discernit. De conu. ad cler. n. 22.

Grata ignominia crucis ei qui Crucifixo ingratus non est. serm. 25. cant. n. 8

Cum fœmina semper esse, & non peccare cum fœmina, plus est quam mortuum suscitare. serm. 65. in cant. n. 4

Familiaris Dominus fatuum nutrit seruum ser. cont. vit. ingrat.

Diuinæ clementiæ id est negare ingratis quæ postulant. ibid. Nepe ne maior. etc.

Onerat nos Deus, cum exonerat: onerat beneficio, cum exonerat peccato. serm. 15. in Psal. Qui habitat in. 8.

Contendamus placere omnib. per omnia, sed ei maxime qui est maxime super omnia. ib. 4.

Inanis excusatio de humana obedientia, vbi in Deum contumelia fit. Ep. 7. n. 8.

Quis credat parieti, si se dicat parturire radium, quem suscepit per fenestram. ser. 3. cant. n. 5.

Non est laus calamis, laudabilis pictura vel scriptura. ibid. n. 6.

Sapiens est, cui quæque res sapiunt, prout sunt. serm. 18. de div. n. 1

Nullus tam grauis pruritus oculi, quàm inuidia est. serm. 5. de verb. Isa. n. 10

In terra orimur, in terra morimur, reuertentes in eam vnde sumus assumpti. ser. de S. Mar. n. 1.

Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Tr. de cont. mun. ad cler. n. 21.

Altiorē fortitus es locum, sed nō tutiorē. Ep. 237.

Sicut non omne quod libet licet, sic non omne quod licet, expedit. Ep. 25.

Cuius vita despicitur, restat vt & prædicatio contemnatur. ser. 1. Pasc. n. 10.

Non satis cecidisse piget hominem, qui adhuc manet in lubrico. ser. in Pasc. n. 16.

Indicium veræ compunctionis est, subtractio occasionis. ibid.

Periculosa paupertas, penuria meritorum; præsumptio sui & fallaces fiducia. ser. 68. in cant. n. 8.

Ignorantia non potest excusare eum qui se magistrum insanorum profitetur. Tract. de cont. mun. ad cler. c. 5. n. 15

Indignus lacte & lana commendatur, qui non pascit oues. ibid. 20.

Væ tibi clerice, mors in ollis carnium, mors in deliciis. ibid. n. 20. nam peccata populi comedis.

Væ, qui viuentes in carne Deo placere non possunt, & placere præsumunt. De conu. ad cler.

Zelus absque scientia dum prodesse festinat, inuenitur obesse. ibid n. 38.

Animam non capacem, quidquid Deo minus est, non implebit. de con. M. n. 33.

Saliens antequam videat, casurus, antequam debeat. ibid. 36. (Con. sc. 12

Æger sese non sentiens periculosius laborat. 1. de

Homo si laborem refugit, non facit, ad quod natus est. de contem. mun. ad cl. c. n. 29.

Sapientibus contingit, in rebus dubiis plus alieno se quā proprio credere iudicio. Ep. 82. n. 1.

Libenter careo quantolibet spirituali quæstu, qui non possit acquiri nisi cū scandalo. Ep. 82.

Pulcher & salubris ordo, vt onus quod portandum imponis, tu portes prius. Ep. 201. n. 3.

Vocis virtus est opus, sed & opus & voci gratiam efficaciamque promeretur oratio. ibid.

Plus nocet falsus Catholicus, quam verus hæreticus. serm. 65. cant. n. 4

Non inutilis commutatio, pro eo, qui super omnia est, omnia reliquisse. Tr. de cont. mun. ad cler. c. 1. (cet. ibid.

Plus concupiscentia mundi, quam substantia no-

Fugienda cum causa diuitiarum est quod aut vix aut nunquam sine amore valeant possideri. ibid.

Facile cor humanum omnibus quæ frequentat adhæret. ibid.

Qui relinquere vniuersa disponit: se quoque inter relinquenda numerare meminerit. ibid. n. 2.

INDEX ANNOTATIONVM In Opera S. BERNARDI.

a p Designat secundam partem Annotat. Prior autem pars habetur in fine Tom. III. Posterior ad fin. Tom. VI.

FINIS INDICIS ANNOTAT. In Opera S. BERN.

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Qui in his S. P. BERNARDI Operibus cæterisque adjunctis, tum fusiùs, tum succinctiùs explicantur.

Prior numerus Tomum: secundus paginam: litera (a) primam, (b) secundam paginæ columnam indicant. Vbi solus numerus paginæ ponitur, sine expressione Tomi, scito ad proximè nominatum tomum referri debere. In. denotat INTRODVCTIONEM in Opera S. Bernardi initio positam. A. APPENDICEM ad opera S. Bern. post Tom. V. adiunctam designat.

Ex Prouerbiis.

Ex Ecclesiaste.

Ex Canticis.

Ex Ieremia.

Ex Threnis.

Ex Baruch.

Ex Ezechiele.

Ex Daniele.

Ex Osee.

Ex Ioele.

Ex Amos

Ex Habacuc.

Ex Sophonia

Ex Zacharia

Ex Malachia.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex S. Matthæo.

a 19

Ex Epist. S. Iacobi.

1. a Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis. 5. 55. b

1. b Vnusquisque tentatur a propria concupiscentia abstractus & illectus 4. 70. a

3. b Lingua modicum membrum, inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata, & ipsa a gehenna 5. 41. a

3. d Sapientia quæ a Deo est, primũ quidem pudica est: deinde pacifica. 2. 213. b

4. d Scienti bonum & non facienti peccatum est illi. 3. 62. a

5. e Sufferentiam Iob audistis, finem Dom. vidistis. A 43. b

Ex I. S. Petri.

1. e Castificantes corda vestra in obedientia charitatis. 4. 75. b

2. b Obsecro vos tanquam advenas & peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis. 2. 57. b

2. d Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius 2. 56. a

3. c Quis enim vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis. 3. 137. a

5. c Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum ipsi enim cura est d. vobis 2. 178. a 5. 109. b

Ex I. S. Ioann.

2. b Charissimi nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt: omne enim quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum & ambitio sæculi. 2. 89. a 4. 45 a

3. a Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. 3 53. a

3. b Omnis enim qui natus est ex Deo, peccatum non facit quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare quoniam ex Deo natus est 5. 184. b 3. 17. a 4 68. b

4. b Perfecta charitas foras mittit timorem 5. 31. b 32. a 1. 18. a. 4 62. a

5. a Omne quod natum est ex Deo vincit mũdum &c *vsque ad vers. 9.* 2. 88. 89. *fus.*

5. a Hic est, qui venit per aquam & spiritum Hic est qui baptizat in Spiritu sancto & igni. A. 21 b

5. d Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio cælestis conteruat illum. 2 50 b 196 a

5. d Pro illo, iam non dico, vt quis oret. 95 b

Ex Apocalypsi.

5 b Vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, dignus aperire librum & soluere septem signacula eius. 2 85 a b 240. b

6 c Vidi sub altare animas interfectorum 2. 139 a

6. c Sustinete modicum tẽpus donec compleatur numerus fratrum vestrorum. 2. 138. a

Vindica Dom. sanguinem Sanctorum nostrũ qui effusus est. ibid.

12. a Signũ magnũ apparuit in cælo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. 2. 123. b. 124. 125. 126. *f. se & sequent.*

13. b Agnus occisus est ab initio sæculi. 5. 266. a

13 d Ego quos amo arguo, & castigo 2 69 a

14 a Et cantabant quasi canticum nouum ante sedem &c. 5. 124. a. 2. 138 b

14. c Beati mortui, qui in Dño moriuntur, à modo iam dicit Spũs vt requiescant a laboribus suis 5. 18. a

20 b Beatus S. qui habet partem in resurrectione prima. A 46 b 48 a b

INDEX RERVM, VERBORVM, ET LOCORVM COMMVNIVM.

In Opera S. P. Bernardi locupletissimus.

Instructionem de vsu huius Indicis videat Lector initio Indicis praeced.

INDEX RERVM, VERBORVM, ET LOCORVM.

Cora

S. Andreas.

Angelus.

Anima. Animus.

Annunciatio Dom.

Apparitio.

Appellatio.

Appetitus.

Aqua.

Arbitrium.

INDEX RERVM.

Bestiæ.

Bethleem.

Bonum, Bona, Bonitas.

Bonus: Vide Deus, Sanctus.

Cain.

Cancelli, Cancellarii.

Candela, Candelabrum.

Cantica.

Cantus.

Vide Hora Canonica, Officium.

Cœna.

Cella.

Centuplum.

Centurio.

Ceruus.

Charitas.

Vide Amor, Pietas.

Cibus.

Circuitus.

Circumcisio.

Cistercienses.

Deus

Diabo-

Dies.

Discipuli.

Discretio.

Dispensatio.

Diuinitas.

Vide Tit. Deus.

Diuitiæ, Diues.

Doctrina, Doctus.

Dolor

Discipuli

Martha.

S. Martinus.

Matrimonium.

Martyrium, Martyres.

Meditatio.

Vide Contemplatio.

Medium. Mediocritas.

Memoria.

Mens.

Vide Anima. Animus.

Mercenarius.

Vide Filius. Pastor. Seruus.

Merita.

Militia. Miles.

Vide Bellum. Expeditio

Ministerium.

Vide Clericus, Honores, Missa, Sacerdos.

Miracula.

Miracula S. Bernardi, vide Bern.

Miseria.

Vide Aduersa, Afflictio.

Misericordia.

Vide Clementia, Mansuetudo, Pietas.

Missa.

Modestia.

Monachus.

Vide Clericus, Religiosus, Sacerdos.

Passionis

Præsumptio.

Princeps.

Vnitas. Vnum.

Vocatio.

Voluntas.

Voluptas.

Vide Delitia.

Votum.

Vide Professio. Religio.

Vox.

FINIS.